coll. compl. f.
4°. [XX], 318 pp
front.

Ij



J A Bellman
1725.


LAVRENTIVS COSTERVS.
THEOD. SCHREVELI
HARLEMVM.

THEODORI SCHREVELI

HARLEMUM,

SIVE

VRBIS HARLEMENSIS

Incunabula, incrementa, fortuna varia, in pace, in bello. Hamorum & Asellorum factio. Obsidiones. Reformationis cruda initia. Consilia politica. Schismata Ecclesiastica. Tempora Lycestriana.

Statuta antiqua. Comitum privilegia gratiosa.

Regimen Politicum, Ecclesiasticum, Oeconomicum, Militare & Scholasticum.

Tum studia incolarum in quavis facultate & arte, Et plura id genus.



LUGDUNI BATAVORUM,

Excudebat SEVERINUS MATTHAEI, 1647.

Amplissimis Prudentissimisque

VIRIS,

D. Prætori IOHANNI SCHATTER,

D. Coss. PETRO OLIKAN,

D. AULO AKERSLOOT,

D. CORNELIO THEODORI GULDEWAGEN,

D. GULIELMO WARMONT.

Cæterisque Harlemianæ reipub. Senatoribus. Nec non ejusdem urbis Syndico consultissimo.



B eo tempore (jam pæne quinquennium est) quo Harlemum quasi postliminio redii jam emeritus, jam rude donatus Vejanii exemplo: ab eo tempore subiit animum cogitatio insuper benemerendi de Patria, de civibus & popularibus meis. Et jam fixum hoc, immotumque animo sedebat, ire in patriæ laudes: Atque adeo Patriæ laudibus immori; quod jam intendo. Nam cum Harlemum meam absolvissem, & historiam urbis patriæ ab ipsis natalibus ad umbilicum jam perduxissem, sensi indies magis senectutis incommoda, infirmitates totius corporis, dolores capitis ingravescere, oculorum aciem hebescere, ingenii vires attenuari, memoriam deficere, & pæne jam evanidam, quæ omnia signa jam sunt labantis & fatiscentis ævi. Atque hæc est causa, cur lucubrationes meas, in honorem patriæ quas scripsi senilibus annis, famæ mandarem, & exacto pœne vitæ meæ curriculo jam metæ proximus, sub lucem mitterem, & memoriæ sacras facerem, & æternitati consecrarem. Quos autem Annalium meorum patronos adoptarem, non deliberandum diu fuit, quippe ultro sese offerunt mihi Patres Patriæ, Harlemianæ reipub. ipsa lumina & columina, Prætor, Coss. Syndicus juris legumque peritus, ut qui de me optime meriti, qui hodie sunt & fuerunt. Ac primum quidem ampliss. Ordini hoc debeo, quod me receperunt in numerum civium suorum, apud quos altus & educatus sum: in quorum gymnasio optimis litteris & artibus institutus, atque imbutus fui: qui mihi studiorum meorum authores, & ne quid dissimulem, Mæcenates etiam fuere. Qui in docendi munere & formanda juventute exercitatum ad provinciam scholasticam (urgente gymnasii reformationem synedrio) vocarunt, & proximum à Rectore locum obtinere me voluerunt. Et cum Dordraceni datis ad Magistratum litteris Rectoratus honorem mihi deferrent, & dimissionem mei serio peterent; Consules minime dimittendum rati utilem patriæ civem, & civibus gratum, & de re litteraria

 non

non male meritum, ſalarium ejus cc. florenorum augmento bearunt, & animos addiderunt, majora tentandi. Et decennio poſt ingraveſcente ætate D. & præceptoris mei Corn. Schonei ad Rectorem me promoverunt, & ſcholæ ſuæ inauguratum, initiatum ſolemni more voluere. Nec bene de nobis merendi ſtudium deferbuit, cum non ita multo poſt, in ordinem ampliſſimum, & ad arcana Reipubl. admiſere hominem minime ambitioſum. Et poſt annos circiter xvi, verſo rerum cardine, cum cedendum tempori & ſerviendum ſcenæ, Lugdunum peterem propter ſtudia filiorum, honeſtiſſimo teſtimonio vitæ bene actæ, & provinciæ ſine ullo murmure depoſitæ, civem & clientem ſuum proſecuti ſunt. Et cum poſt annos xx & amplius redirem in patriam ſoſpes, ſumma gratulatione à civibus exceptus, à D. conſule P. Olikan inprimis, qui reduci mihi & honorifice gratulatus eſt non tantum, verum etiam epulo excepit ſatis ſplendide. Nondum dixi omnia, nam cum in templo locum audiendis concionibus idoneum non haberem, niſi in turba, Coſſ. ejus temporis, locum mihi aſſignarunt in ſubſellio ordinis Eccleſiaſtici. Nec ita multo poſt, cum Diatribas meas Scholaſticas, & orationum ſelectarum ſyntagma publici juris feciſſem, & D. Prætori, Coſſ. cæteriſque Harlemianæ reipub. Senatoribus dedicaſſem, honorarium cxx. florenorum decreverunt. Et quadriennio poſt, cum conſilia mea Coſſ. aperuiſſem, quod hiſtoriam urbis patriæ ſub manu haberem, propediem lucem viſuram, D. Coſſ. id gratum ſibi futurum teſtati, ſimul immunitatem à vectigalibus urbanis ultro conceſſere uſque ad vitam, qua hodie adhuc fruimur ac gaudemus: quam liberalitatem Coſſ. non tam pretio quam honore metiendam cenſui, quod eam non niſi ſummis viris & nobiliſſimis datam conceſſamque invenio. Nam Anno 1564. Quæſtori ærarii, in gratiam D. de Lata Virga immunitas à vectigalibus gratioſa data. Et ab Anno 1568. decretum, ut Coſſ. iv. & Scabinus primum locum tenens immunes à vectigalibus Vrbanis forent, 1. Decemb. Et Anno 1570 propter artem graphicam in qua excelluit, Martino Heemſkerckio immunitas data: & eodem Anno Mag. Iacobo Wy virginum Veſtalium paſtori, Octob. 18. Canonicis item & nobiliſſimis & bene meritis D. Adriano vander Duyn, & D. toparchæ in Schagen, Anno 1571. Iun. 9. & aliis pluribus non è multis. Longum eſſet recenſere omnia, quæ in me contuliſtis beneficia, P.C. Præcipua dixi. Fateor & fatebor ſemper me debendi reum, qui ſolvendo non ſum; tamen ut effugere poſſim nomen ingrati dabo operam. Et ſimul ſpecimen daturus gratitudinis meæ; offero Amplitudini veſtræ hiſtoriam urbis patriæ, ab ipſis incunabulis uſque in hunc diem, quam ut benevolo animo accipiatis oro quæſoque, & ſi donum illud meritis veſtris non reſpondeat, animum offero quovis munere potiorem, ad exemplum Aeſchinis.

PROLO-

PROLOGUS

IN LIBROS VI.

HARLEMIADOS.



Vam efficax sit in animis hominum affectus ille in Patriam, quam φιλοπατρίαν Græci vocant, poëta Sulmonensis indicat, cum nescire se fatetur, unde vis illa animis hominum ingenerata, quod natale solum, & terram illam nutritiam, ament non tantum, sed venerentur, ut communem omnium matrem, & ad honorificam ejus mentionem exultent, & voluptatem capiant non vulgarem; ita ut ejus si maxime velint memoriam deponere non possint: quæ tanta dulcedine hominum animos afficit, ut si habenda fides vatum maximo, nihil dulcius, nihil amabilius sit, quam Patriæ, quam parentum memoria, cum inquit, Οὐδὲν γὰρ γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων γίγνεται: *Hinc Vlyssem apud Calypso, patriam immortalitati prætulisse idem refert. M. Tullius Cicero ut civibus suis Patriæ amorem inculcaret, & aculeum in animis suorum relinqueret, Laërtiadem eumdem illum ipsis proposuit in exemplum, quem Ithacam, nidulumque illum affixum cautibus, felicitati immortalium Deorum anteposuisse constanter asserit, Homeri auctoritate subnixus. Eundem illum post longos errores terra jactatum & alto, hoc unum optasse ex Homero Naso refert:* Fumum de patriis posse videre focis. *Quam ejus rei rationem dabimus aliam, quam, quod omni animantium generi natura hoc sit insitum, ut nidos suos, atque latibula ament. Certe feris & belluis etiam hoc datum, agros silvasque quærere natalitias. Aves ipsæ interdiu per aëra volantes & vagantes, proprios nidos amant, pastæ ad cubilia pendula redeunt. Adhæc erratiles bestiæ, ad habitacula dumosa festinant. Atque adeo cuncta animalia, quoquo te vertas, ibi se norunt refugere, ubi longissima cupiunt ætate constare. Quod natura insevit feris & belluis, id ratio hominibus:* unicuique enim Patria vita carior, *in qua lucem vitalem primum aspeximus, in qua ab ipsis incunabulis alti atque educati sumus. Atque hæc est causa cur lares patrios & Penates super cuncta homo diligat, & tueatur vir fortis. Ex quibus ita tandem colligimus,* Patriæ, parentibusque post Deum magnopere nos debere, quibus vitam debemus, animam debemus, non solvendo. *Ita Cicero dicendi haud futilis auctor hoc vult, ut vita quæ fato debetur, saluti Patriæ potissimum persolvatur. Inde tot claræ mortes pro Patria oppetitæ, non solum gloriosæ in Rhetorum scholis, verum etiam beatæ habitæ semper fuerunt; atque adeo* terque quaterque beatos *eos prædicabant,* Queis ante ora patrum patriæ sub mœnibus contigisset oppetere. *Longum esset ab omni antiquitate exempla petere inde ab Erichtheo. Codri pietatem quis nescit? Harmodius, Aristogiton, in ore adhuc omnium.*

Leonidæ

Leonidæ Lacedæmonii, Epaminondæ Thebani, immortalis adhuc memoria est. De Marco Curtio qui Diis Manibus se devovit pro salute patriæ nulla conticescent sæcula. Quid memorem Fabiorum gentem, qui patritii omnes, animæque magnæ Prodigum Paulum Aemilium illum Cannensi clade, aliosque innumerabiles patriæ amantes cives? quibus hoc quasi trabali clavo infixum sedebat, omnibus iis qui patriam conservarint, auxerint, adjuverint, certum esse ac definitum in cœlis locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Hac fide subnixi Patriæ amantes cives & sapientes, omnia sucipienda reipub. causa putarunt, tam in pace, quam in bello. Fidem faciam eorum quæ jam dixi exemplo meo. Nam cum post longos exantlatos labores, post tot annorum curricula, quibus operam Patriæ impendi, quamdiu fata sinebant; & filiorum causa Lugdunum me contulissem antiquum Musarum hospitium, & aliquo etiam ibi loco essem, gymnasio litterario præfectus, tamen nescio quæ vis major me traxerit, ut cum provinciam scholasticam ætas mea jam ingravescens deponere moneret, ne in morem senescentis equi peccarem ad extremum ridendus, & ilia ducerem, sensi patriæ desiderium, & posthabitis aliis omnibus commoditatibus, ad vitam in otio honesto transigendam, pupugit animum amor Patriæ, cujus tanto desiderio tenebar, ut collectis vasis, atque adeo omni supellectile, Musis Lugdunensibus valedicerem, & in Patriam quasi postliminio redirem, gratantibus civibus & amicis; uti quieti me dare decreveram jam emeritus, & rude donatus; suspensis ad postem (ut sic dicam) armis Veianii exemplo. Et totum quieti cum me dedissem, animum subiit cogitatio (nec quiescere potuit mens ignea) ulterius de Patria merendi, & Patriæ laudibus immori jam ambiebam in animo. Quod jam aggredior. Deus optimus maximus, ut adspiret conatibus nostris votorum meorum apex. Ita tria potissimum mihi proponam discutienda eorum, ad Patriæ laudem quæ faciunt. Ac primo quidem loco de ipsis patriæ incunabulis, & urbis origine dicturus. A fabulosis abstinere est animus. Deinde de urbis incremento, cum crescente indies civium frequentia, pomæria extenderit, & paulatim inter adversa caput extulerit, ancipiti lucta, ut inter sese Virtus & Fortuna contendisse videantur. Postremo de hodierno statu qui ad nostram memoriam pervenit, dicam quam potero paucissimis. Hæc pertractare mihi est animus, si longiorem vitam dabit Deus, cujus tutelæ me etiam atque etiam commendo.

P. SCRI-

PETRI SCRIVERII.

Elegia.

Cui Titulus

THEODORVS SCHREVELIVS.



Doctius eloquium tenero meditatus ab ungui,
Schonæo patriá gratus in urbe puer,
Extulit os, didicitque loqui. Iam Tullius alter,
Alter & Harlemi Quintilianus erat.
Præconemque suum Christi sperabat ovile, An. 1595
Aspera si posset scabraque scita sequi.
Aptior esse Scholæ visus teneræque juventæ,
Aptior & sacris pulcher Apollo tuis. An. 1596
Extensis magis atque magis Schrevelius alis,
In Trivio Leydæ non trivialis erat.
Schonæus moritur, socci vetus atque TerentI An. 1597
Cultor, Hiantæis ter (puto) lotus aquis.
Discipulos, tanto modo Præceptore beatus,
Accipit haud alia sceptra gerenda manu.
Iam ferulæ tristes in amæno pectore regnant,
Lapsaque Communi res reparata Bono.
Da veniam senio: juvenes agnosce labores,
Sic erit, ut pubes tota pigrore vacet.
Omne vafer vitium tollet novus iste Palæmon:
Perferet haud mores amplius esse feros.
Aptaque Leydanæ submittet membra Minervæ
Ad laurum, & doctis præmia digna comis.
Hic cum fruge diu, cellæ possessor AlexI,
Figebat certum Gymnasiarcha pedem.
Consilio adscitus Patrum, & Sapientibus urbis: An. 1607
Iamque ibi sit, si non Factio nata foret.
Publica concordes animos disturbat Enyo:
Quilibet & partes ardelionis agit.

An. 1620 *In sibi propositas leges jurare neganti*
Rectori jussum res sibi habere suas.
Ignavone potes Schreveli cedere fuco?
Quanto (eheu) damno constitit illa dies!
An. 1622 *Sed potes ista pati. Sapis, ô cordate Magister,*
O cui Socratico pectora rore madent!
Ne Capitolino solio violenter abactus
Ulla venenati spicula fellis habes.
An. 1622 *Et tua jampridem cultis* PATIENTIA *libris*
Edita per populos oraque docta volat.
Excolis ingenium privatus in ædibus emptis
Ære tuo: curæ curia nulla tuæ.
Nescis, ah, quem te Fortuna reservet in usum:
Ecce! redit mota nube serena dies.
FORS HERA *mutavit vultum: te candida Leyda*
Præfectum ludi quærit habere sui.
An. 1625 *Annuis: & tecum conjux Teilingia migrat,*
Exculturа novos qua solet arte lares.
Tanti est Grammaticas docuisse fideliter artes,
Et Mentem pueris insinuasse Bonam.
Ecquid adhæc Livor? tecto confunditur ore:
Parcit & opprobriis improba lingua suis.
Sed doleant oculi, rumpantur & ilia Codris,
Instauratur honos, accumulantur opes.
Et sua virtuti merces. Quid quærimus ultra,
Quam tantâ (ô Superi) prosperitate frui.
Hic flos nobilium, ac dites numerantur ephebi,
Protinus ad Musas agmina tota ruunt.
Ut schola vix fuerit Stochiana frequentior unquam:
Non bene Trojano quam similemus equo.
Namque hostes cæcis stipata recessibus ista
Abdidit: hæc Patriæ protulit alma Patris.

Sic

Sic aliquot lustris Leydæ cum laude peractis,
Permissum emerito ponere sceptra seni. An. 1642
Tradereque imperium Nato florentibus annis, Corn. Schrevelio.
Nata cui clara Consulis uxor erat.
Si mentum inspicias, juvenis censebitur esse;
Si mentem, credat quilibet esse senem.
His ita compositis patriam Schrevelius urbem
Cogitat, & cineres mandat habere suos.
Sed superest Lachesi quod torqueat: atraque, necdum
Pernerunt tetricæ fila colosque deæ.
Ire per Annales (neque enim cessare putandus)
Resque domi gestas & monumenta juvat:
Quem Pelusiacum quondam cantare Trophæum An. 1598
Vidimus & ferris rostra parata suis.
Nunc ipsos cives Dominosque ab origine prima,
Historicâ donat (munera rara) fide.
Natalis sic ille loci dulcedine fertur,
Vt Patriæ posset Livius esse suæ.
Harlemum celebrat. Vindictæ nulla cupido.
Iamdudum offensæ dememinitque suæ.
Amplicat ætatis spatium sibi vir bonus: exlex
Non poterit vitæ de brevitate queri.
Ipse suum cor edens vitalia stamina rumpit,
Stamina præscripto dissoluenda die.
Felix! qui surdâ convicia præterit aure,
Quique animal muto vindicatore loquax.
Fortunam quicunque sapis, reverenter habeto.
Vtraque cum non sit pagina lecta tibi,
Perfer: in exemplum cunctis Schrevelius unus
Prodeat, & nihili sic cito ronchus erit.

Scribebam Woelwici, sub mænibus
Lugd. Batav. An. 1647. xxv. Martij.

In Harlemi,

Inter primarias Hollandiæ *urbes, inclyta, Descriptionem, Autore viro*

Clarissimo

Theodoro Schrevelio

HARLEMENSI.

HArlemum, nitidis quæ pulchra penatibus effers
In Batavis illustre caput; cui turribus altis
Barbaricam resonant tot tintinnabula Memphim,
Serratæque rates, veteris vestigia secli,
In Pelusiacas torquent sua rostra catenas:
Quam felix scriptore tuo es, qui prima Juventæ
Flexisset cum frena tuæ & nascentia sensim
Ingenia illustres Patriæ formasset in usus;
Nunc Dominos, urbemque suam, civesque Patresque;
Et sibi devinctæ clara incunabula gentis
Narrat, & exanguem trahit exercetque senectam
Per laudes, Urbs magna, tuas, mentemque disertam
Devovet antiquo, nam fas ita credere, Lemo.
Si patriam servasse pium est, si vindicat urbes,
Assertor quicunque manu est; plus servat eandem,
Qui scriptor cæci tenebris emancipat ævi
Gesta ducum, turresque Deum, cum civibus arces,
Et deplorati Vesanas temporis iras,
Et sero objectat tot rerum exempla nepoti.
Hoc, Schreveli præclare, facis, Tethynque severam
Inter & Amstelios fluctus, tua grandibus ausis
Otia facundus redimis fessusque laborum
Non cupis hos ipsos populis segnescere canos.
Iam Pharius te rector habet Nilusque recludit

Ostia

Oſtia ſcribenti Batavo & miracula Belgis
Parturit Iſiaco ſuccreſcens Fama Canopo,
Et credi vult priſca ſibi, jam gloria diſcors
Atque armata odiis rabies concuſſa fatigat
Oppida & Hamatis partes diſcriminat acres
Vocibus & ſciſſæ ploras certamina plebis.
Eſt ubi Caninefas turbas & jurgia magnis
Orditur ſcelerata animis, ubi Saxo ſuperbus
Imperat & juſſis nimium feralibus inſtat.
Alba furit victæque iris crudelibus urbi
Incubat & diro mactat Libitina theatro
Belligeras ultrix animas. Bellumque fameſque
Quaſſat ſæva facem, terræ, claſſeſque lacuſque
Et deſperatus proſcribit mænia Mavors.
Tunc Tarteſſiacis Libertas vincta catenis.
Horruit immitis furias & juſſa Philippi,
Diſſimilemque illi Dominum, qui libera jam nunc
Imperia & trabeas nobis faſceſque fatetur.
Inde per annales Veterum legeſque Ducumque
Et Comitum voces raperis, per ſigna genuſque
Nobilium ſeraſque domos; nec curribus altis,
Sed patriis ſtantes virtutibus Æmilianos.
    Eſt quæ præclaras tandem deſudat in artes
Pagina, nec noſtro grajum miratur Apellem
Sidere cum donet proprios. naſcuntur in urbe
Praxiteles Zeuxiſque tua. ſe numina vinci
Agnoſcunt, telaſque ſuas miratur Arachne
Et Pallas minus in ſtamen ſubtilius ire,
Et priſcos poſt ſe fuſos & fila relinqui.
Ultima cœleſtes loquitur Facundia vates
Et Chriſti Verique tubas Themidique verenda
Nomina & hac natos Podaliri gente nepotes,

Qui-

Quique queant dubias Sapientum ornare cathedras,
Et Phœbo dictare mel os Musisque serenum
Scribere epos, totumque hominem subducere terris,
Et gnaras operum precio divendere dextras,
Artificum varios apices & culmina rerum.
Illa fatiscentes chartis quæ prorogat annos,
Æternosque dies gestis solertia donat,
Scribitur & Batavo debetur prima magistro.
Littera mobilibus cum surgit celsa figuris,
Et lateri socias patitur seriemque legenti
Ordine composito facit, & nunc distrahit illam
Ac dirimit, rursusque aliis se vocibus aptat.
Hæc loqueris, vir docte, tuis moribundaque sacras
Ora renascenti Patriæ. dum terminus ævi
Te manet ordiris laudes & gesta tuorum,
Quæque per innumeros decurrunt secula fastos.
Sic in te, THEODORE, redis, finisque loquendi
Principiis exit similis, sic doctior Hebe
Decrepitos claudit studiis insignibus annos
HARLEMUMQUE tui caput est & meta laboris.

CASPAR BARLÆUS.

IN

IN HARLEMVM
Clarissimo à Doctissimoque Sen:
THEOD. SCHREVELIO
HARLEMENSI
Descriptam & ornatam.

HArlemum, urbs Batavæ pridem pulcherrima terræ,
Nec minus & canis jam veneranda suis;
Sed tamen elapsi tenebris obscurior ævi,
Et pene in tenebris vix sibi nota suis:
Accipit hic primos, nato quos debeat annos,
Et fruitur vita, qua prius usa fuit.
Schrevelium genuisse juvat; quam patria finxit,
Quam dedit, in lucem mens venit illa manu.
Omnia jam prisci sileant miracula vates:
Ex nato mater nascitur illa suo.

BOXHORN.

Clarissimo viro
THEODORO SCHREVELIO,
HARLEMI
Historiam pererudite concinnanti.

Heroos Harlemi ausus mirandaque rerum
Incrementa; quibus perstet Respublica causis;

No-

Nobilibus queis ſurgat avis; Eccleſia vires
Exerat, & claram tollat ſuper æthera famam
Adſpice Belga potens. vivos advertere vultus
Hic dabitur, fugit umbra. novo ſplendore coruſcant
Geſta antiqua Patrum, & rerum memorabilis ordo.
Non heic vana fides, non facti credulus error
Decipit incautos mentemque à tramite recto
Ducit, inacceſſos aliis celebrare labores
Fata jubent. Heic Fama virum ſelegit & annos
Æqua ſorte pares, pectus cui Palladis arte
Imbutum ratione viget, cui Neſtor ab ore
Dulcet fluens diſtillat epos mundumque benigno
Melle fovet. Debere Viro poſt fata Nepotes
Nomina, & Harlemi claras in ſecula laudes,
Vivitis hoc uno. ſique hæc æterna ſuperſit
Gloria, non vobis Patri huic adſcribite vitam
Progeniem decus ac veſtræ miracula dextræ.
Sic fulge Theodore Tuis, ſic funere raptus
Teq. Urbemque tuam æternis celebraveris hymnis.

F. PLANTE.

Cornelii Westerlôi,

Commendatio Civitatis Harlemeæ In Laudem

Viri Clarissimi ac Doctissimi

THEODORI SCHREVELII.

Felix Sparna tuæ nunc arcis fama resurgit,
Et Latiis resonat tremulus clangoribus æther.
Aonidum quoties ad præli claustra fremebas;
Cum modo lingua tuas caneret vernacula laudes:
Ingenii quoniam celebris fastigia sparsis
Gentibus haud ignota tui sunt teste Canopo:
Vestibus & quid docta novis intexit Arachne,
Per totum pretiis quas distrahit institor Orbem.
Nec tacet alma cohors Cereri quæ pocula miscet:
Hæc mera blanditiis demulcent usque palata.
Ut semper Divæ spirent altaria fumum.
Hinc adeo castam Nymphæ, Zytepsa tueri
Nititur ædiculam, Cererem comitantis ad aras,
Ut vix præter eum reliquis penetrare sacellum
(Vel si sacrificis saturatas myrice vestes
Induerent, quarum limbus colluceat auro,)
Fas sit: ne illuvies cultus immunda profanet,
Infamis vel enim pessundet fama fluentum,
Ordine cuncta suo jungit respublica Lemi;
Nullus ut alterius noceat seu partibus obsit:
Ne vigiles artis laceret discordia cives.
Cujus tam dextrum qui præsunt fascibus urbis
Ingenium fuit, ut cives coluisse putares,
Tempore seu belli Spartam, seu pacis Athenas.
Hoc quorum Pallas, reliquum testatur Iberus.

O rerum prudens & præclarissima nutrix
Artibus indulgens! digni tutela patroni
Digna cliente fuit, nam tot perpessa labores
Haud unquam stygio jacuit submersa furore
Quin demum livore vagis caput extulit undis.
Quot sua concives lustrarunt ora Caballi
Fonte? quot ad Sparnam solers manus excudit artes?
Vt tibi porrigerent Achelöus & Albula palmam,
Atque è Costeri cerebro fluxisse Minervam
Sponte faterentur, si temporis æra tulisset.
Omnia quæ pandit vobis hæc scena libelli
Ausonia fabricata manu docti Theodori.
Hunc qui præclarum reliquis superaddidit actum,
Vrbi nam visus solum restare sagaci:
Qua tot cultrices degebant montis Ithyni,
Et sævum pubes lustrat quæ puppibus æquor.
Quanto ergo patriæ Screvelius arsit amore,
Hinc constat, quod non patiatur nomina condi
Quorum sancta foris hederacea facta loquuntur:
Et quæ gesta domi recitat tibi pagina libri,
Hæcque subinde notat soccum mutare cothurno:
Impulit ut fortuna rotæ mutabilis orbem.
Tam bene Pegaseis libravit singula pennis,
Vt non è multis meritus sit præmia civis:
Nam dum fata virum servant sibi conscius æqui,
Musavum tanto coluit fervore palæstram,
Solertis patriæ quo laudibus immoreretur.

Ejusdem

Ejusdem Ode
De
Laudibus Harlemi.

O Ferax arvum proprie colonis
Sedulis sacrum, segetes arena
Qua nec incurvis agitata rastris
Ferre negabit.

Sparna, quem juxta volitant carinæ
Carbasis, Nymphæ domineans palustris
Filius, cujus placidis per oram
Labitur undis.

Lemus hic arcem tenuit superbus
Quam brevi dulces aluere Nymphæ
In sui vastam memorem parentis
Nominis urbem.

Artis hæc solers operum palæstra:
Quæ typis primum pepigit libellum
Coster, ut laudis celebris nec unquam
Fama silescat.

Iure sublimem celebrabit auram
Quisquis Harlemum coluit, Napææ
Qua suo quondam gremio fovebant
Principis aulam.

Signa qui duræ crucis ad colenda,
Ostium Pelusiaci Canopi
Pandit, exesa ratis expeditæ
Dente catena.

Hæc tibi scutum peperit cruentum,
Quo, Tagi, victo, furor exolevit
Dum Batavorum sitiebat atris
Faucibus urbes.

Pileum propter nec acerba mortis
Ferre detrectas Decii Quiritum
Vt neci qui ſe patriæ ſalutis
Ergo dedere.
Floreat cum nunc abiit procella
Sole diſcuſſa Auriaci Triumphi,
Quo diu felix Duce vim valebat
Vincere virtus.



ΣΥΝΟ-

ΣΥΝΟΨΙΣ

HISTORIÆ PATRIÆ.

LIBRIS SEX.

Liber I.

IN quo hæc fere continentur; Natalitia urbis patriæ, antiquitas ejus & origo. Nobiles ab Haerlem. Bakenes unde, ejus variæ opiniones. Lemus urbis conditor. Incrementa urbis conditæ, urbis ambitus, ædificia tum publica, tum privata, Sacra, ut templa, cœnobia, monasteria: Structura templi Bavonis: Vel ad ægrotum solatia monumenta & pauperum subsidia; ut Xenodochia, nosocomia, hospitalitatis domicilia, gymnasia, fora. Gerontotrophii fundatio & fundationis sollennia, habita panegyri. Harlemiorum varia fortuna. Expeditio in Ægyptum Pelusiaca: Hamorum & Asellorum factio obstinata. Caninefatum conjuratio data ad militiam novo sacramento Panis & Casei. Ducis Saxoniæ edicta peremptoria & tyrannica, quam sequitur Harlemeæ obsidionis accurata descriptio: in qua hæc fere observanda; videlicet quæ obsidionem antecesserint, quæ obsidionis tempore acciderint, denique quæ post obsidionem capta jam urbe.

Liber II.

Indicat, quæ sint illa quæ obsidionem antecesserint: Ac primum quidem Ducis Albani in Belgium adventus inominatus, Amsterodamensium amicæ litteræ. Delegati ad Don Fredericum; Ripperdæ oratio ad cives pathetica. Occupato ab Hispanis Sparendamo, obsidio acceleratur; moræ impatientia fremente Hispano milite. Templum augustum Bavonis, direptum à militibus. Item quæ obsidionis tempore acciderint, ut uno dicam verbo, malorum Ilias; hic Comitis Lumeji expeditio infelix, pugna navalis in lacu Harlemensi. Rerum omnium inopia, extrema angustia, desperationis consilia; conditiones denique dedendæ urbis.

Liber III.

Ea continet, quæ post obsidionem incommoda. capta jam urbe seditio militum, templi expiatio. Comes de Bossu captus in maritimis, captivi cives liberati, Relligionis reformatæ initia. Parricidium Gulielmi Principis. Controversa inter Ecclesiasticos. Tempora Lycestriana. Induciæ cum Archiducibus, consentiente Hispaniarum rege. Harlemi, dissensio in Ecclesia, repub., de electione & vocatione ministrorum.

V. Articuli controversi inter Remonstrantes & Contra-remonstrantes. Synodus Dordraci habita, Scholarum reformatio. Princeps Auriacus Magistratum Harlemi exauctoravit, elegit novum. Seditio rusticana commota plebe. Denique grassante immani pestilentia, Floræ prostitutæ ortus, & casus repentinus.

Liber IV.

Continentur Comitum Hollandiæ statuta, privilegia, officia gratiosa, chirographa, donativa, & plura id genus. Harlemum olim Comitum & Magnatum aula. Nobilium stemmata antiqua, & posterioris ævi.

Liber V.


Politeia Harlemiana describitur, in qua regimen primum Politicum sive de Magistratu, penes quem suprema authoritas. Regimen Ecclesiasticum, sive de Pastoribus, Senioribus, & Diaconis. Tertio regimen Oeconomicum: Item regimen civium militare. Denique regimen pædagogicum seu scholasticum.

Liber VI.

Nomina refert eorum qui vel eruditione clari, Theologi, Jurisconsulti, Medici, Philosophi, Philologi: vel arte insignes, Pictores, Sculptores, Hyalographi, Statuarii. Mercatores cujuscemodi generis, Textores celebres, Fabri, Artifices. Denique institores, cerdones, & ex infima plebe homines, sine quibus non est respublica. Ex his enim partibus seu membris, corpus reipublicæ compaginatum sapientissimi quique tradidere.

HARLEMI

ANTIQUIT. ET ORIGO.



ARLEMVM antiquissimam esse urbem loquuntur monumenta veterum. In vita Odibaldi Episcop. Ultrajectens. apud Hedam. Ei proximus adhuc à Dordraco in consessu Ordinum totius Hollandiæ est locus, indictis Comitiis. Eam à multis retrò sæculis conditam fuisse fatentur omnes, sed quo tempore, non satis constat. cujus variæ conjecturæ. judicet lector quæ verissima sit: mihi suspendere judicium est animus, nulli obnoxius. Harlemum sive Haralemum, quod quidam malunt, priusquam vallo & mœnibus circumdata, Toparchia seu Dominium fuit Harlemeæ stirpis, unde & nomen. Quorundam opinio est eam conditam fuisse anno à Nativitate Christi CCCC, quia id testantur Hollandiæ annales: verum ante natalem urbis, Lemum arcem condidisse ad sui, suorumque custodiam, munitissimam, muro circumvallatam, turribus fastigiatam, fossis inaccessam contra prædones, quos debellavit terror hostium; ita ut virtutis ejus fama ad finitimos & longulè dissitos pervenerit. Pulsis fugatisque prædonibus, totam West-Frisiam infestantibus, ajunt eum in suo territorio vicos primum duxisse contiguis ædificiis; & paulatim mœnia novæ urbis agitasse, & de suo nomine locum illum Heerlemum quasi Lemi dominium nuncupasse; postea Harlemum vulgo dictum, & servatum hoc nomen per multa sæcula, usq; in hodiernum diem. Statim magna vis hominum finitimorum, confluentium undique tanquam ad asylum. Quæ ad structuram urbis facere videbantur, Lemus ille, ex illustri Frisiorum familia oriundus, undiquaque contulit, & condendæ urbi maximam pecuniæ vim impendit, atque omnem ad ædificandum materiam comportari jussit. Incredibile dictu quanta celeritate fossæ circumductæ, mœnia, ædificia, templa in altum ascenderint: quippe alii fossas ducere, alii mœnia munire, alii vallum obtendere, quod de nova Carthagine refert Maro: Ita omnibus unus amor, par studium ædificandæ urbis. Alii conditorem & arcis & urbis nostræ Le-

Natalitia urbis.

mum volunt Dibbaldi filium & patrem regis Aurundulii; credo ut primordia hujus urbis augustiora facerent; qui postea Frisiorum rex uxorem duxit incessu Junonem, Gigantis filiam, ex qua filium suscepit, cui Lemi nomen ab avo inditum, ordinis equestris rarum decus; eum esse quem in locis arenosis & sylvaticis arcem condidisse ajunt satis munitam, circiter annum à salu-
" tifero partu virginis I ↄ. VI,
" & postea ex arce urbem, quam
" Heerlemum quasi Lemi condi-
" toris dominium nuncupavit:
postea Harlemi nomen usque in hunc diem invaluit. Atque hæc quidem ex sententia Had. Junii viri incomparabilis. Sunt nonnulli scriptores etiam antiqui, qui Harlemi originem ducunt ex illustri Harlemæorum familia, quorum nobilitas ex Chronicis Hollandicis, Archivis Egmondanis ab Ampsingio, *pag.*4, longa serie ab anno M C XXIV. recensetur. Nam quis nescit Guilielmos, Brandanos, Sibrandos, Simones, Didericos, Florentios & innumerabiles alios, ex prima nobilitate equites, & Barones? D. Balduinus ab Haerlem in bello contra Frisones cæsus dicitur An. 1168. Iisbrandus in expeditione ad terram S. Comes fuit Sophiæ Principi Holland. ejusque filio minimo Otthoni. An. 1173. Inter hos Abbatem Egmondanum, & Simonem Harlemeos invenies, quorum hic Carmelitarum monasterium fundavit, An. 1249. Et alter Archimandrita Egmondanus. Item Joh. Harlemæum supremæ in Hollandia Curiæ Senatorem. Mitto cum nobiliss. familiis matrimonia, cum Brederodiis, Assendelphis, Berchenrodiis, quorum nepotes nostra adhuc memoria vixerunt, & jam vivere desierunt; tam antiqua & nobili stirpe denata. Et si habenda fides Junio, stirpem illam Harlemeam à Frisiorum regibus originem ducere omninò existimat, cujus adhuc exstant insignia in antiquo sigillo XII. merulæ truncatæ rostris & unguibus, divaricante cruce media argentea, quæ post urbem conditam, tam in pace, quam in bello circumtulerunt urbis incolæ. Postea accessit honos arboris arefactæ, atque emortuæ, coloris argentei in campo nigricante. Unde ista arboris insignia, non ausim dicere. Certum est eam à multis retrò sæculis in honore habitam, usque in hodiernum diem, eamque adhuc in Curia, in foro, in templis, in portis depictam perennare, sive ad memoriam nemoris antiqui, sive ad senescentis

Nobiles Harlem.

ævi imaginem. Hæc de arce & urbe quas Lemus condidit, aut, quod minus credibile mihi videtur, Harlemæorum poſteri. Fuit præterea (ne quid intactum relinquam) arx alia Harlemea, tertio ab urbe lapide in ripa fluminis prope Heemskircham, ea fuit lapidea ex lapide cocto, bipedali in longitudine. Eam dirutam & ſolo æquatam, ſive Tyranni impotenti dominio, ſive tumultu publico ſævientis populi, conſtans fama, & agnoſcit D. Hadrianus Junius in Batavia ſua. Fidem faciet illuſtre exemplum pietatis & amoris in maritum. Etenim cum loci Dominus, ob vim & effrænatam violentiam tyrannidis ſpecie, juſtum in ſe omnium odium contraxiſſet, cumque arctiſſima obſidione premeretur, præcluſa omni effugii ſpe, ac deficiente jam annona, & re cibaria, ad deditionem tandem compulſus; uxor ſingulari in maritum pietate & affectu pluſquam vulgari, pacta cum hoſte ut ſibi exportandi quæ cariſſima haberet facultas daretur; illa relictis cimeliis, atque omni gaza, conjugem, bulgæ incluſum, juvante in partem pediſſequa, extra arcem exportavit. ejus exemplum imitata Guelphes conjunx Bavariæ Ducis. Quidquid ſit, ſive ea CCCC anno, ſive IↃ VI à partu virginis aut aliquot ultra ſæculis, condita ſit, eam inter ſylvas natam, & ut ſic loquar educatam vicus indicat Bakenes, Harlemum vetus, Bacchi ſilvam volunt, vitibus, ulmiſque conſitam, & Baccho gentilium Deo ſacram. cujus incolæ Bacchiades olim, unde Bakenes dictum putant, alluſione ad Bacchi nomen. A Bakenes igitur Bacchiades, qui poſtea Harlemii nuncupati, quaſi Harlemi veteris incolæ & accolæ. Fidem faciet, quod in ejus ſolo vitium propagines ſubterraneæ, & radices craſſitudine inſignes, moliendis ædibus effoſſæ dicuntur. Alii aliud nominis etymon finxere, quod propius ad noſtratium idioma accedere videtur, & ita Bakenes dictum putant à ſpecula & locis uliginoſis, quod ibi piſcatorum vicinia quondam, qui, cum ad lacum (credo) piſcatum exirent, ad ejus loci turrim tanquam ad ſpeculam curſum dirigerent. Sed Pet. Scriverius antiquitatis Battavicæ ſcrutator ſummus, Vervecum patriam fuiſſe facetè indicat, & inde Bakenes dictum conjicit, quod Baeck antiqua lingua porcum, Nes uliginoſa loca ſignificat: neque id adeo abſurdum videri debet, quod in ſilvis & quercetis ſues paſcuntur benè opimæ: ſed

Bakenes unde.

veritas in obscuro est. Verum id certum est, illustrem fuisse locum apud majores nostros duobus abhinc & amplius sæculis, quod nomina indicant tam virorum, quam fœminarum ex prima nobilitate, quos recenset bona fide Ampsingius, inter quos ordinem ducit Nicolaus à Bakenes Scabinus An. M CCC LVIII. Usq; ad Bartholdum à Bakenes aulæ Egmondanæ præfectum, qui uxorem habuit Sonke Delphensem, qui obiit An. M IↃ XIII. In hac enim stirpe nobiles multi, quorum fit mentio in Chronicis: nobiles scutati Jacobus à Bakenes An. 1343, & alter ejusdem nominis, An. 1455. Ita Adrianus à Bakenes eques terræ S. filius Jacobi à Bakenes. Ita nobiles matronæ etiam in hac stirpe Hillegonda Jacob, quæ legavit Johannitis An. 1322. libras aliquot: Elisabetha à Bakenes cum filio Diderico, cujus nomen legitur in tabulis domus hospitalis. Item Katharina à Bakenes, quæ nupserat Franco Bouchorstio, An. 1457. quo anno & testamentum condidit. Redeo unde digressus eram, videlicet Lemi urbem inter querceta & dumeta conditam & propagatam, constare ex iis potest quæ jam dixi. Accedit & illud quod ipsum civitatis Xenodochium in sylva fundatum, indicant litteræ donatitiæ Comitis Florentii, datæ An. M CC LXXXIV pridie festum D. Nicolai. Tum vicis, plateis, portis, à sylvis vicinis nomen datum, & adhuc hodie plateæ, portæ nemorales; Ita ut amænitas aëris, loci opportunitas, multos atque adeo ipsos Comites Venationis studio deditos, in has partes traxerit, castella condendi, prædia ædificandi fastu aulico circa ann. 1280. Florentius ejus nominis VII. Holl. Comes, Dianæ sacram domum condidit. Hinc domus voluptuariæ, quas à volucrum circumstrepentium garritu, Avium concentus vocabant. Ubi omnis generis amænitates, nemorenses horti, delitiarumque monticuli, saltus innoxii ferarum fœcundissimi, agri fertiles, & palustres, & aucupiis aptissimi, colles ad leporum & cuniculorum venationes, quos Natura dedit, nati. Hic lacus piscosi, ad refrigeria æstiva torrentes: Hic Nympharum omne genus, in sylvis Dryades, & Hamadryades, in montibus Oreades, in aquis Najades, Sparni accolæ: ita ut cum Bajis Campaniæ, certare possimus Lemi posteri. Ita Harlemum Vetus, Comitum & magnatum sedes & aula, neque id sine ratione: Nam ut veteres Ger-

Germaniæ Principes nemora sacra habuerunt (auctor Tacitus) ita in iisdem solennia gentis Comitia, in quibus de repub. ageretur, celebrata, quo sc. sanctitate loci decreta publica augustiora & sanctiora redderentur. Hic mos vetus Germanorum, ita ad posteros fluxit, ut inferioris Belgii Principes, & Hollandiæ Comites, nemora, aut adsita loca nemoribus habitarent, atque in iisdem aula haberetur. Accessit & alia ejus ratio, bellum nempe anniversarium contra Frisones: cum opportuna Comitibus sedes Harlemum tum visa est, ut quæ Frisiis occidentem habitantibus esset proxima. Quot vero arces urbem cinxerint, ruinæ indicant adhuc hodiernæ, inter quas Alberti collis, ubi aula quondam Comitis, & gazophylacium. In eodem tractu utrimque castella, & arces ingenti mole, in propinquo adhuc arcis Cliviæ rudera, Vellesona, Hemerca, Renichomia: Castella, Bavarovicum, Gastricum, Poelenbyrgum, & complura alia, inter quę & antiquitate & nobilitate longè eminet castellum Baronum de lata virga, nostratium lingua Brederodiorum, ad Rheni divortia, cujus adhuc supersunt ruinosi parietes, quæ omnia quamvis altissimis fundamentis subnixa, tamen ea partim vetustas, partim flamma abolevit, & novissimè Hispanorum sævitia immanis. Hæc fere urbis nostræ incunabula, ante castellorum & arcium quæ suburbanæ eversionem, quæ variis Fortunæ casibus dejectæ & rursum conditæ, stantibus adhuc tantorũ operum monumentis, sed ruinosis. Jam verò quos novę urbi præfecerit viros urbis conditor, aut Lemi conditoris posteri, eorum nomina non habemus nisi ab An. 1200. ad Annum 1480. quæ partim injuria temporum, partim barbarorum & hostium incursionibus & rapinis interciderunt. veruntamen non est dubium, quin primus urbis conditor statum reipublicę imposuerit, & habuerit ad exemplum Romuli conditoris, ut juventus divisa per tribus, in equis, in armis ad subita bella excubarent, consilium Reipublicæ penes senes esset, qui ab auctoritate Patres, ab ætate Senatores vocarentur: alioquin impossibile fore, ut urbs pulchra, sed exigua primum, tanta incrementa caperet, ut inter alias Hollandiæ urbes caput extulerit, *Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.* Ea enim totius Keinheimeriæ metropolis, & Caninefatum caput; atque adeo forum causis agendis & decidendis, & quasi suprema

Hol-

Hollandiæ Curia, ſtatuentibus id Hollandiæ Comitibus,& volentibus ibi Juſtitiæ ſedem eſſe, ubi Juſtitia optimè adminiſtrari ceperat. Inde jus gladii: à quo originationem urbis deducit vir clariſſ. D. Profeſſor Boxhornius. quippe in confeſſo hoc ponit: veteri Comitum privilegio (quod jam dixi) huic oppido gladii publici cuſtodiam eſſe permiſſam: inde urbi nomen atque inſignia fluxiſſe, tanquam ex tripode adfert: quippe *Her*, aut *Har* dominum notat, *Lemmer* autem gladium, vel gladii laminam. Ex quo tandem ita colligit *Herlem* ſive *Harlem*, nihil aliud ſignificare, quam Domini, ſive Principis gladium, ad plectendos ſontes, in hac urbe à multis retrò ſæculis juſſu Comitum aſſervatum; atque Harlemeis jus datum Carnificem ſtatuendi, quod diploma indicat vetus Gulielmi Comitis conſignatum An. 1345. Unde & gladium urbis inſignia vult; neque novum illud videri, cum Rommerſwalia antiquum & nobile Zeelandiæ oppidum, eodem titulo urbis ſuæ jactet privilegia. Atque hanc certiſſimam urbis patriæ originationem eſſe contendit Cl. D. Boxhornius. Quidquid ſit, certum eſt, atque adeo extra omnem controverſiam, poſt urbem, leges quoque conditas, & præſcriptum non ſolùm à ſuprema Poteſtate imperandi, ſed etiam obtemperandi modum. atque ita paulatim coaluiſſe inter ſe civium ſocietatem, dandis accipiendiſque legibus, ſine quibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt conſiſtere. Ita ſtatum aliquem novæ reipub. impoſitum, non dubitem, qualem fere in aliis civitatibus adhuc hodie habemus: urbium verò cura, penes cujuſque Senatum & Magiſtratus ſemper fuit, quamdiu rempubl. habuimus, quibus conceſſum intra ſuum territorium, & leges quaſdam condere & ad urbis neceſſitates onera imponere. Inter hos, Senatores perpetui, Magiſtratus annui. Inde Senatorum collegia, diſcreta plebe, quorum non idem numerus, nec ordo: electio ex omni civium numero, qui virtute, ſapientia cæteris antiſtarent. Singulæ civitates ſua habent collegia, inter quos primum locum tenent Coſſ. & Scabini, numero diſtincta: nam quædam civitates in Senatu auguſto, qui à prudentia *Vroedſchappen* adhuc hodie vocantur, habent capita XLVII quædam XXXVI, quædam XXXII, quædam XXVIII, nonnullæ etiam XXIV. aut XX. dun-

duntaxat. Quæ collegia tam antiqua quam oppida, ampliari non poterant nisi ab superiore potestate, aut Curia suprema. Personæ semel in ordinem amplissimum receptæ, nunquam exauctoratæ, quoad viverent, perennabant. In locum eorum qui defuncti, aut civitatis desertores, eligi soliti ex eodem collegio alii atque alii liberis suffragiis, aut ex toto Civitatis corpore, qui surrogari soliti in locum eorum. Penes hæc collegia, suprema auctoritas & potestas, de rebus publicis & municipalibus, decernendi & definiendi semper fuit. Et quidquid ab illis decretum, id ratum ab omnibus civibus habetur, nemine contradicente. In eodem isto collegio Magistratus in singulos annos creari soliti Coss. & Scabini. In quibusdam civitatibus electio simplex; in quibusdam duplicato numero denominatio, ex quibus electio penes Principem, aut gubernatorem, aut Curiam supremam: Coss. politia credita est, item administratio bonorum Civitatis, ejusdemque conservatio, & protectio. Scabinis Justitia committitur ex æquo & bono, tam in criminalibus quàm civilibus, usurpantibus supremam pariter & subordinatam potestatem, in capita fortunasque civium suorum. Vicorum quoque jurisdictio duplex mansit semper. Major minorque, quarum minor per Sultetum & Scabinos, Major per Balivum & feudorum possessores, aut agros colentes potissimos, quos benenatos vocant, jam tum expediri solebat. Erant etiam ut adhuc hodie propriæ cognitiones silvarum & venationum penes Saltuarium ejusque sodales. Hæc fere civitatum Hollandiæ Politia, à majoribus instituta, & nobis quasi per manus tradita, cujus leges & consuetudines pleræque hodie adhuc obtinent. verum de his accuratius postea lib. Annal. Inde incrementa urbis suprà quam credibile est. Sed tum maximè inclaruit, & verticem in cœlum sustulit, cum Gulielmus XIV. Hollandiæ Comes Harlemi natus atque educatus à teneris quod dicitur unguiculis: qui anno. ætatis M. CCXLV. Dei gratia Romanorum rex creatus, & jam potens, & in majestatis fastigio positus, patriæ amorem deponere non potuit, sed urbem istam in qua primum lucem adspexerat, ampliss. privilegiis, atque immunitatibus decoravit, eosque præ aliis, qui aut indigenæ atque incolæ in Hollandia essent, singulari prærogativa cives appellari voluit Harlemæos,

Increment. urbis.

ab antiqua & generosa Harlemeorum stirpe. Atque hæc de urbis origine habui dicere, porro dicturus de proferendo urbis pomærio, & ampliatione si Deus vires dederit. Crescente igitur paulatim civium frequentia & numero, & auctis brevi tempore viribus, Comitis Gulielmi indulgentia, ut nulli finitimarum civitatum, magnitudine aut potentia tum temporis cesserit, quando de producendis urbis mœnibus seriò cogitatum, ab iis qui tum rempub. administrabant rerum Dominis: Visum est à parte meridionali, qua rivus, sive aquarum divergium, (*Becam* vocant) opus inchoare; qui Caninefatum fines terminasse videtur; quique Civitatis antiquæ mœnia quondam alluebat, nunc mediam urbem in fori ædisque primariæ vicinia secans, Sparnum amnem intrat. Prima igitur urbis antiquæ mœnia Caninefatum fines disterminabant. De latiori urbis circuitu, & pomæriis proferendis exstant adhuc litteræ publicæ (quamvis multo antiquiores aliæ) in Archivis, à Philippo II. Hispaniarum rege, Hollandiæ Comite, quæ mentionem faciunt geminam productæ urbis. Quarum prior censetur initium ducere à versatili tympano, Rotam vocant, quę proprie axis in peritrochio, machina quæ ad Sparnum ad exonerandas naves accommodata, unde Lucret. lib. 4. *Multaque per trochleas & tympana pondere magno Commovet atque levi sustollit machina nisu:* & ita porro tendere meridiem versus, usque ad fossam veterem, & sic tandem in orbem præterlabi Bacchi sylvam, vulgo Bakenes, Sparnum usque. Sed cum adhuc nimium angusta visa urbis spatia, decretum ampliare urbem, cum interjecto in orbem ad ædificandum spatio ingenti, locum novæ urbis designarunt. Itaque sulco altius impresso, fossam ducere, urbem colonia extendere, ponte jungere, & muro tueri hinc inde ceperunt. Neque id solum, verum etiam Senatus auctoritatem numero ampliavit amplissimus Ordo, magno Civitatis incremento & stabilimento, circa annum 1333. Cum nulla adhuc trans Sparnum ædificia, aut rara, sustulerunt animos nostrates, tam secundis urbis auspiciis, cum latius adhuc propagasse fines suos acta indicant publica, Scabinorum sigillo consignata. Anno 1380, ipso D. Valentini festo, quod fuit XIV. die Februarii. Et ante ea tempora etiam, transtulere Penates suos trans Sparnum,

eum utramque ripam ponte jungerent, magnificis ædibus ornarent, & ultrà vicis disterminarent. Inde plateæ in remota urbis parte, Sparni agger, terra aggestus ob amnis impetum, crescente subinde lacu vicino. Et ob hortorum vicinitatem trans Sparnum à dumetis proximis Hage-vicus vulgo dictus, quem fossa præterlabitur Byrgensis: Et ultrà fossam quæ mœnia ambiebat, platea, quæ ad extentorium vulgo dictum ducebat, videlicet, ad palorum compagem illam, in quibus distendere pannos fullo solitus, & solibus exponere: Et ita tandem Schalcvicum usque producta mœnia, quæ hodie adhuc urbem cingunt extrema. Ab altera quoque urbis parte quæ ad subsolanum, agger etiam Sparno oppositus, muro inclusus extremo ambitu, ubi ædificari naves solitæ ingenti mole: Ita naupegi quoque recepti intra urbis mœnia, abhinc annis circiter ducentis. Anno 1524. Civitas divisa in XXIV. regiones certa vicorum limitatione. Denique vigente indies textrinâ, & telarum pretio indies crescente, ante annos minus quinquaginta, nostra memoria, non producta urbis mœnia, sed extentorium, quod intra urbis ambitum, translatum in agrum suburbanum, ad fullonum & mercatorum commoditatem; ut moliendis novis ædibus signum tollerent, & novæ structuræ occasionem & locum darent: ubi vicino templo statim reformato & restaurato D. Annæ sacro, plateis metatis & divisis fundis justa mensura, ductis fossis, jactis pontibus, id brevi tempore effectum, ut locus ille ad fullonum usum qui destinatus fuerat, novæ urbis imaginem referret. Anno 1610. Novissime autem cum præ multitudine incolarum, domicilia nondum sufficerent, & habitacula deessent commoda, fundum D. Johannis struendis ædificiis destinavit ampliss. ordo, interjectis ad mutua commercia plateis, ubi certare inter se videntur adhuc hodie fundi istius emptores, de structura acceleranda & perficienda, durante adhuc fabrica. Atque hæc quidem de incremento urbis scripta invenio ad Annalium fidem partim, partim ad nostram memoriam quæ pervenere. Quo tempore jacta urbis fundamenta, initio diximus, deinde, incrementa ejus suprà quam credibile est, ita ut urbis ambitus hodie sit DCXXXIX. decempedarum, facta dimensione à turri quæ à cæco nobili nomen ducit, usque ad pontem D. Ca-

Urbis ambitus.

D. Catharinæ ad ſeptentrionem. *Ædificia.* Nunc ad ædificia tranſeo, quæ vel publica, vel privata, vel ſacra, ut templa, monaſteria, cœnobia, vel ad ægrorum & pauperum ſolatia, ut Xenodochia & hoſpitalitatis domicilia, intra urbis mœnia quæ ſunt. Ac primo quidem loco mihi ſeſe offert *Baſilica.* baſilica, Comitum palatium, ubi Hollandiæ & Zeelandiæ Comites plerique, & regni proceres aulam habuere à temporibus Comitis Florentii ejus nominis II. ab anno 1091. uſque ad Philippum ejus nominis primum, qui XXIX. Hollandiæ Comes cognomento bonus. Ad fidem facit, quod in faſtigio Baſilicæ, multorum heroum & Comitum ſtatuæ erectæ, quæ noſtra ætate integræ adhuc, ex lapide vivo inauratæ in perpetuam Comitum noſtratium memoriam. Inde in propinquo vicus Regius, per quem itare ſolitus ad ſacra Gulielmus ejus nominis II. Romanorum rex, in ordine Comitum Hollandiæ XVIII. inde vicus aulæ proximus, in quo Margaritarii, & unionum propolæ habitarunt ad commercia aulica, circa annum fere 1250. Dein Florentius ejus nominis V. in ordine Comitum XIX. Baſilicæ partem eam quæ ad Occidentem, ad pios uſus vertit, & fundum aulæ contiguum Ordinis Dominici relligioſis Prædicatoribus donavit, qui vulgo Jacobitæ dicti, quod Pariſiis in vico S. Jacobi habitaſſent, inde vicus Jacobinus adhuc hodie. Comites interim exſtincti aliquot, Florentius ejus nominis V. violenta morte, præmatura Johannes ejus nominis I. aliique qui Hagam antiquam Comitum aulam ſe contulere, nonnulli comitiorum cauſa, alii ſupremæ Curiæ ſplendore. Et quod fidem majorem meo judicio meretur, cum Harlemum limitanea tunc fuerit Hollandiæ civitas, bello Friſico vel ſopito vel feliciter confecto, aula Comitum Hagam tranſlata, nemoroſam quoque Curiæ civitatis deſtinatam non obnitente Comite. Ante ea tempora Curiam Magiſtratus habuit in propinquo ad forum, quam poſtea incoluit Joh. Zurenus vir clariſſimus & conſularis, ubi vicus Vulcanius ſeu fabrilis ad orphanotrophium monſtrat viam. *Curia antiq. nova.* Ita Comitum aula occupata à Magiſtratu Politico: qui eo tranſtulere archiva omnia, commentaria, tabulas publicas, arcana rei publicæ: ubi jus dicere, remque publicam curare conſuevere majores noſtri, uſque in hodiernum diem. Sed florente repub. nimis anguſti

Cu-

Curiæ limites visi, quod ad coërcendos maleficos carcerem non haberent intra Curiæ parietes. Ita ampliata Civitatis domus, cujus structura magis operosa, quam Comitum antiqua illa. Antiquitate pœne dixerim proximum *Gymnasium* publicum, à multis retrò sæculis conditum, remotum ab omni strepitu, curribus inaccessum, cingente utrimque vico scholastico angusto, proxime Curiam antiquam, conferente jus docendi publice, ad formandam juventutem, in litteris & moribus, Alberto Austriæ Duce. Anno. 1389. Postea Musarum domus translata in vicum Jacobitarum, ubi collegium quondam fratrum Cellitarum seu vespillonum sacrorum fuit. Ad Scholam proximè pertinet bibliotheca publica, quam Scholæ vicinam fuisse conjicio, translata me puero in cœnobium Jacobinorum in suprema ædium parte in ipso aulæ vestibulo: ubi benè instructa bibliotheca, in qualibet facultate, in lingua qualibet libri, præterea multi codices manuscripti, cui hodie præsunt D. Ioh. Crucius & D. Theod. Wiickenburgius Ecclesiæ Harlemianæ pastores non è multis. Sunt & alia ædificia Civitatis publica ad annonam quæ faciunt, & vitæ inopis subsidia.

Anno 1620. Schola pub.

Macellum tam vetus quam novum. Prius illud conditum Anno 1385. D. Matthæi festo inchoatum & optimis institutis fundatum: quæ confirmavit etiam dato speciali privilegio Albertus Bavariæ dux in vico olitorio, juxta templum Bavoni sacrum: interjecto ponte, Macellum alterum ad forum, proxime templum, ad occidentem structura magnificum, & si molem operis spectes palatium verius quam macellum. Sic ad suum cuique tribuendum Libræ seu stateræ ædificium publicum, humile primum & obsoletum: Postea cæptum ædificari novum, ex lapide vivo & quadrato substructum, monumentum ære perennius. Ad tutelam urbis & civium jaculatorum oblectamenta, ædes publicæ. Quarum alteræ prope Gangolphi templum, ubi hodie forum boarium, magnificis receptaculis & atrio spatioso exornatæ, & horto nemoroso septæ. Alteræ in vico nemorali non procul à porta in usum jaculatorum exstructæ, abrogatis sacris; erat enim locus ille consecratus S. Michaeli, ubi & arborum non feracium densa silva ad amænitatem civium & incolarum. Ad hæc rerum venalium fora. Quorum primum maximumque ad civium com-

Macellum. *Statera ædific. Anno. 1598.* *Aedes publ. jaculator.* *Anno. 1522.* *Fora.*

mercia in urbis meditullio, Arenam vocant: cujus forensem nundinationem dimidia ex parte Florentius Holland. Comes Alberto à Velsen tribuit An. 1266. Et juxta forum piscatorium, fornicatum, columnis subnixum. Sub dio forum boarium, quod primum in Arena fuit, postea extra Crucis portam Anno 1572. Post famosum incendium, Forum boarium fuit translatum ad aream, ubi templum olim S. Gangolphi. Forum porcinum in lata area prope orphanotrophium: ubi & rei frumentariæ forum: aliud etiam ad pontem piscosum, lacteum, aliaque complura. Hæc publica fere Civitatis ædificia & loca ad civium commercia. Sacrarum ædium cura proxima fuit, cum templa, fana, sacella ædificari cæpere, gliscente paulatim pietatis zelo & numinis reverentia.

Templa. Antiquissimum hujus urbis Templum in *Bakenes* fuit, illa enim regio Civitatis Harlemum vetus dicitur, templum adhuc integrum & inviolatum, nisi quod ex parte, civium habitationibus destinatum, manentibus interim templi fundamentis. Postea cum Ecclesia Reformatorum incrementa sumeret indies majora, revulsis parietibus interaneis restauratum ad sacros usus, ubi Euangelium prædicari cepit, & annuntiari verbum Dei, purum & ab omni superstitione defecatum. Vetustate proximum S. Gangolphi templum, *Gangolphi templum.* ubi nunc forum Boarium, quod regni proceres & Comites, & ordinarie & relligiose Gulielmus II. Romanorum rex, in ordine Comitum 18, frequentare solitus, unde & nomen vico. Quando vixerit Gangolphus ille, cui consecratum hoc templum, Chronica indicant antiqua, quod militavit sub Puppino imperatore contra Saracenos illustris heros, rebus feliciter gestis clarus, & vitæ sanctimonia celebris. Cui etiam tribuitur miraculum excitatæ scaturiginis defixo in terram scipione. Quæ D. Ampsingius popularis meus miracula narrat, illa ad risum magis quam ad fidem faciunt. Quo autem tempore conditum hoc templum, non ausim dicere, quippe veritas in obscuro est. Sed certum est, Carmelitarum cœnobium conditum *Anno 1249.* fundatumque fuisse, à nobili ordinis equestris viro D. Simone *Carmelitarum cœnobium.* ab Haerlem, qui relicta domo sua & propriis laribus, fundum donavit, & cœnobium multis donariis ditavit, qui obiit An 1280. ibique in fundo suo sepultus ante sublime altare. In hoc cœno-

bio

bio tabula fuit in qua Comites depicti omnes à primo ſtirpis authore Diderico, qui originem duxit (ſi annalium conſtat fides) à Trojanorum ſanguine, & Francorum regibus, tam ſtirpe quam virtute bellica nobilis, uſque ad Maximilianum Auſtriæ Ducem, qui Mariam duxerat Duciſſam Burgundiæ &c. Comitiſſam Hollandiæ, Zeelandiæ, ut videre eſt in Curia, Comitum longa ſerie. Hoc cœnobium funditus everſum & dirutum noſtra adhuc memoria; ſervata tabula & ſuſpenſa in palatio, in honorem Comitum noſtratium. Cœnobium S. domus hoſpitalis, ac juxta templum beati Johannis tam celebre quam antiquum. Nam An. 1110. Iohannitarum ordo cepit, cum debellata Rhodo inſula S. Mariæ Magdalenæ die feſto, ſub veſperam Harlemum appulere D. Ioh. Baptiſtæ hoſpitales, in cœnobium non alienum ſed ſuum, quod Iohannes Epiſcopus Sudenſis, nobilis & patritius Ultrajectinus, & Commendator domus S. Katharinæ, traditum ſibi à D. Tetrode Canonico Trajectenſi D. Mariæ, fundavit & conſecravit in honorem Dei, & B. Virginis Mariæ, nec non Ioh. Baptiſtæ Chriſti ſalvatoris noſtri præcurſoris. Eo ipſo tempore, cum Templariorum ordo, in quavis orbis terrarum parte, uno die exſtinctus penitus & ſublatus dicitur. Veterum annales hoc habent in Gallia, ejuſdem Ordinis fratres in vincula conjectos & incarceratos, & Ordinis ejus generalem cum proximo collega Lutetiæ Pariſiorum vivos in rogum conjectos, & ſubjectis ignibus combuſtos. Illud utrum evenerit Philippi Galliarum regis invidia, an vita diſſoluta, dubitatur à multis: quamvis non temere videtur jactatum vulgo proverbium, de iis qui ſtrenue bibunt, & potu ſeſe ingurgitant, ad exemplum Templarios imitari. hoc certum atque indubitatum, bona eorum & reditus annuos ad Rhodiorum Ordinem tranſlatos. Templariorum nomen originem inde habuit, quod, ut Chronica habent antiqua, in templorum veſtibulis excubarent noctu interdiu, contra Saracenos & Turcas, qui Chriſtianos in terra S. aſſiduè infeſtabant, expellere eos aliquoties conati, ſed fruſtra. Illi cum rem ſtrenue geſſiſſent, & impiorum Turcarum violentiam armata manu averruncaſſent, in Ordinem ſpirituale relati & ſanctorum Canones à Papa Eugenio ejus nominis II. Verum, cum ejus ordinis fratres, in nemore

ſuburbano Cœnobium habebant mutata ſtatione, cum omnibus facultatibus, & tota ſupellectile, in domum hoſpitalem Johannitarum commigrarunt conſilio & inductione viri nobilis Gulielmi Egmondani. Anno 1313. Nec ita multò poſt Anno 1316. idem ille jam dictus Epiſcopus Sudenſis atrium regale ædificavit, & anno ſequenti templum condidit pulcherrimum & turrim loricatam, anno proximo conſummatam. In quo templo nomen Dei, & beatæ virginis Mariæ memoriam & Joh. Baptiſtæ, ſumma veneratione coli & celebrari voluit. Quo tempore D. Didericus à Brederoo ad uſus ſacros calicem donavit ex puro auro. Atque hæc fere S. domus hoſpitalis primordia fuere, & ſtatim incrementa in dies majora. Commendator primus S. domus hoſpitalis S. Joh., Hieroſolymitani Jacobus Sudenſis, Epiſcopus Trajectenſis fuit, qui inſtituit ordinavit fratrem Arnoldum vice-commendatorem, & locum tenentem domus ſuæ, data plenaria poteſtate, transferendi, locandi, tradendi ſub annuo cenſu, vendendi, & alienandi bona noſtra ſita in parochiis quibuſcunque. Et tandem Commendatorem & fratres S. domus hoſpitalis hæredes inſtituit omnium bonorum ſuorum, quæ ad ſummam octigentarum librarum Turonenſium nigrarum valebant. Et poſt eum D. Nicolaus, dictus Eggeliin, Capellanus ſive ſacellanus, Deo & B. Mariæ conſecravit, & Joh. Baptiſtæ ac viris relligioſis, D. Commendatori & fratribus domus hoſpitalis omnia bona ſua tam mobilia, quam immobilia ſibi debita, habita & habenda, acquiſita & acquirenda, ubicunque locorum ſita ſunt, ſine ulla exceptione, Anno 1326. Et cum apud Magnates gratioſi eſſent, crevit potentia Johannitarum, & locupletior facta domus hoſpitalis. Ac primum Comitis Gulielmi liberalitas, qui in prælio adverſus Friſones cecidit, inſignis, qua Commendatori, aliiſque ejus Ordinis fratribus, omnia *feudalia*, & emolumenta regalia, quæ in comitatu Hollandiæ jam ſunt, aut poſtmodum futura, exigenda dedit, datis ad fidem litteris, quas & obſignavit, idque eâ conditione, ut jam dictus Comes & poſteri ejus cum toto comitatu hoſpitii jure fruantur in domo Beati Ioh. hoſpitali. Et poſtea ut pondus adderet promiſſis, voluntatem avunculi ſui literis ſigillatis confirmavit Albertus Comes Palatinus ad Rhenum,

num, Bavariæ dux. Anno 1433. Ita Philippus Burgundiæ dux Anno 1447, multa largitus donaria, decimas, prærogativas, reditus annuos, stipulatus ut Comites posteri & Comitissæ in cœnobio B. Ioh. hospitalis hospitium haberent. D. Didericus à Wassenaer benevolentiæ testandæ causa, Commendatori & fratribus S. domus hospitalis legavit jugera novem. Mitto innumerabiles alios qui bene merendi de Iohannitis studio, & pietatis zelo magnam patrimonii partem in domum hospitalem verterunt. Hic ordo Iohannitarum continua Commendatorum successione cæpit ante CCC & amplius annos: quod videre est in aula Principis, ubi suspensa tabula Commendatorum qui Ioh. Baptistam professi, à primo Arnoldo qui fuit anno 1310. usque ad Andream Souvium ultimum Commendatorem Anno 1618.

Verum illustre in primis templum quod Bavoni sacrum, opus sanè operosum & magnificum, quod cum Ephesinæ Dianæ templo certare posset, sive molem operis sive structuram respicere quis velit. Templum ut refert Hadrianus Iunius Augustum, & architectorum judicio celeberrimum, pulcherrimumque, opus firmissimis innixum columnis, fornice laqueata ex intestina materia, quod spatioso & quadrato imminet foro. Quo tempore inchoata primum templi structura, quando prima tanti operis jacta sunt fundamenta, non satis constat, veritas in obscuro est; nisi quod Petrus Montanus refert, hoc templum consummatum fuisse Anno 1472. Condi cæptum florente repub. & crescente mirum in modum civium numero, & vitæ sanctimonia; consecratum Bavoni, juvante & promovente tantæ molis opus Alberto Bavariæ Duce, qui à Papa Bonifacio ejus nominis IX. obtinuerat indulgentias papales ad promovendam perficiendamque ædis sacræ structuram. Statim ex quavis orbis terrarum parte, mira vis hominum undique confluentium, ad demerenda diplomata venialia à Pontifice. Ita quotannis die Dominico à festo Pentecostes proximo, pecunias liberaliter ad templi ædificationem contulerunt, gazophylacium magnis thesauris ditarunt. Similes indulgentias concessit Papa Clemens ejus nominis V. ad ædificationem templi, quod D. Bavoni consecratum, qui licentiam dedit conferendi bona sua ad ædis S. structuram, bona inquam, inventa, rapta, malè

acquisita obstrepente conscientia, sine ulla bonorum ejusmodi restitutione, si hæres proximus ignoretur. Bullas hasce pontificias & veniales sigillo plumbeo consignatas renovavit, confirmavit, ac stabilivit, cum supplemento errorum qui incidere potuerunt, Sixtus Pontifex, Anno 1472. & post eum Innocentius VIII. Pontifex. Anno 1490. Tantam enim inesse vim bullis illis papalibus miseri tenebriones credidere, ut de æterna salute non dubitarent, quotquot litteras veniales pretio emissent. Et quod pro oraculo habitum, hoc omnium animis quasi trabali infixum sedebat, quod simulac nummi, in gazophylacium missi sonitum darent, simul etiam volucres animas è purgatorio in cœlum evolare. Adhæc nullum tam grave crimen, aut peccatum, quod litteris venialibus expiari non possit. Denique per bullas Pontificias homines omnium scelerum & flagitiorum impunitatem mereri suis persuadebant. Qui tanti operis fabricæ præfuere, eorum nomina non habemus: hoc certum atque indubitatum, duos fuisse non eodem tempore Architectos, arte insignes: id ipsum indicat structura heterogenea & columnarum diversitas. Nam quæ ad occasum columnæ structiles usque ad fornicem lateritiam, Tuscanæ videntur, sed duplicatis capitulis. Quæ verò ab ortu hoc est à Choro initium ducunt Ionicæ sunt. Certasse inter sese architectos illos artis ostentandæ studio verisimile est, & magis eos famæ intentos fuisse, quam pecuniæ aut lucro. Et quamvis inter summos artifices odiosa comparatio est, tamen anterior templi structura quæ est ab ortu, summorum Architectorum judicio, symmetria, nitore, elegantia, eminere videtur, creditur etiam, devexis leniter ad columnas spiris. Quicunque tandem illi tanti operis authores, immortali memoria digni, digni quorum nomina columnis inscribantur. Præter columnas & substructiones sursum, lateritiæ intermediæ fornices conditæ Anno 1483. Et ante sacrarium Anno. 1452. Postea propulæum ad austrum Anno 1490. Ita ædificantium studia invalescebant indies magis. Tum è ligno fornices intermediæ affabre factę concamerato trabium nexu. Quarum prior pars quæ est ab occasu inchoata Anno 1528: Fornix altera ilignia quæ est ab ortu, inchoata Anno 1532, perfecta Anno 1538. Et tum bis itum per civitatem ad petitiones subsidia-

ſidiarias. Author ejus operis fornicati Petrus Bagiin nobilis architectus. Fornix denique laqueata & picturata in templi meditullio cui turrita moles incumbit, ſubnixa columnis, Anno 1535. Erat enim in templi faſtigio turris quoque non magnæ molis. Sed cum nulla eſſet ad molem templi proportio, Aeditui de exſtruenda turri ex lapide vivo, conſilia cepere. Opus illud inchoatum Anno 1502, irrito conatu, maximis impenſis. Durante enim ſtructura tribus annis impenderunt MCLXXXVI florenos: Et minante ruinam fundamento, & fatiſcentibus columnis ſolidis, quibus ſuperſtructa, mutatis conſiliis turrim è ſaxo vivo gravem demoliri coacti ſunt. Et quoniam tanti operis ſtructura faſtigium requirebat, anno proximo qui fuit 1516, è ligno turrim ædificare cepere faſtigiatam, loricatam, ſurgente in altum gradu ad ſummum uſque verticem, coëmpta ingenti trabium & lignorum ſtrue ad ſummam librarum XXX. Perducta jam turri ad juſtam altitudinem, eam plumbo ſuperinducto inveſtiverunt operis ſtructores. Nec ita multò poſt in turris faſtigio erecta Crux librarum CLXII. ex ferro: conſtitit libris II. argenteis, & ſolidis VI: fabricata à Jacobo Simonis Edamenſi An. 1519. Perducta jam turri ad juſtam altitudinem, cura proxima de campanis fuit. Ex ærario publico dati CC. flor. Sed cum Civitatis res acciſæ ſatis, exhauſto pœne ærario, Aeditui cum Sacellanis inſtituta univerſali collecta, oſtiatim ſubſidia à civibus petivere, & cum ſatis liberaliter pecunias contuliſſent, Anno 1503. Septemb. 26. fuſa Harlemi Campana incendiaria opera M. Gerardi Campenſis immenſi ponderis millium librarum XI: nomen Campanæ datum in ludicro baptiſmo ROELANDVS. Annis aliquot ſequentibus, ſuſpenſæ Campanæ VIII, horarum præludio deſtinatæ, quæ locatæ civi Mechlinienſi fuere: pro ſingulis C. libras & 35 ſtuferos æditui pependerunt. Et quoniam campanarum mentionem fecimus, ſeorſim æramentis & campanis deſtinatam domum reperio, fabricatam & compaginatam tranſverſarum trabium artificioſo nexu à Gerardo quodam de Ry. Ubi campanæ omnes baptiſmate quoque initiatæ ex veterum ſuperſtitione, data ſingulis ex ordine nomina, Ieſus, Maria, Ieronymus, Lambertus, Blaſius, Catharina, Veronica, Anna, &

in Divorum ordinem novissimè receptus Bavo: quæ motæ simul sonitum dedere horrendum, ad modum Tonantis Iovis, flagitante id aliquo ex civibus novitatis avido, honorarium pollicitus servili turbæ.

Superna templi contemplati sumus & structuræ sublimioris fabricam, ad inferiora me submittam, tam ad cultum & usum, quam ad ornatum quæ faciunt. Usum inprimis habet initiationis baptisterium ex ære Corinthio Mechliniæ adornatum Anno 1422: tum baptisterii sella: & circa baptisterium cancelli faberrimè facti ex ferro ad modum cratis. Et cum ædes sacræ jam formam aliquam haberent & strata jam pavimenta essent, Suggestum concionatorium erectum sublime & operosum, Anno 1432. nec siletur nomen artificis, Iacobus statuarius cognomento. In quo primam concionem habuit de Dominica passione minorum fratrum monachus Amstelodamensis gloriosus Anno 1461: In choro autem sacrarium quasi Sanctum Sanctorum inchoatum inaccessum, oculis aspectabile objecto vitro, conditum perfectumque Anno 1452. Ad cultum pariter atque ornatum Altaria S. Crucis & beatæ Mariæ anno 1435. Bavoni inprimis, cui hoc templum consecratum, hic honor habitus, ut statua erecta sit ex argento magni pretii, quæ pendebat selibras IX. ponderis Coloniensis. Et cum relliquias ejus relligiose haberent, qui sacris præessent, decretum ut in cistula argentea Bavonis ossa conderent, & sacra haberent: ita collecta à civibus pecunia parata cistula & consecrata magna veneratione Anno 1472. Et decennio & amplius post, erecta crux argentea librarum VI. & semi. Et ne quid deesset ad cultum idololatricum, S. Mariæ Statua suspensa de tholo Anno 1506. Multaque alia ornamenta & cimelia ad fascinandos hominum oculos. Ita Pelicanus qui & platea ex ære Corinthio relligiose habitus hieroglyphica Christi imagine, quam avem Ægyptiam finxere omnium gentium pictores, sed naturalis historiæ scriptores eam non dari in rerum natura constanter asserunt. Verum de vulture idem fere tradunt Ægyptii quod de Pelicano pictores: Eum, ne fame pereant pulli, femori suo vulnus infligere, & emanantem sanguinem ab illis exsorberi. Meminit tamen Pelicani uterque D. Hieronymus & Augustinus, qui tametsi nonnihil discrepant in

verbis, in volucri myſtica conſentiunt: uterque agnoſcit matrem volucrem, pullos paſtos aut reſuſcitatos ſanguine. Salva veritate, ſequar communem opinionem, volucrem eam effigiatam in ære, eam impacto in pullos roſtro ſuos occidere, occiſos lugere toto triduo, & ceſſante luctu matrem ſe vulnerare, & ſanguinem fundere ſuper natos pendentes ab ubere, quo lactati illi reviviſcunt, quod miraculo proximum. Pelicanus ille qui adhuc hodie effigiatus à Johanne Feri, & in choro collocatus ipſo S. Criſpini feſto. Porro ad ornatum cancelli ex ære Corinthio ad chorum ſecludendum, Mechliniæ facti anno 1510. cujus archetypum Theodorus Sibrandi invenerat. Denique veſtibulum ingens ex ligno fabrefactum ad occaſum, & duo altera, ad ſeptentrionem & auſtrum. Anno 1509. Ad ornatum faciunt quoque ſacella ab utraque templi parte, hinc ad ſeptentrionem, ubi præter aliorum ſepulchreta monumentum Mag. Martini Heemskerckii pictoris celeberrimi, qui alter Apelles, qui in honorem artis Apelleæ, legavit certam pecuniam pauperculis, ſed honeſtis, qui in tumulo ejus conjugio initiandi: ubi ſacellum proximum Schageniorum manibus deſtinatum. Ab adverſa parte è regione ad auſtrum *Zythepſarum* ſeu cereviſiariorum ſacellum, ubi & arcam habent iſtius contubernii præfecti. Præter alia ædis ſacræ penetralia, Aedituorum conclave, Conſiſtorium, Diaconorum & Leproſorum arca, hierophylacis domicilium, & atrium, ſynedrium fratrum claſſicorum. Atque hæc fere Civitatis templa præcipua & illuſtriora fuere. Quare ad Cœnobia accedo, quæ fana ſua & templa etiam habuere, proportionata ad collegia tum fratrum, tum ſororum, quæ virginitatis vota feciſſent, qui ea incolebant. Hic primo loco mihi ſeſe offerunt, antiquitatis prærogativa, *Dominicanorum* & *Carmelitarum* cœnobia, quorum prius indulgentia Florentii Comitis V. conditum atque inſtitutum, Anno 1247. qui magnam palatii partem quæ eſt ad occaſum ad pios uſus vertit, & Deo conſecravit. Poſterius fundatum à nobili equeſtris Ordinis viro D. Simone ab Haerlem, cujus ſupra mentionem fecimus. Prope Harlemum cœnobium olim conditum viſitationis Mariæ titulo, circa annum 1406. per venerabilem patrem D. Hugonem Golſmit præſbyterum, *Auguſtinorum mona-*

Dominicanorū & Carmelit. cœnob.

sterium Anno 1490. Oct. 20. *conditum. Franciscanorum* minorum fratrum ordo instituto collegio cæpit Anno 1455. *S. Antonii* cœnobium occupatum ab Abbate insulæ D. Mariæ in Betua territorii Culenburgensis, servato eodem nomine, cujus fit mentio in archivis, Anno 1470 in Augusto. Rursum An. 1484. circa D. Lucæ festum restauratum fratrum *Albatorum* collegium ab Abbate Mariano, quod prius fundatum à Regularibus à LXX. annis retrò. Hoc monasterium nuncupatum postea Protostasia seu Præpositura S. Antonii: & Monachi ab indumento D. Albati: unde adhuc vico nomen. Monachi illi, cum perfuncti sacris vitam genialem agerent, & dissolutè viverent, & Ecclesiæ scandulo essent, omnia eorum bona & reditus assentiente Pontifice, translata ad usum Xenodochii S. Elysabethæ Anno 1541. Martii. 9. die. Fuit etiam Harlemi *Canonicorum* collegium, quod constabat Decano & Canonicis XIV. derivatum ab antiquo illo, quod institutum Anno 1307 à Nicolao Puttenio & uxore ejus Alytha à Stryen. Hoc collegium translatum, cum sedes Episcopalis Harlemi fuit, ad templum Cathedrale Harlemi sacrum Anno 1561. Nec pauciora Virginum vestalium cœnobia fuere, quarum hæc præcipua, quæ ab aliquot retrò sæculis condita fuere; cum plurimæ in hoc sexu nobiles & nubiles de plebe, virginitatis vota fecerunt: quibus signum sustulit Arnoldus Sassenhemius: qui virginalis pudicitiæ studio, tum in hoc, tum in alterum, quod Harlemi vestalium Choro dicavit & ditavit, (superat fidem, quot latifundia, agros, prædia & annuos reditus habuerint,) magni cognomine vulgò celebre, opes suas largiter effudit ante annos aliquot, quod exstrui cœptum anno 1262. Ubi nunc Ecclesia Gallica ab Anno 1590. Proximæ S. Magdalenæ virgines prope urbis pomæria, ubi nunc atræ luis domus: hujus cœnobii memoria antiqua, cujus fit mentio in litteris antiquis consignatis à Gualthero Bekesteiin, & Ioh. Petri Hals Scabinis, Anno 1475. Maii die 30. *S. Michaelis sororum* conventus olim in trivio memoralis plateæ, ubi nunc jaculatorum hortus, conditus atque institutus Anno 1488. Aprilis 8. die. Nec procul inde *Sorores S. Claræ S. Annæ* collegium habuere relligiosum. Ita nulla pœne urbis regio, in qua non virginum devotarum collegia. Prope Gangolphi templum

Virginum cœnobia complura

plum ad fossam fulloniam *Sorores discalceatæ*: ad fossam veterem prope pontem Iacobinum Sorores *Aethiopissæ*, nigræ Lipf. nec procul inde *Virgines Zylenses* tam superstitiosæ quam laboriosæ, quæ colo & lana & telis texendis cœnobium ditabant, præposito suo obsequentes: unde & vico nomen. Ad cryptam quæ hodie forum porcinum, usque ad vicum lacteum, *S. Catharinæ virgines* sacraria sua habuere. Et in propinquo *S. Vrsulæ virgines*, unde & vico nomen. Prope portam Crucis virginum chorus *S. Margaritæ dicatus*: item alius D. Mariæ sacer, in vico D. Iohannis non procul à porta. Denique *S. Cæciliæ virgines* sacræ, unde adhuc hodie nomen vico. Ita majores nostri sacrarum litterarum rudes, in id sibi potissimum incumbendum rati Pontificiæ relligionis propagandæ zelo, ut brutum vulgus ad vitæ sanctitatem adducerent, cum tot instituta collegia & cœnobia monachorum & monialium, certantium inter se de vitæ continentia. Sed laudandi in eo potissimum mihi videntur, & posteris signum sustulerunt ad bene merendum de pauperibus, cum tot pauperum & egenorum domicilia condiderunt, legatis ditarunt. Collegium enim ante sæcula aliquot Harlemi institutum, circa annum à nativitate Christi MCCC. à præfectis Spiritus S. nomen ducens minime dubitandum; quibus pauperum cura & ægrorum ex divite penu testamentariæ dispositionis, qui Cameram habere soliti primum in æde sacra D. Bavonis. Ubi hodie Nosocomii tutores arcam habent. Ubi Spiritus sanctus columbæ imagine ad vivum in lapide vivo expressus.

De Orphanotrophio.

Nec de Conditore S. Domus unquam dubitatum, quippe quod ex tabulis publicis satis constat, Cœnium illum ad Oosterwiick legasse & donasse Harlemianæ Civitati, ad pauperum & ægrorum subsidia & solatia, domum cum fundo, sitam in vico vulgo dicto Albf, cingente domum hinc crypta, hinc atrio Gualtheri à Rollandt, voluitque domum istam Spiritui Sancto sacram, unde & nomen; vulgò dicta Coenii domus. Præterea agrorum aliquot jugera, & eorum reditus annuos in hanc domum liberaliter contulit. Atque hæc fere domus ejus primordia fuere, quæ annis sequentibus, civium potentiorum liberalitate ditata, aucta & locupletata, servavit nomen, & in hunc usque diem Domus Spiritui sancto

cto S. appellatur. In hac domo primitus pauperum certus numerus, tam virorum quam fæminarum, qui domicilia distincta & contigua habuere, & ex præscripto demensum in singulas septimanas: dari præterea pueris pauperculis mechanicis sportulas, eosque invitari ad litterarum tirocinia alii voluere, distributis in capita panibus, usitato more. Novissimè in hanc domum admissi, destituti parentibus pupilli pauperculi atque egeni, qui aluntur satis liberaliter, quibus nihil eorum desit, quæ ad victum & amictum pertinent, sed educationis & institutionis prima cura. Ille mos alendi pupillos pauperes & egenos cæpit ab Anno 1523. Verum crescente indies pauperum & ægrorum numero & per consequens onere alimentario; de eo sublevando ab eo tempore seriò cogitatum fuit. Nam simul ac Gerontotrophium fundatum & exstructum, jam tum senibus & decrepitis destinatum; domus jam dictæ alumni transire jussi in paupertinæ senectutis receptaculum publicum Anno 1610. Ad hæc crescente interim pupillorum numero, & deficiente ad cubandum quietis loco, Coss. re expensa & pensiculata, simili ferè consilio decrevere, ut muliercula vetulæ & alimentariæ, quæ tunc erant, commigrarent in domum D. Iohannis hospitalem, ibique contubernium haberent, non destitutæ alimento ordinario. Atque ita Domus Spiritui Sancto sacra ad pupillorum usum & disciplinam tota jam vacavit, ab aliquot retrò annis. Ita Xenodochia condita in pauperum & ægrorum solatia. Ac primum Xenodochium antiquum S. Elysabethæ sacrum: illud quo tempore fundatum & conditum, ejus temporum vetustate memoria intercidit, verum in tabulis publicis ejus fit mentio Anno 1348 trecentis fere abhinc annis. Verum anno 1456 conditum opere magnifico Xenochium S. Elysabethæ sacrum in nemorali platea, & templum, quod se extendebat ad pontem vicinum & posteriori parte ad vicum Regium; sed cum horribili isto incendio quod fuit anno 1576 conflagrasset, & funditus eversum, translatum in Cœnobium minorum fratrum in vico terræ S. Anno 1578. Juxta in eodem vico Gerontotrophium est, paupertinæ Senectutis receptaculum, quod non tam ab antiquitate, quam à structuræ magnificentia commendari potest. Præcipui authores hujus operis *Gerardus*

Schoo-

Schooterbos, *Arnoldus Meinardi Fabritius*, *Ioh. de Wael*, *Hendricus Vechteri Coss.* Illi cum de condendo Gerotrophio consilia caperent, res civitatis accisæ satis, tum ab obsidione, tum ab incendio, fortunam sortilegio tentandam rati. Et cum de fundo laborarent Magistratus, laudavit pium eorum institutum *Franciscus à Bekestein*, & donavit fundum magna ex parte, paupertinæ Senectutis misertus. Et Epulum sollenne in singulos annos iij. Non. Octob. aut die Dominico celebrandum proximo. In ejus rei memoriam condito Gerotrophio in porticu quæ est ad austrum tale elogium saxo quadrato & inaurato insculptum;

FRANCISCVS A BEKESTEIN THEOD. F.
Fundi Gerotrophii magna ex parte donator,
annuique epuli ad IV. *Octob. Fundator.*

Paratis jam ad Gerotrophii structuram loco & fundo, itum est ad sortes, quas non nisi solenni modo instituendas Coss. & Senatores censuere. Itaq; tabulis in proximas regiones, Vrbes finitimas, pagos vicinos distributis, in quibus liberalitatis munerandæ causa, omnis generis Vasa, pretio cara, arte dædala, signis horrida, numero pæne infinita, æri incisa ante Curiam in loculis suspensa. Cumque ordo amplissimus, bene prudenterque judicasset, brutum vulgus magis vivis Virtutum exemplis, quam mutis præmiorum simulachris, ad officia liberalitatis, & opera misericordiæ permoveri & ab exsecrando avaritiæ vitio deterreri posse, decrevere ludos Scenicos, non Megalenses illos aut Cereales, non Capitolinos, aut Circenses, non inpudicos illos, aut gestu lascivos, aut dicto mordaces, aut aspectu obscænos, quales illi in Floræ honorem, sed argumento sacros, & ad permovendum hominum animos ad liberalitatem efficaces. In hunc finem, quasi ad πανήγυριν convocanda censuit amplissimus Ordo Rhetoricæ artis collegia, non profana illa, sed inaugurata, ac proinde ea ab extremis Hollandiæ finibus voce Præconis præmiis luculentis excitanda curavit. Ita theatra erecta, strata pulpita, scena ornata, sollennis pompa concessa, gratulatione, & hospitio publico excepta. Hoc mandato instructi Collegæ artis Rhetoricæ Veterani, quo Harlemi ludorum istorum sollennia tabulis publicis mandarunt, & divulgarunt. Nec diu erat, quod

Camera Vetus, quæ Harlemi adhuc hodie, cujus emblema, *Nulla fides in occulto*, Codicillos mitterent ad omnes Hollandiæ Cameras, & amice invitarent publicatis quæstionibus & propositis præmiis etiam. I[a]. harum quæstio, *Quæ Virtus efficaciter operetur in Homine misericordiæ bonum? Et quod sit malum illud quod avarum inquietat maxime*. Quæstio altera, *Quid præmij exspectandum iis, qui pauperibus ex amore subveniunt? Et quæ parata pœna illis, qui eos absque solatio demittent*. Ita proposita præmia iis, qui omnium dexterrime quæstiones propositas solvissent; iis etiam qui in repræsentandis & ornandis personis decorum optime servassent: tum actoribus & cantoribus, qui optime agerent canerentve. Emblemati etiam accuratissime depicto & figurato promissum præmium. Nec præmio fraudare eos voluit Coss. liberalitas, qui ex remotiss. Hollandiæ partibus, & longe dissitis venissent. Denique iis quoque deberi præmia censuit ordo Senatorius, qui ad paupertinæ senectutis subsidia plurimum contribuissent. Ita XII. Cameræ infra scriptæ, fidem & litteras obsides dederunt ad studia artis Rhetoricæ excitanda, se venturas ad ludorum sollennia, ad præscriptum Aug. diem x. Ubi advenere, hospitia singulis cameris destinata, in suburbano nemore; ubi & pernoctarunt; die postero, missa sorte, ordo datus, quem sequerentur personati, in hunc fere modum: Ordinem duxit Camera,

1. Leidensis Flandrorum. 2 in ordine Schiedamensis. 3. Catvicensis ad Rhenum. 4. Haeserwoudana. 5. Leidensis Hollandiæ. 6. Vlaerdingensis. 7. Amstelodamensis. 8. Nortvicana. 9. Haesttrajectensis. 10. Goudana, 11. Hagæ comitana. 12. Keteliorum denique. Quo die tanquam ad πανήγυριν convenere inusitata Hominum frequentia, ab omni parte, tam Borealis, quam Australis Hollandiæ, cujuscemodi generis nobiles, ignobiles, patritii, plebeji, matronæ etiam in cameratis curribus sublimes, Virgines nubiles & puellæ, Viri, pueri, adhæc Amstelodamensium plærique filii in equis, qui in campo publico & Vireto solennem illam pompam scenicam patienter exspectabant. Donec tandem personati in Urbem venere, eo ordine quem sors dederat. Urbem intrantibus exhibita Spectacula. Ac primum prope hortum publicum civium sagittariorum erecta arca triumphalis, in qua Virgo HARLE-

MIA repræſentata cum inſignibus Peluſiacis, comitata virginum agreſtium choro, quæ introëuntes feſtiva & amica gratulatione excepit omnes. Ex eo loco Cameræ omnes à Cameræ Urbis primaria ſervato ordine deductæ ad hoſpitalem manſionem. Poſtero autem die rurſum ſingulæ ad theatrum reverſæ, ad declarandum animi ſenſum, quid ſibi vellent quæ perſonati repræſentaſſent. Theatrum Attalicè & magnificè inſtructum, aulæis Babylonicis ornatum, in quo dia *Rhetorica* in veſte regia & palla verſicolori, ſublimis in throno ſedebat, accinentibus ad ſingulos actus Muſis: illa Cameris gratulata, gravitate dicendi omnium ora in ſe convertit. Ita poſtea agendis ludis ſcenicis datæ feriæ per dies aliquot, quorum exſtant exemplaria. Hæc ſunt ea quę fundationem Gerotrophii anteceſſere, quam ſubſecuta ſtructura magnifica, cui præfuere Campius & Livius de Fraji, non infimi nominis architecti. Atque hæc fere hujus Urbis Xenodochia ſunt ad pauperum & ægrorum ſolatia Utriuſque ſexus. Ad diſciplinam ergaſterium conditum prope templum Gangolphi antiquum Anno 1609. Ubi quondam atræ luis domus Ubi domus peſte laborantium conditum an. 1566. Poſtea ad averruncandam peſtem, domus altera ad ægrorum refrigeria, condita Anno 1602. in cœnobio S. Magdalenæ prope Urbis antiquæ mænia. Hierocomium Elephantiacis & leproſis deſtinatus locus jam ab aliquot ſæculis: Inde bulla de fundato hoſpitali S. Lazari, Sacellum S. Jacobi inſtitutum *Anno* 1319. Quod litteræ indicant donatitiæ Gerardi Arnoldi Haren Egmondani: exſtat ejus rei diploma datum à Comite Hollandiæ gratioſum in hanc ſententiam: Nos Prætor, Scabini, & Senatores reipub. Harlemianæ, notum facimus univerſis & ſingulis, quod legitimus Hollandiæ Comes D. noſter, donaverit eam prærogativam, Ut ex omni provincia Hollandiæ & Zelandiæ lepra infecti veniant ad S. Jacobi ſacellum in territorium à Dykendam, ad luſtrandam lepram & curandam. Veritatis teſtandæ cauſa, haſce litteras publici juris fecimus, in lucem datas, appenſo ſigillo noſtro, *An.* 1413. die Veneris à D. Jacobi feſto. Ibidem quoque *Gyrgathus*, locus in quo mente emoti, vincti aut incluſi tenentur ab anno 1564, uſque in hunc diem. Johannitarum & Cœnii Xenodochia anti-

Noſocomium.

qua quoque Coenii orphanotrophium dicatum & conditum Anno 1594. tandem abrogatum crescente orphanorum numero, manente adhuc hodie Johannitarum Xenodochio. Sunt præterea Xenodochia minora instituta ad pauperum quorundam subsidia duntaxat, qualia S. Jacobi, Remigii, Antonii, Martinii, Item B. Mariæ & S. Barbaræ, quæ iisdem fere temporibus instituta ab Anno 1430 & sequentibus aliquot. Horum S. Jacobi peregrinantium hospitium, quod à *Simone Giisberti Coman* testamentaria dispositione institutum; ab Elysabetha vidua Johannis Bette domo & fundo locupletatum Anno 1436. Remigii sacellum notum ex litteris donatitiis quæ consignatæ Anno 1431. S. Pontiani die, in quo VII mulierculis alimenta præbentur: Sicut in S. Barbaræ XII. S. Antonii sacellum Johannes Nicolai à Diertssen ædificandum curavit extra portam Schalcvicensem, quod legavit cum omnibus reditibus Decano cum juratis fratribus & sororibus contubernii S. Crucis, præsentibus & futuris, quod litteræ indicant sigillo consignatæ à Simone Junio ab Adrichem, Gerardo à Nortwyck, Scabinis, Anno 1440. Eodem anno Beatæ Mariæ hospitium S. Valent. die institutum à Nic. Brensons filio, litteræ consignatæ à Joh. Bekesteinio & Simone Iunio ab Adrichem. S. Martini Xenodochium è regione atræ luis domus pro ancillis valetudinariis, aut vetulis, à cerevisiarum coctoribus conditum Anno 1472. Aug. 16. die, quod tempore incendii conflagravit & funditus eversum Anno 1576. Et biennio post restauratum à sythepsis ejus temporis primariis. *S. Petri domicilium* conditum pio instituto à *Petro Wtenhage*, & *Luberta ab Heussen* conjugibus, Anno 1558. alumni in hac domo XII. mechanici fere omnes, quamvis ex hac domo prodiere viri eruditione clari Egbertus Verhoeven & Magist. Hendricus Geesteranus, qui Ecclesiæ quæ est Harlemi pastores fuere non vulgares. Longum esset recensere contubernia omnia, quæ Cameras, aut hortulos vocant. Antiquissima illa Camera quæ in Bakenes, quam condidit in proprio fundo *Theodorus à Bakenes* Anno 1395. translata postea in vicum Pomonæ. In Bakenes fuit & Camera altera D. Petri Wtenhage, & Uxore ejus Luberta ab Heussen, condita Anno 1558, translata quoque Camera

in

in vicum Cæciliæ Anno 1600. Cameræ quoque in vico minorum fratrum conditæ à viris locupletibus Jacobo Jacobi, qui Xenodochio S. Elysabethæ diu præfuit cum summa laude, & Cornelii Wy altera. Ad hæc contubernia adhuc alia in civitate nostra, quæ propter amænitatem *Hortuli* vulgò dicuntur, *Hortuli.* Inter hos antiquitate anteit, qui à stirpe Loo nomen ducit, à Simone conditus & Uxore ejus Godelia Gulielmi, in vico sororum discalceatarum, ejus hortuli reditus administrantur à tutoribus Xenodochii S. Elysabethæ. Ætate proximus hortulus Nicolai ab Heussen viri consularis, institutus primum Anno 1538. Et post eum *Hortulus Gratiæ* sive domunculæ cum areolis, XII personis tam viris quam fæminis promiscue alendis, destinatus, à Giisberto Molineo & Gulielmo Diert, conditus in vico Jacobino Anno 1554. quod indicant litteræ quibus rem venditam per cessionem in manum Coss. sequestrarunt, præsentibus duobus Scabinis Joh. Zureno & Johanne Gael. Hortulus item Petri Frederici Deyman conditus Anno 1565.

Sic Margaritæ Nicolai Lotzen filiæ, honestæ matronæ in vico terræ S. conditus an. 1585. Nec otiosum sæculum sequens in condendis hortulis ad pios usus. Nam anno fere sæculari, pauperes bonorum suorum Heredes voluit Franciscus Loenius, instituto D. Corn. Schonæo R. qui bona ejus administraret. Is obiit Anno 1605. Et ut voluntati faceret satis, promissi reus in vico fratrum Albatorum fundum emit exstructo domicilio pro XI. fæminis pauperculis, quæ initiatæ Anno 1607. Iacobus Zaffius ibidem Cameras V. condidit Anno 1609. Anno 1610. Geertruda Borrits in vico Pomonæ angusto, exstare quoque largitatis suæ qualecumque pignus voluit pietati-cultrix. Denique institorum hortulus, in vico, ubi quondam fratres Albati cœnobium habuere institutum Anno 1613.

Qui mos nondum exolevit. Fuisse & alias matronas tacita charitate insignes non me fugit. Inter quas non malè audiebat Agatha Hermanni filia, soror Wolphardi Hermanni. (qui ad Bantam rem strenue gessit, cujus mentionem facit Cornelius Westerloo in suo poëmatio, quod inscribitur Leo Batavus.) Hæc inquam in corporis sui ornatu parca fuit, ut multum pro facultatibus in pauperes conferret.

Hactenus ædificia dixi publi-

ca, tum quæ ad ornatum & decus faciunt, tum quæ ad civium commercia; ad hæc quæ ad usum sacrorum, templa, cenobia, monasteria celebriora, & antiqua; tum quæ ad pauperum solatia faciunt & ægrorum, tam senum, quam puerorum, virorum & fæminarum, tam civium quam peregrinorum & hospitum. Superest, ut de antiquis ædibus familiaribus eminentioribus illis pauca subjiciam coronidis loco, quæ nostra adhuc memoria pleraque integra. Ac primum quidem in ipso aditu vici S. Iohannis, qui viam aperit ad ædem D. Iohanni sacram, ædificium sublime instar arcis fuit, à D. Brederodiis inhabitatum, ubi & aulam habuerunt: postea separatum in partes: anteriorem partem incoluit Thomas Blommart mercator celebris, nec rudis litterarum: posteriorem ædium partem incoluit D. ab Alchemade, qui uxorem duxit Goedelam Berckenrodiam. Nec procul inde castrum antiquum ubi contiguas ædes habuit Gerardus Stuyver, & postea quæstores Coltermanni pater & filius. Ibidem quoque ampla & antiqua Bekesteiniorum domus; & in eodem vico Magnatum domus, minacibus in pariete statuis. In vico Vulcanio castrum fuit, atque etiamnum est, sublime, quadratum, quod inhabitavit nobilis rebus gestis & virtute bellica Gerardus de Iong, & posteri ejus. In eodem vico domus quoque in modum arcis condita, quam inhabitant Rollandii olim, & Rampii adhuc superstites. Complura ejusmodi ædificia fuisse, quæ ad formam castelli propius accederent, caussam hanc fuisse conjicio, metum Barbarorum latrocinantium, nondum urbe satis munita, ad versus hostium incursiones ut tuti essent. Præterea Schageniorum domus tam ampla quam magnifica, quasi heroum palatium. Et quod ad ornatum urbis maxime facere videtur, Berckenrodiorum domus eminent inter alias potentiorum civium ædes, tres eodem fere tempore ædificatæ, tam sublimes, quam magnificæ: una domus in arena ad forum, altera in vico Zilensi, tertia ruri condita primo ab urbe lapide. Arx stirpis Berckenrodiæ, quam habitare soliti nepotes, aut æstuante Canicula, aut grassante peste. Hunc Berckenrodium, qui ædes illas exstruxit, ajunt vel XL filios aut filias habuisse spurias, quas cum nubiles elocaret, in dotem singulis dedit 600 florenos. Præter

ter ædificia tam publica & privata ad voluptatem faciunt non parum Sparnus & ſilva. Urbem interlabitur Sparnus amnis navigabilis : hoc flumen etſi à Rheno corrivatum non eſt dubium, tamen à lacu immenſum aucto ortum habere, communis opinio eſt: Idem euntium redeuntiumque navium continuo percurſu ac commeatu amænum, incolarum utramque ripam obſidentium oculos jucundo proſpectu paſcit. Hinc Sparendamum pagus Harlemo vicinus, ubi Sparnæ emiſſarium & cataracta in ſinum Yum illic excurrentis per plura emiſſaria; ab altera parte in lacum fertur pleno amne. Lugdunum verſus ſilvarum amœnitas, quæ obſidionis tempore, propter Boreæ penetrabile frigus, funditus exſtirpata. verum Anno 1585 Coſſ. & Senatores conſilia ceperunt de condenda nova ſilva & propaganda, ſubacto & æquato ſolo. Ioh. à Schooterboſch, cujus pater tum temporis conſul, Silvano primam arborem conſecravit, addito hoc voto, ut Deus incrementum daret. Sed de his plura dicere ſuperſedeo. Ad rerum geſtarum memoriam antiquam à multis retrò annis quę pertinent, porro dicturus. Ac primum quidem ab antiquitate commendabile, quod Friſones ferro & igne graſſati, totam Borealem Hollandiam infeſtarunt, rapinis vexarunt, neque à ſacris abſtinuerunt, incenſo cœnobio Egmondano, contempto etiam Diderici Comitis imperio, quem inaugurare Comitem noluere refractarii. Quod cum indigne tuliſſet, in Friſiam duxit exercitum, & militari manu agros eorum depopulatus eſt, & rebellantes Friſones ſub jugum miſit, & contumaces armis ſubactos parere coëgit. Verum non ita multò poſt, recollectis viribus rebellarunt, & in Weſt-Friſiam reverſi, ferro & igne graſſati, excitato etiam Alcmariæ & Harlemi incendio, ſacra, profana rapuere. Paſſa eſt & multa alia & graviora hæc Civitas; vaſtationes fœdas, incurſiones pluſquam barbaricas, rapinas latrocinantium Caninefatum, & tandem obſidionem, cujus prima occaſio fuit hæc. Nam cum Anno 1132. Friſones ducente exercitu Florentio, cognomento Nigro, (qui Diderici Comitis frater) copias cogerent, & ex toto illo tractu collectis copiis & viribus, vaſtarent agros, prædia diriperent, caſtella incenderent comitum antiqua, Harlemum uſque graſſarentur in contumeliam fratris, & di-

Rerum geſtarum memoria

ditionis ejus interitum, iis assiduis præliis & excursionibus fortiter restiterunt. Verum inter cætera Harlemeorum facinora, illud in primis memorabile, quod capto subactoque ad Nili ostia Pelusio æternum sibi nomen pepererunt Harlemo-Batavi. Cujus occasio fuit hæc. Cum Alexander III ejus nominis Pontifex, & Fredericus Romanorum Imperator, qui pontificio relligionis zelo, vulgato publico edicto instituerunt generalem in honorem Crucis navigationem, ad recuperandam & debellandam Hierosolymam, misso etiam magni nominis legato Moguntiam ad Rhenum, qui in Germania ingentem exercitum conscriberet: Cujus præcipua capita fuere magni Heroes, & totius orbis Christiani illustres viri; inter quos ordinem duxit Fredericus ejus nominis I. Romanor. Imperator, proximi Philippus Galliarum & Richardus Angliæ reges, Bavariæ item, Saxoniæ, Austriæ, Lotaringiæ Duces, tum Flandriæ, Hollandiæ, Cliviæ Comites: Harlemæi dato quoque ad militiam Christianam sacramento, Florentium XIII. Hollandiæ Comitem secuti, multique alii Principes & Heroës, qui Anno 1188.

Harlemeorum Expeditio in Ægypt.

mare ingressi, *vela dabant ventis*, spe potiundæ urbis S. Delati in Calabriam ad lævum Italiæ cornu Fredericus Imperator, curarum æstu fluctuans, & præsaga mali mens parum quieta, rogavit Abbatem, viæ comitem, sacrarum litterarum antistitem, & prophetiæ spiritu plenum, quem tandem finem & successum navigatio ista habitura esset. Cogitabundus aliquamdiu sedens, tandem ita respondit. *In hac expeditione totius orbis Christiani Principes & Monarchæ, qui in eadem nobiscum classe, infaustis avibus, atque irrito conatu Terram S. petunt; quippe nondum fata sinunt, si quid Veri mens augurat, Plura dicere horret animus.* Et simul conticuit. Verum Cæsar responso non acquiescens, reliqua quæ futura essent, tam prospera, quam adversa, eloqui eum jussit, nec quicquam celare. Tum Abbas graviter ingemiscens, fata ejus prædicit, (utinam sim vanus Vates, inquit.) Et, si fas dicere, Imperator noster naufragio peribit, nunquam ad suos rediturus. His auditis nonnihil consternatus animo Imperator, *Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem*, & suos serio cohortatus, cursum per Bulgariam dirigit, & recta tendit in Terram S. & potenti manu oppida & castella obvia cepit us-

usque ad desertum Sur. Sed Hierosolyma potiri non datum. Sed ne quid intentatum relinqueret, de obsidendo Pelusio (Damiatam vocant) consilia ineunt confœderati Principes, *Per varios casus per tot discrimina rerum,* Pelusium delati: Ubi cum aliquandiu morati portum, carinis in accessum, objectis catenis ferreis, & diu in anchoris fluctuarent, cum traheretur in longum obsidio, frementibus impatientia militibus: tandem instructa triremi Harlemei, (excogitato novo commento) cujus tum proram, tum carinam serrato dente munierant: ita seu mole, seu acumine rostratæ Navis, viam ad Urbem aperuerunt, & interrupta ingenti catena ferrea, interiorem in sinum penetrarunt, obnitentibus frustra Barbaris & Sarracenis castella duntaxat tuentibus. Hinc adversariorum clamor & ejulatus, Classicorum plausus & gaudium. Et sic hoc stratagemate, revulsis catenis, patefacto & reserato portu, Classi Christianorum rei bene gerendæ signum sustulere, & occasionem præbuere potiundæ urbis. Capta deditaque urbe, pulsis, fugatisque hostibus, cum vota persolvissent Deo suo Christianorum exercitus, uni & trino: convocatis Proceribus Imperator cognomento Barbarossa Florentium Hollandiæ Comitem, in Batavicæ gentis honorem, amplissimis præmiis donavit, & Harlemo-Batavis, in æternam rei bene gestæ memoriam insignia donavit, *fulvum stellis cingentibus ensem*: quibus boni ominis causa Hierosolymæ Patriarcha latam Crucem superaddidit. *Virtutis Harl. insignia* *Crux* signum susceptæ expeditionis in terram S. Signo illo ornari soliti eorum omnium clypei & signa militaria, qui expeditionem S. contrà Sarracenos susceperant: unde monetis inscriptio, *In hoc signo vinces.* Ita reversi in patriam nostratium cives, alio ab orbe, partæ vitutis insignia & scuta retulerunt; & triumphum egerunt de subacto, debellatoque Pelusio. Cujus rei memoriam aliquot post sæculis observavit Harlemea pubes, ut ipsis Calendis Januarii ineuntis anni naviculas serratis proris instructas, & bellatorum imagines bacillis suffixas, in publicis supplicationibus circumferrent, qui mos nondum exoleverat me puero. Verum omnem dubitationem tollunt campanæ Damiaticæ, quæ in summo turris fastigio pendulæ, quæ æris Corinthiaci tinnitu acuto, quasi triumphum adhuc hodie canunt partæ ad Pelusium Victoriæ, &

lætitiæ ad huc indices hodie, cessante incendio.

Porro Harlemiorum varia fortuna, nunc prospera nunc adversa. Ac primo quidem urbe jam florenti, & bene constituta republica, diu pax alta, quæ producendæ urbis pomeria occasionem dederat: inde tanta civium potentia & felicitas, ut nulli urbium finitimarum cesserit, & Harlemum Caninefatum caput diceretur. Sed mutavit vultum fortuna, ut Harlemea virtus magis inclaresceret. Secuta enim bella, incendia, incursiones, vastationes, & plura ejus generis mala. Quippe fuit & altera Caninefatum expeditio, qua
Anno 1268. rebellarunt adversus nobiles, cum spreto Comitis Florentii imperio, quod adhuc minorennis esset, majores indies copias contraxerunt, & translato in militarem disciplinam imperio, effreni insolentia, & violentia plusquam barbarica, castella & arces, & illustres nobilium domos ingenti ruina everterunt, destruxerunt. Ita ordinis equestris viri & Magnates, bonis, fortunisque omnibus exuti, Harlemum se recipere coacti omnes: ut tuti intra mænia vindicare sese à Barbarorum violentia possent. Postea desævientie paulatim ferocia, retro cedere cum parati essent, & ad suos redire, accendit animos Gysbertus ab Amstel, qui ipsis à consiliis erat, vir magnæ authoritatis: Illi novos spiritus sumere, & eductis illico copiis in Keinhimeriam reversi, recta Harlemum tendere, & oppidum satis munitum obside- *Obsidio Harl. I.* re ausi, & milite cingere jam ferociore, opimis spoliis, & rapinis. Ibi cum incaluere animi pugnandi studio, dato ad prælium signo, clangentibus buccinis, & tympanis reboantibus, Urbem adoriuntur, & facto in muros impetu oppugnant, *Qua globus ille virum densissimus*, omni telorum genere, balistis missilibus, jaculis, tum lapidum & silicum grandine, plurimis, qui in armis adversi starent & pugnarent pro aris & focis, è medio sublatis. Atrox sane prælium, opponentibus sese oppidanis, & omnem vim hostium propulsantibus balistis, jaculis, hastis præpilatis, securibus. Nec virtute cuiquam civium, recepti in urbem Nobiles cedebant, vndictæ cupidi, periculis obvii. Verum cum Caninefates extrema tentassent & potiundæ urbis spes nulla, dissipatis copiis sedes suas repetierunt, respirantibus aliquamdiu à cruento bello Harlemeis. verum non ita multò post supervenere alia atque alia non mi-

minus atrocia, cum Geldrofrisones, cum IV. aut V. millibus hominum Medenblicum invaserunt, & misso in urbem igne funditus everterunt, & eadem expeditione in Westphrisiam delati, Victoria feroces Alcmariam vi ceperunt, abductis etiam aliquot in captivitatem civibus, incendio grassati per agros vicinos & latifundia Harlemum usque: ubi in ipsas Urbis portas arietabant, repulsam passi. Post annos aliquot cessante bello, secuta incendia, quibus obnoxia hæc civitas, quasi fatali malo. Ac primum quidem Anno. 1328 incensis urbis portis inimico igne brevi temporis spatio, civium aliquot potentiorum ædes, pauperum tabernæ in cineres redactæ, templa, sacella aliquot eversa, Xenodochia etiam, excepto D. Mariæ sacello, quod pro miraculo habitum; Ut nihil jam dicam de hominibus quibusdam, quos vis ignea percu-lit. Neque ita multis annis post Anno 1347 ingens Harlemi incendium, depascente flamma quævis obvia, ita ut nulla fere urbis pars intacta ab igne, cum civitatis portæ, suburbia, repentino casu igne consumpta, templa quoque, fana ac monasteria tanquam fulmine icta conflagrarunt. Sic Anno 1351. horribile Harlemi incendium, ut pæne Civitatis altera pars consumpta igne. Incendio exstincto, nova rursum belli incendia, cum Iacoba Hollandiæ Comitissa XVIII, accitis undique copiis, Trajecto, Gauda, Schoonhovia & Veteraquinate, exercitum comparat, qui paratis ad eam expeditionem navibus, Heemstedum delatus, eodem ipso die quo appulit recta Harlemum tendit, Copiis statim urbem cingentibus, ducente exercitum Gulielmo Brederodio, quibus se conjunxerunt Caninefates & Alcmeriani, qui conjunctis copiis & viribus urbem obsederunt stipante milite. Harlemei qui obsidionem multò ante prævidissent, nihil territi, sumunt animos, & vocatis ad se D. Iacobo Gaesbeeckio præfecto urbis, & Rulando Wtkercken, multisque aliis viris militaribus, & bello assuetis, ad urbis defensionem promptis & paratis, ad tutelam urbis juramento se mutuo obstringunt. Harlemei remotis impedimentis quæ obstare defensioni possent, nemorosa sustulerunt, & hortos suburbanos adactis cuneis & bipennibus inciderunt. Statim clausæ portæ, vallo obductæ. Cives & Urbis incolæ cum militibus stipendia merentibus, sumptis

Incendia

Harlemum obsessa à Iacob.

armis, accingunt sese alacres ad urbis obsessæ defensionem, parati strenue resistere, pugnare pro aris & focis. Qui urbem cinxerant hostes extrema minabantur ni se dederent: ab una urbis parte incendebant villas, domos, molas alatas, ab altera parte Caninefates suburbia extra D. Iohannis, & portam Crucis flamma & igne infestarunt. Et hæc prima belli tentamenta & velitationes. Verum cum hostium animi, majori vehementia & impetu in urbem versi, noctu, interdiu absque ulla intermissione Urbis mænia infestant, jaculis, balistis, pyrobolis, catapultis, sed excubantibus ad mænia civibus, & fortiter resistentibus, hastis, contis cominus, jaculis & missilibus eminus, atque omni instrumento bellico, non cessante pugnæ studio. Ita concidêre tandem hostium animi soluta obsidione.

Verum ante ea tempora Hamorum & Caballaorum factio exarsit Anno 1350. Nomina ista ut ominosa & portentosa, ita perniciosa, assumpta in perniciem gentis Batavicæ. Nam cum pars altera Asellorum nomen, quasi pro sacramento haberet; altera Hamorum nomen assumpsit, pari lædendi studio: Nam ut aselli abliguriunt maris pisces, ita exitium minabantur adversæ parti: contra pars adversa assumpto hamorum nomine, quibus capiuntur aselli, minas spirabant. Unde ista factio, haud facile est dicere. Hinc inde magni authores, & factionis principes. A parte Asellorum stabant D. Ioh. ab Archel, pater Episcopi Trajectensis, Ioh. ab Egmond, Gerardus ab Heemskerck, cum multis aliis nobilibus & patritiis, & factionis sociis quibusdam civitatibus, primariis Dordraco, Harlemo, Delffis, Goricomio, aliisque. Ab Hamorum parte præcipui authores & antesignani Theodorus à Brederode, Philippus Burchgravius Leidensis, D. Wassenarius, Iohannes de Lecka & Polano, Iacobus à Binchorst, cum multis aliis nobilibus & scutatis, juvante in partem Lugduno aliisque civitatibus. Hæc factio inter plebejos primum, quasi per ludum jocumque, postea inter magnates & nobiles, inter laicos & Canonicos, tanta animorum exacerbatione, non una in urbe, sed pluribus & plerisque; ut per totam Hollandiam, tanquam fermento Erynnidis serperet hoc malum. Ita ut in qualibet urbe, in qualibet stirpe (& si fas dicere) in qualibet familia palinodia essent parricidialia. Sæcula vere ferrea.

Anno 1350 Hamorum & Caball. factio.

ferrea, quibus *non hoſpes ab hoſpite tutus, Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara.* Quidquid ſit, factio illa exſecranda plane & diabolica, quæ tecte primum cœpit incedere *per ignes ſuppoſitos cineri doloſo*, Anno MCCCL. aut circiter. Ea materies omnium malorum & ſcelerum fuit, quæ totam Hollandiam infeſtavit, & ad internecionem pene redegit. Namque illud venenum longe lateque ſerpſit, per omnia Hollandiæ viſcera, movente ſemper novas turbas Diabolo. Atque hæc quidem diſſidia, & odia in multos annos incrementa ſumpſerunt indies majora: atque adeo illa exacerbatio & rabies implacabilis, tam præfectorum quam ſubditorum animos ita exacerbavit, atque efferavit, ut civis civem, ne dicam frater fratrem capitali odio proſequeretur; atque adeo degenerarunt, & obbrutuerunt, ut ab omni ratione & æquitate divortium fecerint, brutis quam hominibus propiores, ut ſeſe mutuò, qui in partes irent, ſedibus, urbibus, ædibus ejecerint, exterminaverint. Sed inprimis Lugdunum, plurima incommoda & mala paſſa eſt, fruſtrà obnitentibus viris magnis. Et ſi cauſas factionis illius altius repetere velimus, eas frivolas fuiſſe fatebimur, & pudebit nos tam obſtinatæ ſeditionis. Temeritatis atque effrenatæ ſeditionis exemplum dabo, mitto jam magna nomina, quod in urbe noſtra accidit ex communi illa contagione, ipſo Paſchatis feſto: cum forte fortuna Adrianus Croningen, & Hendricus Brederodii filius nothus, cum aliis quibuſdam nobilibus, animi relaxandi cauſa, & ſtudio venationis Harlemum veniſſent, & in taberna diverſoria biduum aut triduum commorati eſſent, genio indulgentes, cum aliis ejuſdem urbis civibus, viris honeſtis, bonæ notæ hominibus: qui cum ſecuri omnis periculi, ſub noctem quieti ſe cum dare vellent, & jam ſtratis incubarent, excitato ingenti clamore & tumultu, hoſpitium ingreſſi ex infima fece vulgi ſcurræ ac nebulones, qui nobilium filios interficere in animo habebant. Sed caupo & uxor ejus virilis audaciæ fæmina, & famuli domeſtici vim omnem propulſarunt: hoſpitio ejecti extrema minabantur. Ita è lecto ſurgere coacti hoſpites, & fuga ſalutem quærere, graſſantibus impune ſeditionis authoribus. Et poſtea qui una cum illis fuerant, atque ad amica colloquia & ſympoſia venerant (indignum facinus) in exilium ire juſſi omnes, multique

alii non è multis, qui tale scelus detestabantur. Quæ initia fuerint tantæ commotionis & demētiæ, narrabunt Lugdunensium posteri, loquuntur Chronica Hollandiæ. Initia sanè fuisse frivola refert Ioh. ab Orlers, bona fide vir consularis, & quidem privatæ dissensionis, Incrementa stupenda atque horrenda, catastrophe dubia & periculosa: Pacta sæpe fœdera, rursum violata, atque irrita, nunquam intermittente furore, & movente semper novas controversias Diabolo, malorum omnium architecto, quæ curare non hominis sed Dei, qui tandem apparuit tanquam è machina, interponente authoritatem Maximiliano, intercedente Magarita comitissa pro captivis, qui jam supplicio destinati: ita tandem ad pacem & concordiam reversis, supplicationes decretæ ad placandum Deum. Sæculum ferè intercesserat: cum obliterata jam omnia viderentur & pacata, rursum sopitæ factionis ignes resuscitati, suffundente frigidam Diabolo. Itaque anno 1438 recruduit denuo Hamorum & Cabellaorum factio, cujus pestiferum virus, latius adhuc serpsit per totam Hollandiam, nec immunem ab eo Lemi civitatem fuisse, testantur annales, nec silentio præterit

Duravit hæc factio CC annis.

Anno 1438. Hamorū & Cabellaorū factio altera.

Reynerus Snoyus in historia sua, laborante repub. D. Hugonem de Sanctis, à Philippo Burgundię Duce Hollandiæ præsidem constitutum, utramque factionis partem, authoritatis suæ pondere & singulari æquanimitate in officio continuisse, neque hiscere quisquam audebat vivente eo. Factionis istius diabolicæ nondū sopiti ignes, cum nova Harlemi seditio in perniciem reipub. tumultuante & rebellionem movente plebe adversus Magistratum, Coss. Hugone Albout, Pontio Wtenbroeck, Gerardo Hoen, & Jacobo Theodori, An. 1444. Ita cum successisset in locum ejus Symon de Laleyn, recrudescere malum de novo cœpit, non obnitente Præside. Ita primo anno itum ad arma. Tum Consul civitatis, qui forte Prætorem obvium habuit, ita eum affatus dicitur: *Mutua (proh dolor) inter se gerunt odia cives, demus nos operam parem, ut inter nos maneat concordia.* Verum ille inquit, *Nescis quid serus vesper vehat*, innuens, decertandum semel. Ferocius responsum quam Prætorem decuit. Quippe hoc volebat, Hamos subdole præcavisse, ut suspensa Campana, quæ sonum non datura Cabellaos eluderet, quo minus congregarent: ita facile eos obrui posse existimavit.

Factio plebis.

Verum fefellit eum recta mens: nam Cabellai occulte Campanæ usum in potestate habebant: qui dato signo Campanæ ictu, undique armati convolarunt: nec segnius Hami. Constitere in foro biduum, noctu interdiu pertinaces. Sæpe interea à bonis & pacificis viris tentatum, ut redire ad concordiam vellent; sed frustra, nihil actum: immo sæpius concurrissent, nisi sacerdos cum Eucharistia, exacerbatis & in se mutuo irruentibus, in medium se objecisset. Nec dirimere pugnam potuit cœlitus demissus imber: Tantus enim utriusque factionis ardor, tanta contentio, ut mori maluissent, quam stationem relinquere, aut loco cedere; ut vicinus vicino prehensa manu diceret, *extremum vale*, deposito civium odio, non partium, cum quisque in partes suas irent, & vitam pro bona causa pacisci vellent. Cessere tandem Hami foro, in plateam regiam vulgò dictam, in fugam dati, receperuntque sese in ædes Nicolai ab Adrichem. Illic Nicolaus cum suis amicis obsidetur, donec in id missa Isabella Philippi conjunx, quæ rem composuit pacificatrix, ea conditione, ut Hami ante Solis occasum urbe excederent: secreta promissione reducendi eos intra triduum, parere eos induxit. Convenere igitur in campo vicino, prope nemus. Huc & ipsa accessit dux fugæ atque itineris. Et non obstante eo quod cœlum pluvium continuo imbre, Ducissa cum suis exsulibus Amstelodamum petere compulsa fuit. Tunc Hami qui Amstelodami tunc erant, Cabellais terrori fuerunt, qui una suadente Isabella Harlemum petiere. Et cum in utramque partem servare fidem non posset, imminuta etiam authoritate, re infecta discessit, addita hac commendatione, ut Magistratus suorum rationem haberet, & ne quid respub. detrimenti caperet, suam quisque urbem tueretur; atque ita cum omni comitatu Bruxellam abiit. Nec surdis dicta admonitio. Namque Amstelodamenses qui rerum potiebantur, illico Trajecto accersitis, & receptis in urbem Reinaldo à Brederode, & fratre ejus *Archidiacono* Gulielmo de Langeraek, Æmylio de Muden, aliisque ejusdem factionis compluribus, propulsare omnem vim hoc modo voluere. Rebus sic stantibus Philippus Dux, cogente necessitate, in Hollandiam tandem se contulit, quem cohors prætoria comitabatur. Itaque Harlemi paulisper commoratus, præmisit Amstelodamum Antistitem Leodiensem de Nassou, quos

quos & postridie consecutus, & quod facto opus, fecit, in id præcipue sibi incumbendum ratus, ut reconciliatis partibus, pacatis animis ad concordiam redirent Deo gratam, & suas quisque civitates, suaque repeterent. Reversus in Brabantiam, factionis principes & antesignanos, mandato citavit, Bruxellam multo ocius venirent. Itum est ab utrisque: tanta utriusque partis confidentia & animositas fuit, ut ad causæ defensionem se sisterent. Habito examine, auditis partibus hinc inde, proximam ad reconciliationem viam esse indicarunt, ut in locum Simonis de Laleyn, alium surrogarent. Ita non sine ignominiæ nota exauctoratus: cujus in locum suffectus Magister quidam Goswinus, non tam nobilitate clarus, quam rerum peritia, & legum scientia *insignis*. Inserenda quoque hoc loco annalibus, *Clericorum factio* videtur, qui Anno 1457 cum Coss. & Senatores, qui civibus jus dicunt, novo edicto onera imponere frustra conati Clericis & S. Ordinis hominibus, exigentes ab iis, perinde ac ab aliis civibus laïcis vectigalia, à quibus immunes semper fuerant. Inde litis contestatio coram Episcopo Trajectensi. Et cum S. Ordinis homines, sacerdotes, Clerici judicio non acquiescerent; decretum à Senatu ut authoritate pub. delegatos ad Episcopum mitterent: Missi itaque Nic. Iperius Consul, Gerardus à Noortwijck Scabinus, & qui à secretis erat Gul. Raets, qui Episcopum sollicitarent mandati impetrandi causa adversus Clericos, quo cogi possint ad pendenda vectigalia: & forte in curru sedentib. prope Trajectum ecce obviam venit in equo Walravius illegittimus D. Brederodii filius cum asseclis suis, & uno impetu interfecerunt in via, patre inscio D. Brederodio, & consulem pariter & Scabinum. Causam non habebat aliam, quam quod duo isti, cum Prætore Alb. Raephorstio, adversus hunc Walravium ferocius se gesserant, & ignominiose exceperant in vico maritimo Santvordiæ in patris negotio, quod ita indigne tulit, ut ignominiam illam concoquere non potuerit, usque adeo, ut Prætorem quoque in eodem furore confecisset. Qua de causa filius ille illegittime natus in tantam indignationem patris venit, animi ægritudine, ut longo tempo- in conspectum ejus venire non auderet. Dum hic rumor Harlemum delatus esset, luctus & planctus civium & amicorum com-

commiserantium. Et ob eam causam Senatores reliqui ab incepto desistebant, & Clericis pacis pub. causa immunitatem recepto more concessere. Hæc gesta Anno jam dicto April. 20. & Anno x. post, parricidii scelus justa reconciliatione expiatum. Verum interlabentibus annis aliquot, bellum denuo à Septentrione multo atrocius exarsit. Cum Alcmariani, cum quibusdam Borealis Hollandiæ oppidanis, & paganis, expeditionem pararent, interveniente Urbis nostræ præfecto, qui ad pacis consilia flectere agrestium animos tentabat. Et cum vix pedem ex Alcmariano territorio sustulisset, statim magna vis hominum undique confluentium, qui dato ad militiam novo sacramento *Panis & casei*: placuit nomen & omen: Ita signa sustulere majoris audaciæ, & ante Urbem castrametati. Verum cum sibi metuerent ab insidiis, nec satis extra urbem tuti viderentur, petiere ut intra urbis mænia admitti possent. Consulto super ea re Senatu, & Ordine amplissimo, vocatis etiam ad consilium potentioribus & patriciis, facto S.C. decreverunt unanimi consensu, non admittendos in urbem Caninefates, nequid detrimenti respublica caperet, ex civium dissensione, aut tumultu populi ejus, qui decus, dedecus, famam infamiam susque, deque haberent, & jus omne in acie gladii portarent; publico edicto prohibentes, ne intra urbis mænia admitterentur. Ventum ad colloquia ante portam, sed re infecta discessere. Verum cum delegati in urbem reversi, portas occludi, & asservari diligenti custodia juberent: Ecce concursus statim malignantium civium, qui revulsis portarum claustris, hostibus & cuivis volenti potestatem fecerunt intrandæ urbis. Hinc clamor civium, & plausus gratulantium, qui in partes Caninefatum transierant patriæ proditores. Illi facto agmine in forum prorumpunt armati, ibi miserrima urbis facies, cum urbis dynastæ, & proceres magna frequentia congregati ante Curiam stabant, consilii inopes, qui à suis civibus destituti, patriam diis Penatibus commendabant. Hinc fuga & trepidatio; quorum quidam domum se receperunt, alii Curiam ascenderunt periculi metu, & objectis adversus violentiam repagulis, & claustris, intra Curiæ parietes aliquandiu se continuerunt. Sed crescente hostium pariter & civium rabie; alii in portas Curiæ arietabant, & adhibitis malleis & ferramentis, irrumpere conati:

Caninefatum factio. Anno 1492.

Caninefates, in Urbem admissi.

nati : alii saxorum & silicum grandine, & arcubalistis, ita domum publicam infestabant, ut nemo per fenestram caput exserere auderet. Sed cum XL. duntaxat in Curia essent, inermes, omni ope destituti, & liberationis spes nulla superesset, pacisci cum hoste maluerunt, quam extrema exspectare: ita data ad colloquium venia, cessante omni hostilitate, fidem obsidem dederunt neminem lædendi. Data fide acceptaque, Curiæ portam aperuere, quam occuparunt facto agmine ira implacabiles, specie insaniæ spirantes minas, cædes; quosdam converso in pectus mucrone demisere: sed Nicolaum Ruyvenium urbis prætorem & Petrum Thomæ scabinum & fratrem ejus Andream Thomæ, excarnificatos omnibus modis, crudeli morte interemerunt sub vesperam. Nec quies data: nam nocte intempesta, ut majori securitate latrocinarentur, quidam oppidani & urbis indigenæ, excitato ad terrorem civium nocturno tumultu, potentiorum civium domos expugnabant, & spoliabant omni supellectile, vasis argenteis, ad hæc revulsis scriniis, ablatis syngraphis, tabulis & codicillis, detractis etiam sigillis, irreparabili civium damno. Nondum his satiati ad forum reversi, in Curiam involarunt, prædæ inhiantes: ibi effractis claustris, & gazophylacio, & perrupta pupillorum Camera, reserata scrinia, lacerata acta pub. syngrapha, tabulæ, ab iis etiam, quos minime decuit, qui vim omnem propulsare summo jure debuissent, si eam ab extraneis illatam constaret. Ita ut nemo alicujus nominis, intra ædium suarum penetralia continere se auderet. Ita enim exacerbati militum & civium quorundam animi, ut rebellionis, audaciæ, nec finem facerent, nec modum, proximi insaniæ. Ita latuere tota illa nocte primarii cives, quibus erat *Equus, & pater & res*, usque dum deferbuisset latrocinantium rabies. Postero die nominati duces IV, qui singuli XXX Viros ad urbis præsidia haberent, quibus obviam irent armata manu perniciosis seditionibus, & rapinis. Cessante furore, novo edicto de Curia proclamatum, ut quicunque latuissent in tenebris, sub lucem prodirent, & in publicum: altero, ut qui bona civium rapuissent, domos spoliassent, & jure gladii sibi vindicassent per fas, nefas, ut ea in Curia sancte deponerent, & restituerent integra, sub pœna capitis, qui secus aut aliter fecissent: Et ut edicto pondus adderetur, erectū in arena

Anno 1492. Maji 3.

na, jam foro, patibulum ad coercendam sceleratorum & male feriatorum audaciam. Rebus sic stantibus & pæne conclamatis, miserabantur communem calamitatem cives boni, qui ne hiscere quidem audebant: nam quotidie Borealis Hollandiæ rustici atque oppidani, rerum novarum cupidi, majoribus indies copiis Harlemum venerunt, qui in partes Caninefatum iverant: & illi quidem novum belli apparatum faciebant, & conjunctis viribus, collectis copiis suscipere expeditionem in plagam australem in animo habebant. Neque id tantum, verum optimos quosque cives armata manu in partes suas traxere, & Urbem relinquere, & signa sequi coëgerunt. Nec ita multo post delectu militum habito, exercitum ducunt non ita magnum, ter millium & amplius virorum, qui circa horam v. vespertinam urbe egressi, Nordtvicum usque pervenerunt, & ibidem pernoctarunt. Nec diu cunctati, postero die circa meridiem Lugdunum venerunt, ubi collatis signis ad præliandum se componunt, manus conserunt, & proximum propugnaculum vi ceperunt, frustra obnitentibus militibus præsidiariis. Quæ ibi commiserint latrocinia, Victoria feroces, haud facile est dicere.

Caninefatum nova exped.

Ita Harlemei aliquantulum respirabant. Sed qui in urbe manserant Caninefates, & socii Alcmeriani, jussi urbe excedere, edicto publico, excitato novo tumultu, armati sese opposuere; publice testati, nolle se urbe excedere, metuentes, relicta semel urbe sese exclusissimos in posterum futuros. Interea fanda atque infanda passi cives Harlemei, nec data est quies, cum alia atque alia supervenere mala. Ac primum quidem Albertus Saxoniæ Dux, cujus intererat, in Hollandiam, assiduis bellis æstuantem, magnam militum armatorum manum submisit, qui Noortvici primum castrametati, ubi impunè latrocinati, Santvordiam petunt cum toto exercitu, qui nec sacris parcerent, nec profanis, templa incenderent, domos everterent subjecto igne, pecora abigerent, ut nihil in vico illo relinquerent præter ærumnas, nemine resistente. Tollunt animos, & ulterius progrediendi crevit audacia, Harlemum usque latrocinia exercebant impune. Ita ex rapto vivebant, abacto multorum pecorum grege, colonis etiam in captivitatem abductis. Ita præda onusti Bavarovicum tandem delati, animo invadendi: verum municipii illius incolæ, & accolæ, fortiter sese opposuere,

Bavarovicum direptum.

 & in

& in fugam illos vertere, etiam atque etiam conati frustra; Sed cum plures numero essent adversarii, & præliis assueti, victoriaque ferociores, tandem municipium illud vi ceperunt, prælio superiores. Ita in fugam versi loci illius municipes, cæsi, fugatique extrema passi; matronarum & virginum stupra, sacrilegia, latrocinia, municipium illud funditus everterunt, & rapinis ita infestarunt, ut nec sexui, nec ætati parcerent. Denique cum oppidanis nihil reliqui fecissent, viros omnes, præter fugitivos, captivos abduxerunt, & non nisi enormi redemptionis pretio dimisere, & vectigales fecere. Ita hoc florentissimum municipium penitus exhaustum, & pæne pessumdatum. Neque hoc tantum, sed vallo munire locum cępere, ut ibi hibernarent. Harlemei interea, in tanta rerum perturbatione, & animorum consternatione perplexi, & anxii, nec quid facto opus esset satis intelligentes, cum nulla intercederet cum ipsis belli societas, & neutrales esse maluissent ab omni partium studio; nisi quidam, ad rebellionem operam suam obtulissent, effractis portarum obicibus & claustris, compulsi etiam ad novum & intestinum bellum, obnitente urbis præfecto. Tandem eo res rediit, ut peregrinum militem advocandum, & intra urbis mænia recipiendũ contenderent, quod factum etiam. Illico advenere militum copiæ, qui barbarorum incursionibus obviam irent, miseris & afflictis opem ferrent, propugnacula eorum expugnarent, cæderent fugarentque prædatores. Dum ita affligerentur passim pagani, coloni, rumor spargitur, ipsum Saxoniæ Ducem in Hollandiam cogitare, & jam in via esse cum magno comitatu & militum pręsidio, & Hagæ-comitis jam exspectari. Harlemei gavisi super adventu Ducis, statim delegarunt quosdam ex suis viros apprimè honestos, & cives non è multis patritios: qui petito & impetrato salvo conductu, ad colloquia tandem admissi. Et Hagam delati, data fandi copia, ita cum Duce transegerunt, ut Harlemeos quasi læsæ majestatis & perduellionis reos, in gratiam reciperet. Reservato hoc sibi, quod Harlemum invisere, & ibi aliquandiu commorari, cum aulicis vellet, ad protectionem bonorum civium, & correctionem malorum rebellantium, data fide, & addito hoc promisso, se pacatum & amicum venturum, ad gratiam magis propensum, quam ad vindictam. Verum illud

lud juxta indigne tulere Caninefates & Alcmariani, metu majoris mali, quod male ſibi conſcii eſſent. Interim non ceſſavit latrocinantium rabies, qui cum nihil reliquum feciſſent, præter famem & inediam, propugnacula ſua deſerunt, & in vicinos pagos copias ducunt: pulſis fugatiſque colonis, Velſemum depopulantur antiquum. Nec immunes à rapinis Scotani; graſſati Harlemum uſque, domos, villas obvias incendebant; abactis ovium gregibus, vaccarum & equorum armentis, omnia venalia habebant, utenſilia etiam, quæ ſecum aſportabant præda onuſti. Harlemei rerum adverſarum feſſi, & malorum pertæſi, in libertatem ſe aſſerere, Caninefatum jugo excuſſo, clam & tecte diu ſtudebant. Itaque viri boni & ſapientes, & patriæ amantes cives, in id potiſſimum incumbebant, ut patriam liberare his malis poſſent. Nec ita multo poſt, reſtituendæ urbis publico edicto ſancitum, ut omnes hoſpites, & peregrini, Caninefates, cum aliis viris militaribus, equitibus, calonibus, urbe excederent, ad ſuos redirent; atque illud edictum publice de curia proclamatum fuit, frementibus fruſtra Caninefatibus. Erant præterea militum copiæ ante urbem, ex Geldria, Clivia, qui iſtuc venerant ſtipendii merendi cauſa, flagrante bello inteſtino, qui intromitti in urbem ſollicitabant: verum illud minime conſultum viſum urbis primoribus, quoniam ineundæ pacis ſpes affulſerat magna ſub adventum Ducis. Nec ita multo poſt Saxoniæ Dux Albertus comitantibus nobilibus & Viris militaribus Harlemum properabat. Adventante Duce cives omnes exarmati: ita Urbem ingreſſus, qui honorifice exceptus, præeuntibus ad pompam ſpiritualibus & Canonicis; Ordinem ducebant IV. Dominicanorum Ordines, qui vacare precibus ſoliti, habito ſollenni proceſſu: Hos ſequebantur cives patriæ, urbis incolæ, ſupplices pulla, in veſte, ad genua Principis procidentes, qui offerebant quam poterant humillime portarum claves. Tanta civium conſternatio, & erga Ducem ſuum reverentia, ut ſeſe ſubmittere non poſſent magis. Verum qui ſibi male conſcii malefici, qui revulſis clauſtris, hoſtibus viam aperuiſſent invadendæ urbis, multaque per inſolentiam perpetraſſent fanda, nefanda; qui civium bona ad ſe rapuiſſent, lares domeſticos violaſſent excitato nocturno tumultu, ſub adventum Ducis Soxoniæ

Caninefat. Vrbe exire juſſi.

Adventus Ducis in urbem. Anno 1492. 1488.

niæ Urbe excesserunt, spontaneo exilio. Vix ibi pedem fixerat dux Saxoniæ, cum statim erectum in foro patibulum, & theatrum Justitiæ in arena vulgo dicta, ut pœnas darent malefici & reipublicæ perturbatores. Sed cum multi civium urbe excessissent, crescente indies civium discordia, periculi metu, jussi omnes redire, sub pœna confiscationis bonorum: plerique tum reversi. Verum præcipui factionis duces & antesignani qui portarum claustra effregerant: quique excitato nocturno tumultu urbem infestaverant, potentiorum civium domos invaserant, fugæ se dabant. Quippe omnibus illis, qui in urbe manere nollent metu pœnæ, dato salvo conducto exeundi ex urbe, facultas data, priusquam Dux Saxoniæ in urbem venisset. Hoc momordit principem cum intellexit, & indignissime tulit, atque Harlemeos in maximum discrimen adduxit. Quoniam illicò mulctati, & absque ulla dilationis mora pendere jussi XXVII. millia florenorum, moneta Andreæ nomine signata: quo non parum consternati civium animi, bellis assiduis, & rapinis exhausti, cessante omni commercio, cum nec plebei victum quærere, nec mechanici artem exercere ad quæstum possent, nec reditus annuos acciperent locupletes; agris undique vastatis, abactis gregibus atque armentis, prædiis incensis, colonis bonis fortunisq; omnibus exutis; unde pecuniarum tanta penuria, ut cives solvendo non essent. Ita miseranda urbis facies ad summam angustiam redacta, ad desperationem usque. Quid facerent cives miseri? vasa, pocula argentea, inaurata, celata, signis horrida, cimelia, signa pretiosa, cochlearia, & quidquid in pretio haberent, in medium attulerunt, & in Curia reposuerunt, pro ut censa civium capita. Et quod omnium gravissimum, hoc ipso tempore Saxoniæ Dux pro imperio vocatos ad se primarios cives jussit signa, vexilla, privilegia, archiva apud se deponere, quæ & sibi servavit, & indignos eos declaravit, qui signa patriæ circumferrent, privilegia haberent, ut, ab antiqua Harlemeorum virtute degeneres. Hæc multaq; alia passa est urbis patria, tanquam ab hoste capta. Atque ut hæc omnia, speciem aliquam juris haberent, plurima eodem tempore comitia habita Harlemi, ad quæ vocatæ pleræque Hollandiæ Civitates, qui Harlemensium non miserti, sed adversarii potius ex veteri odio, ut sæpenumero accidere videmus, ut

A Carolo restituta.

ut gaudeant homines alienis malis præpostero studio. Postremo ut suos in officio contineret, ne in posterum rebellarent, propugnaculum ingens aggesta terra exstruendum curavit, in publicis sagittariorum hortis, ad domandam civium ferociam, ut dicto audientes haberet Et adhuc eodem mense, Maji ultimo die, Dux Saxoniæ ut rempublicam ordinaret, Prætorem creavit urbanum, tum Coss. & Scabinos, senatores & thesaurarios, qui fisco præessent, aliosque officiales, & subalternos magistratus, quos jurare in nomen suum coegit, quod Harlemei suis privilegiis, & actis sigillatis orbati essent. Constituta repub. justitiam administrari voluit, & animadvertendum in eos censuit in exemplum, qui portarum claustra publica violassent, & in secretos civium potentiorum lares involassent, quique excitato nocturno tumultu, longè lateque grassati; quod & factum: ita terror ad omnes, pœna ad paucos. Ita rebus ordinatis & pacatis mense Junio Dux Saxoniæ Harlemo discessit; & eadem ipsa nocte omnes bombardæ, instrumenta bellica, omnia tormenta ænea, ferrea, balistæ etiam, quæ in portis, turribus & civitatis mænibus in usum belli collocata,

Ducis Saxon. Discessus. An. 1488. Jun. 8.

loco mota, ante Curiam delata, postea ad propugnaculum, tandem ex urbe elata. Sed cum omnium indignissime tulisset cædem Gulielmi Ruyvenii prætoris Harlemi, in cædis authores gravius animadvertendum ratus Saxoniæ Dux, gubernator generalis, litteras veniales concessit, specie gratiæ, Harlemo, Alcmariæ, Frisiæ, Kein heimeriæ, aliisque inde dependentibus vicis, ut amicis & consanguineis Gul. Ruvenii prætoris Harlemei, qui multis vulneribus confossus, capta subactaque Harlemo, miserrime periit, mulctam pendant ad correctionem tam honeste, quam utiliter ad præscriptum Ducis. Ita Dux Saxoniæ jam dictus decrevit & declaravit, decernit & declarat, præsentibus hisce, ut prædicti Harlemei, quique in Keinheimeria, Frisia pagi, pendent & persolvent ad refocillationem piæ animæ Nicolai Ruyvenii quadringentos florenos D. Andreæ sacros, qui valebunt singuli XXIV. stuferos, ad consecrandum sacellum in arce Saxoniæ, quæ Harlemi, cum tabula in qua depictam voluit imaginem Gulielmi Ruyvenii, in qua repræsentabitur, quo crudelitatis genere occisus atque interemptus fuerit. Præterea DCCC. Andreas aureos

Ruyvenii Præt. cædes & expiatio.

reos, quibus consecrabunt, & expiabunt capellania in eodem sacello XL. aureorum, ut eorum impensis in singulos dies observentur missalia perpetua observatione, excepto eo quod die Jovis, missam crucis celebrabunt canoram, atque ea quotidie celebrabitur in sacello Saxoniæ jam dicto. Et hujus capellaniæ collator Dux Philippus regis Hispaniarum filius, atque adeo hæredes posteri, tam Comites, quam Comitissæ Hollandiæ. Et si forte Saxoniæ duci visum fuerit demoliri arcem, una duntaxat missa in sacello jam dicto perennabit; cætera missalia observabuntur cum omni devotione, eodem plane modo quo dictum in altari templi augusti D. Bavonis, in quo prædictus Gul. Ruvenius sepultus. Atque hoc quidem sacellum, intra sex menses ad sceleris expiationem consecrabitur, præfectis ad id negotium viris piis, & relligiosis, servato hoc ordine, ut eo ipso tempore, quo sacellum illud condetur, quotidiana celebretur missa ad altare arcis Saxoniæ. Præterea Harlemei, Alcmariani, & pagani viduæ relictæ, & hæredibus consanguineis, ipsorum nomine trium mensium proximorum spatio CC. florenos pendent, eo duntaxat fine, ut in æternam perpetratæ cedis memoriam, duo conficiantur vitra, unum in templo Harlemeo, alterum in templo Alcmariano, cum inscriptione delicti, quod perpetratum & commissum, in persona Gulielmi Ruyvenii piæ memoriæ, quo anno, quoque die. Porro Harlemei, Alcmariani pagani jam dicti itidem ad refocillationem animæ, è vestigio peregrinationem religiosam obeundam Romam usque procurabunt, mandabuntque, ut ibi Petrum, Paulum, Divos invisant, propterea quod jam dictus Ruvenius, peregrinationis sanctæ votum fecerat, eamque à Viro relligioso suscipiendam, quem ad illud negotium hæredes proximi & consanguinei, idoneum judicabunt. Atque hujus quidem peregrinationis quisquis ille fuerit auspicabitur, intra unius proximi mensis spatium. Præterea Harlemei immunitatem dabunt, cerevisiæ, vini, tritici, aliarumque rerum quæ ad vitæ hujus subsidia faciunt, atque hæc quidem omnia viduæ Gulielmi Ruvenii cum tota familia, quo ad vivet: Et post ejus obitum tam filiæ, quam filios natu maximis jam dicti Ruvenii, quotquot in paternis ædibus, ad arenam sitis habitabunt. Item porro jam dicti Harlemei, Alcmariani,

cum pagis jam dictis persolvent prædictæ viduæ, liberis, atque hæredibus, aut consanguineis ipsorum nomine, mille florenos Andreæ sacros, ad plenam perfectamque restaurationem & ædificationem ejusdem domicilii, quali piæ memoriæ Gulielmus Ruvenius morte excesserat, quorum partem alteram primo Octob. die, & primo die Januar. proxime sequentis alteram, sponte & sine tergiversatione ulla persolvent. Act. VI. Jun. *An. M.* CCCC. XCII. Præsentibus Adolpho Comite Nassoviæ Cancellario, & Comite Egmondano Hollandię gubernatore generali, D. & toparcha Berssel, Trajectensis Ecclesiæ Præposito quæ ad Mosam, item decano à Myssen, Doctore Weisleven, & Ludovico Quarreæ, Senatoribus, me quoque præsente, qui subsignavi, Barry. Atque ita Harlemo Hollandiæ, Boreali Keinhimeria relictis, tandem appulit in Zeelandiam. Post discessum Ducis, cives arma repetiere ad urbis custodiam & securitatem. Ita respiravit aliquamdiu Patria, mox passa est alia atque alia hæc civitas. Longum esset singulatim recensere omnia, quæ acciderunt mala atque adversa, quare de his plura dicere supersedeo, transeo ad illud quod gravissimum, & maxime memorabile, videlicet ad Obsidionem nostræ urbis.

Anno 1492.

Obsidionis HARLEMEÆ *Accurata descriptio.*

VEnio ad illud quod est gravissimum, videlicet ad obsidionem urbis patriæ, cujus fama orbem implevit, de quo nulla conticescent sæcula, cujus æterna apud posteros memoria vigebit. Verum ut in ea sequamur ordinem aliquem, operæ pretium erit observare, tum quæ obsidionem antecesserint, tum quæ obsidionis tempore acciderint; denique quæ finita obsidione, malorum Ilias. Atque ut paulo altius repetam, quasi ab ovo exorsus. Cum jam singulari Dei beneficio & misericordia, orthodoxa illa & reformata religio, ad propagationem verita-

Quæ obsidionem antecesserint.

tis quæ est in Christo, ad destru-ctionem Papismi, in Belgio indies magis magisque valesceret, & lux illa Euangelii, tanquam radiis solaribus illustrata, dissipata altæ caliginis nube, erumperet, & fulminis instar penetraret quoquo versum, & sanguinariæ persecutionis violentia, incrementa sumeret indies majora, frustra obnitentibus Carolo v. & Philippo II. Hispaniarum rege. Nam anno 1550. Bruxellis publicato 29 Aprilis, & quinquennio post mense Decembri. edicto regio, nihil magis effecerunt, quam si oleum camino addidissent. Circa hæc tempora, dux quidam Vitellus, natione Italus, cum sociis qui Harlemi tunc erant, mænium profunditatem, propugnaculorum molem, portarum latitudinem, civitatis oras & limites dimensus, Hispanorum emissarius, mox in Texeliam profectus speculandi causa, Anno 1559. Et postea Ducissa Parmensis Belgii gubernatrix, renovato edicto, nullum non movit lapidem ut subditos ad obsequia adduceret, partim blandimentis, patim minis, atque adeo excogitatis omnibus artibus, quibus deliniri, atque inescari hominum animi consuevere, irrito conatu. Et cum jam desperata essent consilia, & nihil proficerent rerum Domini promulgandis edictis. Delectus tandem ad expeditionem Ferdinandus Alvares Toletanus, Dux Albæ, *Anno* 1566. cui absoluta potestas data, non limitata, consignata sigillo regio, ut res in Belgio collapsas restitueret. Ille cum ingentibus copiis, & magna militum manu profectus, in Belgium appulit malis avibus, ad vindicanda scelera & flagitia non venialia, læsæ majestatis crimina, sacrilegia nupera adhuc, quibus templa profanata, sacella diruta, simulacra dejecta, altaria eversa, idque non una in parte, sed per totam provinciam, quasi fatali ruina omnia ista concidissent. Et simul ad exstirpandas hæreses & hæreticos missus Albanus: Dein ad abrogandas leges, privilegia abolenda, ad supprimendam avitam libertatem: Denique ad coërcendam effrænatam populi rabiem. In id intentus Albanus, munitissima quæque in Belgio loca occupat; & peregrinum militem admittere coëgit oppidanos. Nova castella & munimenta in diversis partibus terra circumvallata exstruxit. Nobiles primarios expulit, aut è medio sustulit: multis etiam millibus relligionis ergò; hæresios reis interemptis. Principem Auriacum perduellionis reum declaravit

Dux Albanus in Belgium veint

claravit: Citati etiam Ludovicus & frater ejus Comites, Bergensis item & Keulenburgensis, & ex illustri Brederodiorum familia Satrapa. Denique omnes Belgas, inquisitionis hostes, hæreticos declararunt: hinc desperatio civium, odium in tyrannum, amor in Principem. Exstat oratio Principis apologetica, qua se purgare conatus est apud regem, sed surdis fabula hæc fuit. Princeps omni ope humana destitutus, invocato Dei nomine, à Germaniæ Principibus auxilia petiit. Nec difficiles se præbuere hac in parte Germaniæ Proceres illi, quos affinitate sibi conjunctos habebat. Evestigio delectus militum habitus, datæ per collybum pecuniæ: hinc bellum inter Albanum Ducem & Principem Auriacum, & socios ejus. Mox proscriptus Princeps, relegati Proceres, bonis, fortunisque omnibus exuti: quidam etiam capitis damnati, Egmondanus præfectus maris, & Comes Hornanus. Exstat epistola Egmondani apologetica ad regem, cujus hoc apographum.

Serenissime Domine.

Quod Majestati tuæ complacitum, in judicio, capitis me damnare, & sententiam mortis pronuntiare, equidem doleo, & non sine mærore animi hac nocte intellexi; cui acquiescere & patientiæ me dare est animus, paratus ferre quæ D. *Deus immittet mala. Tamen illud pro certo, atque indubitato majestas tua habeat velim, (testor Dei atque hominum fidem) mihi nihil unquam propositum fuisse aliud quicquam, nec in mentem venisse aliud, quam quod majestate tua, & vocatione nostra dignum, aut quod Catholicæ fidei quicquam derogaret. Si actiones meæ, aliorsum tendere visæ nonnullis, credat hoc mihi Majest. Vestra, id necessitati temporum, non perfidiæ aut contumaciæ imputandum. Quocirca (quæ unica mihi ad salutem est via) ad Majestat. tuam supplex venio, clementiam vestram imploro, & si quid peccavi, delicti veniam peto: ut propter merita etiam qualiacunque mea, misereri dignetur Majest tua: Conjugis meæ in primis & liberorum innocentium, pignorum carissimorum, atque etiam famulorum meorum. Hæc suprema petitio mea, hæ preces novissimæ, quas si exaudire dignetur Majest. tua, in æternum me obligabit. Hac fiducia subnixus, divinæ tutelæ me commendo. Bruxellis* 5. *Aug.* Anno 1568. *Subscriptio erat.*

Majest. Vestræ humillimus, fideliss. clientulus & subditus, ad omnia officia paratissimus usque ad mortem,

Præfectus maris, EGMOND.

Verum nihil supplicationes, nihil preces valuere apud Regem, aut regios ministros: ita Egmondanus, Hornanus, capite plectuntur: Nec aliud exspectandum erat illis, qui fuga sibi consuluerant, quasi perduellionis reis. In hoc discrimine positi *Anno 1568.*

 mi-

miseri cives, errabant consilii inopes sine capite. Tandem aliis signum sustulit Princeps Auraicus, collectis undique ex Germania & Gallia copiis exercitum parat ultra Mosem trajecit. grassatur interim Dux Albanus, rigidus pecuniarum exactor, decimas, vicesimas petit, persecutionibus magis intentus, quam armis, securus periculi: Hinc Ordinum cautelæ, subditorum & civium querelæ, Auriacus interim nullam rei bene gerendæ occasionem prætermisit. Albanus æstuabat Lupi instar circa ovilia. Ita misera & afflicta passim rerum facies. Citati Ordines Hollandiæ, & proclamati perduellionis rei sanguinario concilio. Hollandiæ proceres & Trajectenses provocare ausi ad Regem suum, pertæsi tyrannidis Albanæ. Ea susque deq; habens Dux Albanus legem renovat de decimis & vicesimis exigendis. Verum Ordines sese opposuere aperte & animose, & edictum publicare detrectabant. Amsterodamensibus obnitentibus omni modo, mulcta imposita est xx. millium florenorum. Circa hæc tempora inundatio periculosa fuit, exorbitante lacu vi tempestatis. Tandem ut speciem ali- *Anno 1570.* quam Clementiæ daret, abitum parans, veniam & gratiam, vulgato Antwerpiæ edicto An. 1570 resipiscentibus, & Ecclesiæ nutritiis pollicetur, Exactiones quoque pecuniarias remisit: Trajectensis arx ab hispano milite occupata rursum pro eo tempore liberata. Ita rebus feliciter gestis, uti sibi imaginabatur, & toto Belgio quasi sub jugum misso, *Anno 1571.* restituta repub. vindicata relligione, demissionem à rege suo petiit, & impetravit. Hoc ipso tempore Hispanorum centuria, Harlemum venit, & postea centuria altera militum, qui tota urbe grassati, civium domos infestabant, & extrema minabantur, & congressu impares tandem, Trajectum petiere VII. Novemb. & ut æternam sui memoriam relinqueret, erexit statuam in arce Antverp. cum hac inscriptione, PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS APVD BELGAS PRÆFECTO, QVOD EXSTINCTA SEDITIONE, PVLSIS FVGATISQVE REBELLIBVS, ASSERTA RELLIGIONE, IVSTITIA VLTA, PROVINCIÆ PACEM FIRMAVIT, REGIS OPT. MINISTRO, POSITVM. Ita Dux Albanus triumphum canit ante Victoriam. Nam cum reditum parat in Hispaniam, & de discessu cogitat lætabundus; ecce *Anno 1572. pr. Aprilis die* rumor spargitur à piratis Brielam captam. Quo nuntio con-

ſternatus nonnihil, conſilium mutat, diſceſſum ſuſpendit, nec diu cunctatus, Comitem de Boſſu acciri jubet; Brielam mittit, ut oppidanis ſucurreret, incaſſum. Eodem fere tempore militum rebellio Trajecti, qui ſtatim diſcedere Trajecto juſſi. Nec otioſus Boſſu, qui Rotterodamum, prætextu cum copiis tranſeundi, per vim ſubdole occupat. hinc Goudæ tumultus popularis. Laboravit anxie Dux Albanus, cum adverſa omnia nuntiarentur: ad conſcribendum novum militem pecunias petit à Rege, quibus impetratis reſumit arma, minas ſpirat, exſecratur rebelles. Enchuſæ diſcordia civium: prævaluit pars potior, quæ mutato Senatu jurarunt in Principem Auriacum: Sonoy Borealis Hollandiæ præfectus, redacto in ordinem ſtatu publico, accendit animos ad tuendam libertatem. Contra Albanus copias cogit tumultuario, incertus quid facto opus, cum *Medenblicum* quoque,
Anno 1572 in Iun. Horna, aliæque civitates Borealis Hollandiæ jurarunt in verba Naſſovii. Nec defuere qui Alcmariam invaſere, tuendæ libertatis ſtudio. Ita rebus pœne jam conclamatis Dux de Medina in Belgium venit, curaturus hæc mala. Vliſſingani mari ſeſe committere & infeſtare illud & ex rapto vivere cæperunt, parta magna præda. Veteraquinates, Goudani quoque in partes Principis tranſiere. Lugdunum, Dordracum, Goricomium, ultro ſeſe obtulere, ſtudio libertatis. Ad hæc Bomelia capta, Bura agnoſcit legitimum Dominum. Harlemei quoque expediundæ ſalutis *Anno 1572. Iul. 3.*
conſilia capiunt tecte, pauci, qui à Principe ſtabant, Gerard. Berchenroode, Joh. Colterman & Petrus Kies, qui conſcio Principe tentabant innovare ſtatum reipub. ſi fieri poſſet abſque tumultu. Illi fiducia bonæ cauſæ Magiſtratui aperuere tandem conſilia ſua, quæ pleriſque minus placuere, petito ad deliberandum ſpatio. Sed cum revelaſſent in Ducem Albanum odia civium, amorem erga Principem; pleno Senatu Berchenrodius & Coltermannus comparuerunt, exhibentes litteras Principis, & urgentes reſponſum extemporaneum; tandem inter eos ita convenit, pacta hac conditione, ſervandum juramentum Regi datum, & Principem præfectum ejus, in honore habendum: neminem Senatu removendum, ante adventum Principis: Albanum pro hoſte habendum; ſed avitam relligionem & fidem Catholicam ſervandam, clerum & ſpirituales à vi

publica protegendos, à ſacris abſtinendum. Sed prævaluit militum effrænata licentia. Ita omnes fere civitates in partes Principis Auriaci jerant, & in nomen ejus juraverant. Amſtelodamum tenax propoſiti in fide Philippo data perſtitit, nec defecit ab Albano. Comes Bergenſis in Ducatu Geldriæ occupabat complura oppida. Friſia quoque in partes Principis inclinare viſa eſt. Ita tandem pacis & concordiæ inita fœdera: in Hollandia Ordinum Comitia Dordraci habita, legibus atque inſtitutis formata republica. Quæ ad pacem, quæ ad concordiam pertinerent, ſedulo procurata, abjurato rege, exſecrata tyrannide Albani, conceſſa relligionis libertate. Interim non dormitabant Hiſpani, magis efferati Harlemo inhiantes, clam primum, mox aperto Marte. Hinc ſecuta *Belli præludia*. incenſum ab Hiſpano Sparendamum & funditus everſum. Santvordia quoque maritima diruta, injecto igne. Christianus à Sonneviel Cliviæ arcem occupat: fugatis colonis, everſis & incenſis molis alatis, omnia vaſtabat. Dein accerſitis militibus qui Roterodami ad huc in præſidiis erant, comportatis aliquot tormentis bellicis, Delphos prætereibant circa urbis mænia, petentes Hagam, inexſpectato militum ad ventu, non territi. Supremæ Curiæ Senatores, Quæſtores regii, quique archiva ſervabant regia & diplomata, multique alii fugam ſimulant. Milites intactis Hagæcomitanis cum ibi pernoctaſſent, iter faciebant in littore juxta mare, Harlemum uſque, in nemore caſtra metati, ubi dux Sapeda ſuburbia infeſtabat, magnæ molis molas evertebat. Inde magna civium trepidatio & conſternatio, exacerbatio militum, qui occupato monaſterio Minoritarum ſacra diripuerunt: & cum propius ad urbem hoſtes accederent, & tormenta aliquot exploderent, unde concurſus civium deinde militum; juſſi ocius civium liberi puberes & impuberes ſine ullo ſexus diſcrimine mœnibus ſubvenire congeſta terra. At parte ex altera Baldeus Hiſpanorum Dux relicto Trajecto, dato conceſſoque ab Amſterodamenſibus per urbem libero tranſitu, cum v. militum cohortibus exercitum duxit; in occurſum, ad punctum horæ deſtinatæ, ſpe potiundæ urbis. Circa hæc tempora illud in primis memorabile, quod Adrianus Joh Dordracenus prætor urbanus convivium paraverat veſpertinum die Dominico 20. *Iul.* ad quod invitaverat pleroſq; civitatis

Anno 1572. in Iul.

tatis Senatores, & cum iis Ioh. Colterman Principis Auriaci deputatum, ut illi gratificaretur, verum ille quantum potuit excusavit, sed instante famulo, & plusculum invitante, tandem venit. Ibi cum esset media inter pocula viator ingressus nuntiat advenisse nobilem quendam camerato curru Brabantino, stare ante portam, & obnixe petere, ut intromitti intra urbis mænia posset. Ibi qui tum aderat Consul Didericus Ramp, jubet ire in Curiam, inde claves petere, sub pulvillo repositas, portam aperire, & hospitem nobilẽ admittere. Colterman, quasi Genio id suggerente, suspicatus aliquid mali subesse, surrexit de mensa, & dixit, quasi pro imperio, se nolle aperiri portam, nisi se præsente; obnitentibus frustrà cæteris, atque orantibus, ut maneret, cum ministro publicæ ivit in Curiam, & inventis clavibus, nobilem illum de Grave intromisit, & deduxit in hospitium. Nec in eo acquievit, præsaga mali mens, quasi divino spiritu tacta de cælo; ipse excubias obire cepit: & cum ad portam venisset Sparwoudanam, non alios vigiles invenit, quam unum aliquem imberbem adhuc, & ulterius progressus Schalcvicum versus, virum alterum invenit, cui nomen Matthias Florentii, qui bipatentibus portis nocte intempesta in ponte staret adapertili, conversus ad vicinum Sparnæ aggerem: rogatus ubi alii essent vigiles, qui excubias agerent, negavit se scire, & istuc se venisse dicebat, ut rusticas ad mulctram emitteret. Colterman jam dictus, observato eo, quod aggerem identidem respiceret, oculos quoque ad aggerem flexit, & visus sibi videre naves complures, quæsivit, quid sibi vellent tam vicinæ aggeri naves veliferas. Respondit satis contumaciter, cohortes militum esse. Tum rei novitate attonitus atque indignatus Colterman exclamat, scelestissime, patriæ proditor, maleferiate, carnifex, itane cives tuos hostium lanienæ exponere in animo fuit? Apage, inquit, & ito in malam crucem, mortalium nequissime: & simul stricto ense interficere cum paratus esset, in fugam se coniecit quantum potuit. Ille cum se derelictum videret, excitare vicinos, caducum urbis pontem subducere, portarum valvis claustra & repagula objicere. Jussitque eos quos ad manum habebat circumquaque ocius excurrere, monere Ruychaverium qui 13. Jul. cum CC. militibus Harlemum venerat, cum militibus suis

ar-

arma sumere, periculum in mora esse, vocatis etiam ad arma civibus. Hostes interim propius adventare, existimantes portam sibi patere. Verum ex improviso aderant milites præeunte Duce (quibus hactenus non concessum ad portas excubare:) armati eruperunt, & facto in hostem impetu, manus conserebant, & inito in pascuis suburbanis prælio, prope villam Joh. Pietameni, interclusere aditum, quo minus hostium conferta acies (qui à Comite Bossu ad eam machinationem missi)ad Quietis arcem penetrare, possent : qui cum eo tenderent ut Scalvici per portam flumentanam urbem invaderent, detectis insidiis, irrito conatu Sparendamum reversi. Circa horam nonam ejusdem diei Senatus habitus Harlemi, ubi prædicti deputati, quorum maxime intererat, Coltermannus ille sospitator, cum Berckenrodio, & P. Kies, comparuere, ad mitigandos & in ordinem redigendos, qui rei atrocitate exacerbati cives in factiones ivissent. Cum eo ipso tempore Hispanorum cohors, ducente agmen Don Rodrigo de Sapada, Hagacomitis Harlemum venisset, castra metatus in nemore ad partem meridionalem. Decretum tandem omnium suffragiis, ut jam dictus Coltermannus, litteris fiduciariis instructus, supplicatum iret ad præfectum & Ordines Borealis Hollandiæ, urbi periclitanti suppetias ferrent, copias cogerent quantas possent. Comitabantur eum Robertus ducis Kabelai legatus, & una cum illis pastor Joh. Michaelis fuit. Qui illico porta Zylensi egressi, ducente milite præsidiario, per colles arenosos profecti, transibant arcem Brederodiam. In his nondum acquievit populi animus, verum Berckenrodio quoque, flagitante Senatu, injunctum, ut litteras ocius daret ad D. & Toparcham à Swieten præfectum Goudæ, ut cohortem unam aut alteram in subsidia mitteret. quod & factum. Coltermannus Enchusam delatus, ad Sonoy totius Borealis Hollandiæ gubernatorem, & ejusdem provinciæ Ordines supplicatum venit, ut auxilia submitterent. quod non multis precibus exoravit, impetrato eo, ut præfectus Lazarus Muller, cum duabus cohortibus, CL. Virorum singulis, Harlemeis in auxilia veniret, laborantibus opem ferret. Parati ad expeditionem illico profecti sunt : quos secuti plurimi cives Hornani, & Alcmariani, relligionis zelo & libertatis amore voluntarii, ducente civium manum

num Nicolao Rop. Ita una profectiBavarovicum cum venissent, rumor spargitur Hispanos omnes qui in præsidiis Hagæ fuerant, Harlemum appulisse, & una cum iis Senatores, & Quæstores regios, & Curiales, castra jam posuisse in vicino nemore. Quocirca non inconsultum visum fuit, iteratis litteris à Borealis Hollandiæ gubernatore auxilia petere. Cui æquissimæ petitioni ille ut faceret satis: illico copias Transisulanas, quæ primum advenerant, auxilio submisit, jussitque omnes colonos in isto tractu Principis castris subvenire re frumentaria in primis, aliisque quæ ad levandam annonam pertinerent. Die postero Dux Muller cum copiis suis ad Portam arenariam quam vocant, pervenit primo diluculo, cum primum Harlemeos de adventu suo certiores fecisset; in eum finem, ut anniterentur pro viribus, communem causam juvare. Ibi cum essent, viderunt eminus adversariorum cohortes, ex arce Clivensi instructa acie accedere, Sparendamum tendere, nostris in occursum venire prope sacellum Portæ arenariæ, ubi prælio inito acriter dimicatum: Tandem in fugam versæ Hispanorum cohortes, Sparendamum retrocesserunt, relictis centum aut amplius viris, cum parva strage Ducis Mulleri. Sed re ipsa compertum quem incerta belli alea, & quam apposite à poëtis Mars fingatur Ἄρης ἀλλοπρόσαλλος. Nam non ita multo post mutavit vultum Fortuna. Cum omnes Hispani illi qui Haga-comitis venerant & qui secuti eos, certiores facti suos cæso fugatosque, illico relictis castris ad aggerem contendunt summa qua poterant festinatione, & prælium committunt furiata mente. Quippe Hispani veterani omnes, & bene exercitati milites, Mulleri copias facile in fugam verterunt & dissiparunt cæsis quingentis aut sexcentis in fuga, prope Velsam. Ille in medios hostium se conjecerat etiam cum vitæ periculo, sed cum inclinare aciem & suos in fugam versos sentiret, retrocessit, ut suos sisteret & à turpi fuga revocaret. In hoc prælio præter milites gregarios ceciderunt duo signiferi non inulti. Hoc prælium commissum 27. Jul. Anno 1572.
Hispani deinde cum toto exercitu, nec deserente exercitum Curia Suprema, Hollandia discessere recta Trajectum petentes. Verum Trajectenses cum Germanorum præsidia intra urbis mænia haberent, Hispanorum copias in urbem recipere recusarunt; experti aliquoties into-

H tole-

tolerabilem Hiſpanorum inſolentiam & immanitatem. Ita Hiſpani nulla cogente neceſſitate Hollandiæ fines deſerebant. Harlemei mæſti ſuorum ſtrage, refocillati nonnihil Hiſpanorum diſceſſu, pacem ſomniabant: Sed ſuper venere alia atque alia multo graviora. Nam cum Dux Albanus Montes Hannoniæ obſidione cinxiſſet, & Princeps Auriacus juxtà caſtra haberet ad urbem liberandam. Eo ipſo tempore x. & ſequentibus Auguſti diebus, Comitia Harlemi habita, ad deliberandum quid conſilii caperent ad reipub. incolumitatem, patriæ defenſionem, adverſus Ducis Albani & Hiſpanorum tyrannidem & violentiam, præcipue verò in id incumbendum rati, ut pecunias exigerent, ſubſidia excogitarent, quibus hoſtium violentiæ obviam irent, ut Amſtelodamum propter viciniratem obſiderent, quod Comes de Marque vehementer urgebat, & conſilii ſui hanc rationem dedit, quod potior civium pars (ea communis erat opinio) à parte Principis Auriaci ſtarent, eos non optare aliud magis, quam ut obſidionem accelerarent Ordines; tum manifeſtum futurum, qui patriæ amantes cives, & vindices libertatis. Verum cum Dux Albanus Montes-Hannoniæ per vim expugnaſſet: Et Auriacus copias ſuas pecuniæ inopia exauctoraſſet, & militari ſacramento liberaſſet, capta ſubactaque Mechlinia, quæ præda militum fuit, & milites Principis, ſubiugata oppida deſerere coacti. Ad hæc Zutphania expugnata ab Albani Ducis filio, miſerrimè vexata, atque expilata: Nardeno oppreſſo & vaſtato, civibus crudeliſſimè interfectis, perpetratis abominandis ſceleribus, & ſacrilegiis, raptis ad ſtuprum mulieribus, & tota cum Hollandia jam trepidaret, tum Fredericus Victoria ferox & animoſus, Amſtelodamo cum omnibus copiis totoque exercitu inauſpicatò Harlemum tendit. Interea dum præparantur, quæ ad tanti belli molem neceſſaria, Maximilianus Comes de Boſſu, Hollandiæ, Weſtfriſiæ, Trajecti gubernator, litteras ad Harlemeos miſit, quibus ſpecioſo prætextu commiſerationis lenociniis, & amittendæ benevolentiæ ſuæ in cives teſtimonio, præmonere voluit de inſtanti exitio, niſi reſipiſcant, hujus ferè argumenti.

Epiſtola

EPISTOLA MAXIMILIANI
Comitis de BOSSU
ad
HARLEMEOS.

Ampliss. prudentissimi D. Coss. & Senat. cæterique cives multum dilecti.

Quamvis, dictante id mea conscientia, penitus persuasum habeam (testor Dei *atque hominum fidem) abunde vobis satisfactum, cum vos non ita pridem certiores fecerim de futura omnium rerum inopia & calamitate, atque adeo totali vestra ruina, quam manere vos omnes præsagit animus, cum sacrosancto obedientiæ juramento renuntiare ausi fuistis, quam Regi vestro divinis & humanis legibus debetis, inexcusabiles; quæ hoc præcipiunt, ut subditi Principi, & superiori potestati, obediant. Et quamvis maximam de vobis spem conceperam, vos nostra monentis humanitate ad saniorem mentem reversuros, spontanea confessione & pænitentia anteactorum delictorum, quod decuit subditos; tamen nescio quo malo genio seducti, & vana spe usque adhuc lactati,* Erroris Labirinthum ingressi, *ab instituto pertinaci discedere noluistis: Non obstante eo, quod civium cladem, excidium urbis, in propinquo jam esse dixi. Quæ revocare seriò ad animum vos jubeo. Ad quæ mala averruncanda, non potui non, pro benigno & singulari in Hollandiam & Lemi urbem affectu, quem alias etiam (si meritorum vestrorum memoria adhuc aliqua apud vos viget) declaravi, & declarare deinceps paratus sum, quin vos iteratis litteris commonefacerem, de evidenti urbis vestræ ruina & civium pernicie instanti, si obstinatis animis reducivos in rectam viam non patiamini, orans atque obsecrans, ut expendere etiam atque etiam velitis, quanta in Charybdi salus vestra omnium posita.* Non illigatos vos triformi Pegasus expediet Chimeræ. *Ad hæc cogitare etiam vos velim, & pensitare quam periculosa, quam perniciosa sit ista commutatio, repudiare jure successionis naturalem Principem & hæreditarium, & loco ejus adhærere Vasallo & subdito profugo, & perduellionis reo: loco inquam potentissimi Principis, Ducem sequi, bonis fortunisque omnibus exutum, quem alere publicis sumptibus ipsi debetis, magno reipub. detrimento, & jactura bonorum vestrorum (dementiæ proximum:) relinquere mansuetum & clementem Principem, & ei adhærere, qui se ipsum ivit perditum, nihil aliud quærens, quam ut mendaciis & consutis dolis seducere Brutum vulgus possetu, surpando titulo gubernatoris regiæ majestatis in inferiori Belgio; in id incumbens, ut suis machinationibus, miseros cives, socios calamitatis haberet, & in abyssum miseriarum traheret, quibus sese involvit, cætera securus: Moveat vos calamitas nupera adhuc Mechliniæ,* Dermondæ, *Zutphaniæ, (omitto alias civitates,) quas ipse expilavit, diripuit, solo evertit. Nec est quod aliud expectetis, ab eo qui ex vestra infelicitate felicitatem suam quærit, deserturus vos tandem, mediis ut sic dicam tempestatibus, gubernator infidus. Et quoniam non obstantibus iis, quæ jam dixi, procerto atque indubitato habeam, & interponere etiam fidem ausim (nec dubitare vos velim) solitam mansuetudinem & regiæ majestatis clementiam patere adhuc, si modo vos ad confessionem delictorum submittere, & pænitentiam*

agere non dedignemini, antequam superveniat vis major & inevitabilis, & Superum inclementia: Omnes in gratiam receptum iri spondeo, voveoque. Et si intercessione mea in hoc negotio uti velitis, operam offero. Quo medio salvi esse poteritis & mansionem hic habere, & possidere in pace bona vestra, cum uxoribus & liberis vestris. Cum contrà, si imminentes cervicibus vestris copias, quibus vel ad unum diem resistere non potestis, exspectare est animus, eadem vos manebunt fata, quæ Zutphanienses, qui amplis pollicationibus Auriaci Principis illecti, atque inescati, eo usque offirmarunt animos, ut extrema exspectare satius ducerent, quam hostibus se dedere, ita ut jam dicta civitas, militum furore, tormentorum violentia dejecta, & funditus eversa non tantum, verum etiam plerique omnes tam cives quam milites, quidam gladio, quidam laqueo miserrime è medio sublati, & strangulati fuerint. Vetus verbum, felices illos quos faciunt aliena pericula cautos. Eadem vos manebunt fata, & quasi jam ad portas vestras excubant hæc mala. Et quamvis inter vos esse non dubito qui vitam pro patria oppetere, & extrema subire non detrectarent: Illi ipsi tamen in præsens periculum delati, facile mutarent opinionem obstinatæ mentis, eo magis, quod res ista ob quam se perditos irent, & mortem oppetere quam maxime vellent, ejusmodi sit, ut nemo sanæ mentis vitæ periculum adire vellet. Neque enim credo vos ita fascinatos & excæcatos esse, ut non intelligatis, vos in Deum, in Principem & salutem publicam delinquere: nec ex eo aliud posse consequi, quam religionis violationem & confusionem justitiæ, & totius Politiæ eversionem. Nec eo modo rem deploratam restitui aut pereunare posse. Iam verò comparare si velitis vestram potentiam cum potentia regiæ Majestatis, principis Auriaci, aut Ordinum confœderatorum, quis non videt quam inæqualis ea sit comparatio: quoniam (si mens & ratio aliqua vobis adhuc reliqua est) inæqualitatem ejus facile animadvertere possitis. Videtis quoque ante oculos vestros afflictiones populi & extrrmam inopiam, ad quam redacti cives, plebei inprimis, cessantibus commerciis & negotiis, sine quibus Hollandia marcet, ad desperationis consilia se vertent, quæ effugere non poteritis nisi vos convertatis ad Obedientiæ aram, & clementiam Principis, quem natura vobis dedit justa successione. Et manente in ea angustia plebe, cessantibus commerciis, & opificiis, nihil ab iis exspectandum aliud, quam ut annonæ caritate, cogente necessitate, cives potentiores oppressuri sint, & quod reliquum vobis erit, per fas & nefas rapturi. Atque hi exspectandi vobis fructus (amici multum dilecti) rebellionis vestræ & contumaciæ, quos adhuc inpræsentiarum declinare (si mens non læva) potestis. Meliora consilia sequi tempus jubet extremo in cardine: quod facere vos pervelim, addita hac promissione; si adhuc à me petatis, ut pro vobis intercedam apud Regem Dominum meum, me perlibenter id facturum, & comperietis reipsa, intercessionem meam pondus aliquod habiturum. Et quoniam res vestræ eo loco jam positæ sint, ut dilationis moràm non patiantur, prompta consilia in medium adferenda, quibus expedire vos possitis instantibus periculis. Iam militum delectus habitus, paratus exercitus, in propinquo militum copiæ, quæ recta via Hollandiam petunt. Et ut tandem finem faciam, dabitis operam, ut reciprocis

litteris

litteris certiorem me faciatis, sine ulla dilatione, quid vobis tandem in animo sit facere: à quo responso, pendet aut salus vestra, aut interitus, & exitium irreparabile. Non est quod existimetis, me in posterum quicquam praeterea per litteras significaturum, aut per alios praemoniturum. Quocirca, honorandi & comprimis dilecti amici, Deus adsit spiritu suo, atque animas vestras vera & salutari cognitione imbuat, ut reconciliari cum Principe vestro, & naturali jure successionis Domino clementissimo possitis. Hæc voti mei summa est. Trajecti 25 Novemb. Anno. 1572. cum hac subscriptione.

Amicus vester
MAXIM. de BOSSU.

Amsterodamensium literæ ad Harlemeos. Ejusdem fere argumenti litteras misit, Amsterodami cum esset cum exercitu 2 *Decemb.* 1572. Sub idem tempus Amstelodamenses quoque commiseratione vicinæ & amicæ civitatis litteras clam misêre, ad Harlemeos, quibus significarunt non obscure, regis exercitum in propinquo esse Harlemo intentum, obsidendæ urbis consilia cepisse: verum ita se rem habere, si in tempore advigilarent ante quam exercitus urbem cingeret, & veniam supplices peterent, gratiam impetraturos, & si gratum id futurum certo scirent, propter vicinitatem urbis, & mutua commercia, se paratos intercedere pro civibus: in eum finem spondebant se daturos operam, ut pervenire possent ad fœdera ineunda, sine quibus salvi esse non possent: hortantes, ne occasionem illam negligerent reparandæ saluitis, alioquin iam actum de ipsis.

His intellectis. Magistratus Harl. consilii inopes, anxie laborabant nec quid inceptarent satis intelligebant. Itaq; Senatus aliquoties habitus, ad deliberandum quid facto opus esset: verum non eadem omnibus sententia, opiniones heterogeneæ, suffragia contraria. *Decemb 3.* Quidam in vestigio Principi Auriaco significandum, & petenda ab eo auxilia contendunt: alii veniam & gratiam petendam censuerunt, subnixi hac ratione, nullas civitates obsidione liberatas à Principe Auriaco, sed in manus hostium venisse, & sub jugum missas. Contra Regis potentiam invictam, cui resistere supra vires nostras, durum quippe adversus stimulum. Alii rursum obtendebant, non esse regis mandatum, sed Albanum ista moliri præter voluntatem regis; provocandum ad supremam potestatem contendebant. Et veniam petituris eadem exspectanda rati, quæ Mechlinienses, Zutphanienses, Naerdeni passi. Alii rursum, quiiad pacem magis inclinarent, verborum contentione hic nihil opus esse dixerunt: qui veniam petendam

urgebant in instanti, absque ulla dilationi s[illegible] mora, priusquam ad nos militum copiæ supervenirent urbis obsidendę causa. Ad confirmandam eam opinionem, prolatę in medium Amsterodamensium literæ, prolatæ & alteræ à Jacobo Wii, pastore aulæ maioris virginum Vestalium, quæ est Harlemi, ad fratrem data, ejusdem fere argumenti.

Epistola fratris ad fratrem.

FRater multum dilecte, non dubito quin intellexeris quo in discrimine versetur salus omnium vestra cui nisi multo ocius occurratur, nam periculum in mora, actum erit de omnium civium vita. Perculit omnium animos sævitia Hispani ducis, ut plerique extrema omnia potius subire malint, quam in potestatem Tyranni venire. Ego ut opinionem istam animis eorum eximam, nuntio præsentibus litteris (fratri habenda fides) minime dubitandum de Regis vestri clementia & gratia, modo si ad saniorem mentem redeant, supplices veniant seque submittant potestati Ducis *Albani, nihil erit periculi, polliceor spondeoque tum ἀμνηςίαν futuram, omnium anteactorum dilictorum, immunes omnes futuros à pœna: ut id credatis respicere vos jubeo ad alias civitates, bello victas & expugnatas, quæ nihil mali passæ quæ sponte se tradidissent in potestatem Regis sui; in contumaces & perduelles, duntaxat animadversum; quique copiis regiis resistere conati. Ac proinde author vobis sum, ne occasionem gratiæ obtinendæ transire patiamini. Delegatos suos mittant ocyus Coss. & Senatores, seque humiles offerant, & totos tradant, quoniam potentiæ regiæ majestatis resistere non potestis, viribus impares. Et expendere vos étiam atque etiam pervelim, quam male res succèssura sit, si pertinaces in proposito perseverent cives vestri, & potentiam experiri & extrema pericula subire malint, quam parere.*

Quibus litteris in Senatu lectis & recitatis prima propositio hæc fuit, an non consultum videretur, ut duo è Senatu, quos sors daret, Amsterodamum mitterentur ad paciscendum cum Frederico de Toledo; aut dilationem petendam dierum aliquot, ut interea temporis, Principem Auriacum certiorem facere possint quo loco res civium essent. Ubi quidam in Senatu, qui Hispano parum fidebant, in præjudicium Principis moveri ista rati, delegationem non tentandam censuere. Ita variantibus sententiis re infecta discessum. Sed die tertio Decemb. denuo Senatus habitus ante horam VII. matutinam, cum proposita eadem fuit quæstio, plerisque in id incumbentibus, qui privatim litteras ab amicis acceperant, periculi indices, ut delegati ad Fredericum de Toledo mitterentur; prævaluere eorum suffragia, qui rem sorte tentandam censuere. Sors missa designavit Didericum de Vries & Johannem Verwer. Verum isc um tergiversaretur nonnihil, atque adeo difficilem se præberet ad legationem illam obeundam, obtulit operam Christophorus à Schagen, & legationem suscepit, assumpto Syn-

Symdico Adriano ab Assendelphis; qui eodem adhuc die ante prandium traha glaciali Amstelodamum profecti. Interim rumor percrebuit inter cives Didericum de Vries & Christophorum à Schagen coss. comitante Syndico Amstelodamum profectos ad Don Fredericum de Toledo, refragantibus aliis. Inde suspicio proditionem subesse, malè ominati venturam urbem in manus hostium. Hæc & similia in vulgus spargebantur. Rumor animum perculit Wiboldi Ripperdæ, præfecti urbis. Nam id cum intellexisset, animi impatientia commotus, eo ipso die in horam 11. pomeridianam congregari omnes jussit, sagittarios & cives, qui pro aris & focis pugnare parati semper, in publico civium qui arma gerunt hospitio. Primus in hoc ordine Wibaldus Ripperda, & cum eo Lancelotus ex Brederodiorum familia: Item Adrianus Joh. prætor urbis, Gerardus Stuyver. Atque adeo omnes Duces, & civium præfecti. Ibi tum silentio indicto Ripperda præfectus urbis hujusmodi orationem habuit

Ripperdæ Oratio ad cives.

Viri fortes, primarii hujus urbis cives, virtute clari à multis retro sæculis debellato Pelusio causa cur vos hic congregatos volui (ne quid dissimulem) hæc est, videlicet ut significarem vobis (omnium enim interest) Don Fredericum Ducis Albani filium, Amstelodamo venturum, & jam appropinquare cum toto exercitu, ad obsidendam hanc urbem invisam Hispano & perduellem. Et jam per litteras constat ad Senatum datas, quæ significant gratiam adhuc apud Don Fredericum obtineri posse, si illicò & sine ulla mora supplices veniam petitum adveniant. Et ob eam causam Coss. & Senatores, contra jus fasque, juramento susque deque habito quo obligarunt se Principi Auriaco nobis inconsultis & clam civium primipilaribus & præfectis, cum hoste pacisci; secretis mandatis instructos Amstelodamum misere Didericum de vries aliosque ejusdem legationis comites ad petendam gratiam & veniam. verum, si vobis (cives optimi) expendere gratiam libeat, quam exspectandam ab Albano existimant illi respicere vos jubeo hinc Mechlinienses, illinc Zutphanienses, & novissime Nardænos, quibus pacis & veniæ spes facta luculenta: verum quæ ipsis gratia data? Cogitare insuper etiam atque etiam vos velim, quam sancto juramento Principi Auriaco Hollandiæ gubernatori obstricti estis. Non dubito (ea ante oculos ponere si velitis) quin juramenti ejus tam sancte dati, & honoris etiam vestri rationem habituri sitis exemplo meo. Nam testor Dei, atque hominum fidem, illud mihi propositum esse, sanguinem meum (quam diu superest gutta) effundere pro civibus proque libertate atque incolumitate hujus urbis vitam impendere extremo spiritu. Verum jam vobis in animo sit facere, aut non facere, id velim vos animose & intrepide dicere, & profiteri. Speramus enim (juvante Deo) daturos nos operam, hoc ordine servato, ut hostes nostri, qui ad extremas angustias redigere nos conantur, parum honoris inde sint reportaturi.

Qua oratione erecti civium animi, plerique omnes sublata voce exclamarunt, & in hanc vocem

vocem eruperunt, sese paratos esse, vitam fortunasque omnes Patriæ impendere: Ita mutuis ad hortationibus & acclamationibus confirmati ad bonum publicum tuendum, discessere: Jampridem edocti *Dulce & decorum pro patria mori*. Ripperda admiratus civium constantiam & suorum fidem, sumit animos. Itaque nihil cunctatus, tentatis civium animis, litteras illico ad Auriacum misit, & certiorem fecit, quo loco res civitatis essent. Ad eundem modum ad præfectum Lazarum datæ litteræ, ut qui copias suas in propinquo haberet, cohortes aliquot militum auxiliares mitteret, quod & fecit. Nam I V. Decembris die vexilla Militum auxiliaria I V. Harlemum advenere, præfectis Jac. Steenbach, & legato ejus Christophoro Vaders, item Lamberto Wittenbergensi & Martino Pruiis tria fulmina (ut sic dicam) belli, quorum adventu erecti civium animi, sperantes eos civium bona & urbem defensuros, & propulsaturos omnem vim. Quamvis multi civium essent, qui in magno metu erant, quibus tutum non erat se prodere, amoliendæ sinistræ suspicionis causa. Plerique omnes bello intenti cives, nec apparatum belli negligebant præfecti urbis: in id incumbendum rati, ut defendere urbem, & Don Frederico resistere possint, si obsidere urbem vellet. Et receptis denuo in urbem militibus ad majorem securitatem. Præfectus militum Ripperda (civibus nihil mali cogitantibus, templum adiit augustum, illud (audax facinus) & eversis idolis & profligatis, templum expilavit, & religionem orthodoxam profitentibus aperuit, quasi Janus Clusius & Patulcius: quod momordit multos cives, & perculit civium animos tacito dolore. Admissis interim delegatis, impetrata coram loquendi copia, & jam mollissima fandi tempora. Cum ea quæ in mandatis haberent, exposuissent, qui serena fronte à Don Frederico excepti, tale responsum tulere: quod gavisum se diceret super civium pænitentia, pollicitus se ad patrem Ducem Albanum litteras daturum, ut in gratiam reciperet supplices, hortatus interim, ut ad suos redirent, darent operam ut milites dimitterent. Verum Didericus de Vries, tam frigido responso parum fidens & observatis iis ad belli apparatum quæ facerent, Amstelodami se continuit, simulans sese exspectare aliud responsum velle, magis favorabile. Duo alii legationis socii Harlemum rever-

Templum S. Bavonis direptum

reversi v. *Decemb.* cum rescissent eversa in templo simulachra, religionis pontificiæ cultum abrogatum, idololatriis expiata templa, illi perculsi novitate rei, mali nescio quid ominabantur. Et ecce vix limen ædium suarum cum attigissent, injectæ iis manus, & in carcerem adducti, militum custodiæ traditi, qui Delphos eos ad Principem captivos adduxerunt. Ajunt Christophorum ex prima nobilitate virum, cûm Lugduni commorabatur, refocillandi corporis causa, & fessis jumentis darentur pabula, elabi facile potuisse, sed fiducia causæ suæ fretum, & Senatus suffragio securum, periculum susque deque habuisse. Verum Auriaco pensiculatius & accuratius ea ad animum revocante, longe aliter sensit, quoniam Ordinum interesse existimavit, neminem plenariam potestatem arrogare debere horum, quæ dato juramento adversaretur, & pugnaret cum officio mandantis. Itaque judicio se sistere jussi, condemnati: Adrianus Syndicus capitis supplicio affectus, Christophorus in carcere obiit; dubium utrum doloris impatientia, an carnificina exstinctus fuerit. Ita Princeps & Ordines pari cura & affectu in id sibi incumbendum censuerunt, ut afflictis civibus litteras in solatia mitterent, animos adderent, & omni ope juvarent, polliciti se omnes sumptus & militiæ stipendia è fisco daturos, & damna quælibet compensaturos. Eodem fere tempore Principi consultum visum, mutare magistratum: in eum finem missus D. d'Allegonde: qui cum Harlemũ venisset, nominati primum à civibus militiæ præfectis, duplicato numero VIII. Consulares, XIV. Scabin. Ex quibus creati novi Coss. Johannes van Vliet, Nicolaus vander Laen, Gerardus Stuyver, Pet. Kies: Scabini, Gul. Adriani, Jacobus Heussen, Cornel. Ryken, Petrus Bal, Nicolaus Matthæi, Adrianus à Berckenroode, Mathæus Aug. Steyn. In Senatu majori decem electi, & totidem remoti. Quorum quidam, qui consenserant cum hoste tractandum & petendam veniam, custodiebantur ad tempus privatim in ædibus suis: quorum nomina non obscura, Didericus Ramp, Johannes Zurenus, Hugo Bollius, Sibrandus à Berckenroo, Corn. à Berckenroo thesaurarius, Didericus Jacobi Wy, Joh. Johannis Verwer, Stephanus Theodori zythepsa, Arnoldus Petri Hornanus, Cornelius Duyck, rector Scholæ. Vix ordinata repub. venerunt litteræ Amstero-

Anno 1572. 10. Dec. Coss. & Scabin. nova electio.

damo subsignatæ à Diderico de Vries, & aliis fugitivis, quæ extrema minabantur, ad incutiendum terrorem, & percellendos civium animos, quibus calamitates superventuras obsidione exaggerabant. Lator harum litterarum, rustico cuidam obtruserat, & curandas dederat, qui proditus postea, laqueo strangulatus. Quocirca Don Fredericus ex eo colligens, nec preces, nec minas apud obstinatos homines quicquam valere, non diutius cunctandum ratus, castra ocius movet, ad expeditionem se comparat, præmissis emissariis cum parte exercitus; qui cum Sparendamum appulissent, & aggerem pœne interruptum, & ab utraque parte ligonibus perfossum comperissent, vix uni viro calcabilem, relicto in medio quasi Isthmo: parum abfuit quin aquis redundantibus stagnarent vicina pascua. Strato ponticulo, ulterius progressi, duo propugnacula ab utraque parte, tormentis & militibus bene munita de longinquo viderunt, quæ transitum intercludebant ulteriorem: Missis nuntiis qui ista Ferdinando referrent. Atq; ut plenariam ejus rei cognitionem haberet, misit illico Rodrig. de Sapata ad exploranda ea loca, cũ ccc. militibus, qui impetu in hostem

Frederici expeditio Sparendamum versus.

facto repulsi, quamvis redintegrato prælio. Ictus tandem Sapata globo ferreo qui partem brachii abstulit cubito tenus. Ita reversus ad suos, retulit Frederico, propugnaculum ab ea parte in accessũ, ferocia militum. Tamen movet castra Imperator, ad propugnaculum tendit cum paucis tormentis, non admisso ad deliberandum spatio, capturus in arena consilium. Interim Julianus Romero saluti suorum magis intentus, forte fortuna in rusticos aliquot incidit pontificios, qui viam monstravere versus occidentem, qua aditus pateret per glaciem. Fides habita rusticis, & statim præfectus militum Julianus jussit suos in propugnaculum irrumpere, ea parte qua infirmius. Ita nocte sequenti frigus magis intensum, quod Juliano transitum, & transeundi fiduciam faceret, firmata jam glacie. Ac propterea nihil cunctatus, decimo mensis die, aggerem occupare satagebat, & simul infesta acie à tergo in propugnacula nudata vallo erupit, & magna militum strage occupavit. Harlemei eminus videntes urbis propugnaculum in summo discrimine esse, submisere cohortes aliquot subsidiarias, sed prævalente hostium vi, cæsis in loco trecentis (inter quos Martinus Pruys,) cæteri

Sparendamum occupatum.

cæteri in fugam dati, & juvante glacie, ferro viam aperuere: prelio defatigati, intra urbis mænia se receperunt. Capto Sparendamo, duæ Wallonum cohortes in præsidiis collocatę, ad propugnaculi defensionem. *Atque hæc fere sunt quæ obsidionem* antecessere. Porro, dicturus ea quæ toto obsidionis tempore acciderunt, horret animus & contremiscit: *Quis enim funera fando Explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem?* Dabis veniam quisquis hæc leges, si verba rebus tam arduis non respondeant.

Quæ obsidionis tempore acciderint. 11 Dec. *Anno* 1572.

Ferdinandus igitur victoria jam ferocior, non cunctandum ratus, postero die XI. Decembris primo diluculo, præmisit Don Diego de Carvaia: qui cum D. Hispanis sclopetariis, ad urbem appropinquavit, venitque intra teli tormentarii jactum. Milites oppidani, pugnandi studio accensi, erupere, propulsare hostem conati frustraneo impetu; & impari congressu, intra urbis mænia se recepere. Eo ipso tempore, mutata venti-statione, cumque aër iam paulo clementior, & remittere se frigus visum, quare negotium bellicum accelerandum ratus, ut exercitum suum extra uliginosa loca in sicco haberet, & terra firma, distribuit copias; Hispanorum militum XXXVI cohortes, climati septentrionali non assuetæ, ante Crucis portam castra posuere: Germanorum XVIII. Vexilla ad portam excubabant, ducente signa Comite Oversteinio. Wallones ad occidentem, colles arenarios occubabant sub Noircarmes, Capres & Liques ducibus. Equitum turmæ littus vicinum, & viam quæ Alcmariam ducit interclusere, eo consilio, ut Borealem Hollandiæ partem; ab Australi separarent. Copiis dispositis, redacto in ordinem milite, Don Fredor. oppidanos ad deditionem sollicitari jussit. Nulla habita super ea re deliberatione, responderunt, Fidem Hispanis non habendam, satius judicantes extrema subire, pro aris & focis pugnare, pro patria mortem appetere, quam periclitari Hispanorum fidem. Interim Amstelodamo submissa tormenta ænea, quorum quædam globos explosere 36. 40 & amplius librarum. Inter apparatum bellicum missi quoque stapedes ferrei, ad calcalcandam glaciem. Ad hæc Ferdinandi pater Dux Albanus submisit 3000. Leodicensium, qui fodinis assueti, & cuniculis subterraneis, quos fere omnes in vallo, aut circa vallum oppressos, observatum. Die XII. & aliquot sequentibus, tam caliginosæ nebulæ fuerunt in su-

perficie terræ, ut ultra urbis mænia prospectus non daretur, & videretur merum chaos: quod hosti occasionem dedit, impactis terræ ligonibus, vallum ducere, tormenta bellica plantare in quavis parte, non sentientibus excubitoribus. Neque oppidani eam occasionem neglexere, cum prospicere suis cepere de commeatu, & re frumentaria, de tormentis, de armis, de militum copiis. Ita ut ante impeditum commeatum IV. millia militum, tam Germanorum quam Gallorum, Walonum, Anglorum, Scotorum, in præsidiis oppidani haberent, quibus præfuere summi duces, quorum nomina adhuc habemus, *Wybaldus Ripperda*, I*acobus Steenbachius*, *Christophorus Vader*, *Lambertus Wirtenbergensis*, *Matthias Pruys*, *Christophorus Gunter*, *Schram Bruynswycensis*, *Kurey*, *Vehemy Margottin*, *Ardenne*, *Sobey*, *Paris*, *Seminado Iasparus Balfour*, *Mautenault*, *Mandoris*, *Michael*. *His* accessere Equitum turmæ quibus præerat *Gualterus* quidam *Enchusanus* cognomine, Delphis oriundus. Adhæc 600. armati cives, qui virtute bellica militibus præsidiariis non cedebant. Erant præterea ad tuendam urbem mille fossores cuniculares cujuscemodi generis. Neque in sequiore

Milites præsidiarii in urbem recepti. mens. Ianuar.

sexu desiderata virtus, 300 mulieres sunt ordinatæ, quæ succussis urbis mænibus, aggesta terra succurrerent: Inter quas virilis audaciæ fæmina fuit heroina *Kenau Simonis* filia, ex Hasselariorum familia, quæ viros provocare ausa, altera Andromache, cui hosti obviam ire hasta, lancea, bombarda, Sclopo, indifferens fuit. Tum ipsa civitas in regiones divisa cuique suæ partes assignatæ & munia obeunda; quę ad munitionem urbis facerent, diligenter curabant, propugnaculo potissimum intenti ad Crucis portam, versus Aquilonem & Cliviæ arcem, quam hospitio suo Imperator destinarat. Vix pedem fixerant in hostili solo milites regii, priusquam vallum ducerent, jussit ocius Auriacus Lumey comitem de Marque cum IV. Equitum turmis & quindecim cohortibus, quas Lugduni tumultuarie coëgerat, hosti obviam ire, nusquam rei bene gerendæ occasionem omittere, locorum opportunitates observare, loca nemorosa præoccupare. Itaque Lugduno profectus, Harlemum tendit, castra Sassemiæ posuit, inde rumor ad hostes, per exploratores. Præmissæ in occursum copiæ sub Bossu, Noirkarmes & Roomero ducibus, cum 70 ferentariis,

Comitis Lumey exped. infelix. 12. Decemb.

&80.

& 80. levis armaturæ equitibus: qui cum ad collem genialem venissent, sistunt gradum; ubi ab utraque parte sese occultabant inter arbusta & dumeta. Eo ipso tempore cecidit nix alta, quę prospectum adimebat. In valle Lumey undique septus, hinc sclopis, hinc equitibus impetitus; ex adverse infesto agmine milites triarii, qui tanta celeritate, & vehementia in nostros impetum fecere, ut Comiti instruendi aciem tempus non daretur, hinc magna trepidatio, & fugiendi necessitas. Lumey, quod Ducem decuit, inclinata jam acie, animum non despondebat, verum medios in hostes se conjecit, relictis in prælio duobus equis. Signiferi etiam aliquot, inter quos Jacobus Martini, Senatoris in Flandria filius, cum se destitutos viderent à suis, vexillis suis immori, quam fugere maluere. Inde magna strages, cæsi in fuga DC. & amplius, sævitum in captivos atrociter. Baptista à Trier, item Ioh. Kellenaer, altero pede de patibulo suspensi. Non obstante eo, quod Lumey 2000 coronatorum offerret summam in pretium redemptionis. Relicta IV. tormenta bellica, pleraque vexilla, & currus complures, quos secum duxerant ad commeatum: ab Hispanorum parte vix cæsi XII. Ex eo magna animorum consternatio & trepidatio Harlemi fuit. Hispanis ad suos reversis, triumphus canitur. Ea nostratium fæda clades, Frederico majora audendi fiduciam addidit Sævire cæpit in captivos primum: Nam post stragem Lumey, quidam in manus hostium cum incidisset, recisum ejus caput in castra hostium mittebant, addita hac inscriptione, Hic Philippus ille regius, qui ad liberandam urbem militum suorũ infelix ductor. Oppidani hac contumelia exacerbati, ut ostenderent, animos suorum tam immani crudelitate nondum concidisse, nocte proxima suspendere 12. captivos recisis XI. capitibus & in dolio convasatis, ea in castra hostium misere deorsum volutando, cum hac inscriptione & sarcasmo militari, Ducem Albanum decimas exegisse ab obsessis, nunc undecimas dare in fænus. Momordit animum imperatoris tanta contumacia, statim cogitantis de vindicta. Nam 15. *Decemb.* cum vallum ducere, & collocare in ordinem tormenta, & infestare urbis mænia cæpissent hostes, Ferdinandus victoriam jam tum sibi pollicebatur, ita secum ratiocinatus; milites præsidiarios tantis copiis,

13 Decemb. Anno 1572.

piis, impares futuros: de civibus non magnopere laborandum, quibus memoria adhuc recens expugnatæ & debellatæ Zutphaniæ, & Nardena calamitas, quibus territi, vel ultro ad deditionem venturos, sibi imaginabatur stulta persuasione. Itaque præparari tormenta jussit 14, quæ simul explodebant ad singulos ictus, & excitare tormentorum tonitrua cæpit horrendo boatu, explosis uno die globis ferreis 680. Ferunt, cum pugnam auspicarentur Hispani, fuisse quosdam in castris proscriptos & fugitivos, tanquam lætum Pæana canentes, cecinisse hymnum, convitio paximũ, *Christus resurrexit, parta jam victoria est, Et moxsubacti suplices tendent manus. Sic præda nobis civitas Harl., Lætemur omnes,* Κύριε ἐλέησον. Ita ante Victoriam triumphum cecinere, quippe fatalis ille dies nondum advenerat. Illud autem quod media inter prælia, & tormentorum tonitrua accidit, tam memorabile quam festivum, quod puellæ juvenculæ adhuc, quæ terram portabat ad restauranda urbis mænia, vestimenta quasi abrasa globo tormentario, supra nates illæsas: ibi cum staret pudibunda, seminuda, cum esset, & spectaculo civium; ferunt Johan. Vliet virum consularem, commiseratione puellæ & tegendi pudoris causa, pallium objecisse quo se tegeret; ita non nihil consternata domum se contulit. In portam Crucis & D. Johan. maximè sævitum: jam circa meridiem eversæ portæ, dejecta urbis mænia. Inde concursus militum, civium etiam qui fortiter restitere, periculis obvii, qui ruinosis urbis mænibus statimsuc currebant ingesta terra, injecto rudere, nocte inprimis, cum murorum ruinas, saccis lana infartis, saxis ingentibus, arborum truncis atque adeo omni materia stiparent, munirent. Neque hæc unius diei opera, verum in diessingulos resuscitato prælio, mænia urbis infestabant, exoneratis in vesperam usque tormentis sine ulla intermissione. Ita canendi classicũ nullus finis aut modus, noctu interdiu arma, arma ciebant. Contra oppidani nihil territi, omnem vim propulsantes, tormentis, sclopis, missilibus, mænia urbis defendebant, & plurimos hostium interfecerunt, desideratis civium suorum oppido paucis, XVI duntaxat aut XVII. Quibus tanta fiducia in armis fuit, ut ultra urbis mænia se dederint deorsum, cadavera interfectorum spoliarent, & Hispanorum exuvias reportarent, captivum etiam adduxerint, jam tum

Oppugnata urbs 18. Decemb. 1572.

20. Decemb.

tum patibulo destinatum quod futurum Romero prædixerat. Cessante ista oppugnatione, cives alacriores jam facti, ultrò sese obtulere, tam juvenes, quam senes, mulieres etiam nuptæ, innuptæ, nullo sexus aut ætatis habito discrimine, qui urbis mænia cantu obeuntes, ad castrorum loricas incrustandas properabant: producendo vallo usque ad pontem D. Catharinæ intenti, noctis beneficio. Ita cum parum aut nihil proficere se viderent hostes tormentorum violentia, aut prælio redintegrato ad oppugnandum, alia atque alia Ferdinandus excogitavit. Itaque Francisco de Vergas in mandatis datum, ut pontem sterneret subjectis vasis, assumpta cohorte Hispanorum. Dum operi intentus, quamvis glande plumbea ictus, tamen non destitit pontem trajicere in alteram fluminis ripam: ante, retro ternarii stabant in ponte, sumpta audacia vallum expugnandi; verum cum aditus acclivis & præceps, paucis ascendere datum, obviam euntibus oppidanis. Vnus eorum Alphonso Galeasso comitatus hastatis aliquot, & primipilis, à Duce Steenbachio & sociis ejus paribus armis exceptus, illi aliquandiu stantes conserebant manus, tanquam

Oppugnatio 2.a.

si ad monomachiam pedem contulissent. Interea canebat classicum campana, concurrentibus undique oppidanis: ibi tum atrox pugna, exoneratis tormentis, globis catenatis, ferramentis minutatim fractis, emissis sclopis in infinitum adversus oppugnatores. Et quod maxime discruciabat milites Hispanos, eiaculatio carbonum ignitorum, cinerum favillæ olei ferventis, & plumbi liquor, tum circuli orbiculares in flammam dati, & plura id genus, quæ mulierum excogitavit industria. *Fredericus* animadvertens, infelici Marte pugnatum, suorum cladem, nihil remittens de duritia cordis, mandavit recentes cohortes vi coactas redintegrare prælium: qui fecere periculum periculo suo, nequicquam. Tum suadentibus militum præfectis & ducibus, receptum canere suos jussit. Romero qui author fere hujus oppugnationis præcipuus fuerat, male mulctatus, altero lumine orbatus. Oppidani tam cives quam milites, prædæ inhiantes, oppugnatores deorsum lapsos insequebantur, contemptis hostium tormentis, quæ non intermittebant. Ibi inventa, armorum, hastarum, telorum, scutorum magna copia: ubi cadaverum ingens cumulus, reper-

ti 150 mortui; inter hos Ductorum magna pars, & ex illustri familia nobilium, quos longum esset recensere omnes. Trecenti saucii Amstelodamum missi. Vargas ex vulnere obiit, relictus in fossa suburbana, & postridie inde sublatus magno suorum luctu. Contra defensores levem jacturam passi, duntaxat decem aut XII. desiderabant, plures saucii, inter quos Dux *Steenbachius*, cujus dexteram glans plumbea penetraverat, invicti animi heros, qui dolentib. vicem ejus sociis, magno animo dixit, Nihil periculi, commilitones, quam diu cor mihi integrum & illæsum, non destituam vos, dum spiritus hos regit artus. Eodem adhuc vespere, repererunt vivum inter mortuos militem, qui traditur quæstioni: cum secreta hostium revelasset, postridie de patibulo pependit. Atque hic acerrimæ & calamitosæ oppugnationis, sæpius redintegrato prælio, eventus fuit, plane tragicus & funestus; ita ut de virtute & gloria fuerit ingens contentio; hinc bellum moventibus Hispanis magno spiritu, hinc se tuentibus oppidanis animo invicto. Atque ita potentissimi regis exercitus, qui potentię suę fama orbem terrarum impleverat, cujus virtuti nulla via visa est invia repulsam passus, & hæreditario dominio exclusus. Obsessi igitur rebus feliciter gestis, lætabundi Deo soli acceptum ferentes miseram hostium stragem, supplicationes decrevere, indicto jejunio. Neque id silentio prætereundum videtur, quod eum honorem nostratium ephemerides Duci Steenbachio tribuunt, quod aliquoties pugnam auspicaturus, aut prælium initurus, flexis suis, & suorum genibus opem imploraverit armipotentis Dei, regis & vatis maximi exemplo: I*nde distichon Hadriani* Jun. Chronologicum: TRVX IVGVLIS INHIANS AVIDVSQVE CRVORIS IBERVS, OCCVBAT HARLEMI, VINDICIs ira deI. &c. Et vix intercesserant dies sex, cum novum stratagema rursus excogitarunt infesti hostes, cum nocte media, magna astutia & dexteritate per glaciem ad urbis mœnia contenderent, ubi semiruta D. Johannis porta: inde ulterius progressi tacito pede vallum ascenderant, non sentientibus excubitoribus, ad terrorem niveis & lineis tunicis super induti, urbem infestarunt, & oppugnarunt victoriæ proximi; neque unquam alias durante obsidione in majori discrimine civitas fuit, & non sine periculo occu-

Decemb. 25. An. 1572.

Oppugnatio. 5.

cu-

cupandæ urbis: verum detectis hostium insidiis, excitato ingenti clamore, canente classicum campana, 60 duntaxat viris stantibus in statione, pauci quamvis, tanto tamen ardore animi atque impetu irruerunt, ut hostem sisterent, ut victoria frustrati retro cederent. Hinc civium pariter & militum concursus, qui tanta animi concitatione irruerunt jam recentes, ut hostem propugnaculo expellerent, & in fugam verterent, insecuti ad portam Crucis, ubi propugnaculum alterum occuparant, suffossum cuniculis subterraneis, quod hac occasione subiecto igne & pulvere tormentario funditus evertêre, volantibus in cælum scintillis, & corporum semiustulatorum partibus, & membris. Ita cessante oppugnatione fuga dilapsi reliqui. Difficile dictu, quam strenuè se gesserint cives & pariter milites, quanta violentia sese hostibus opposuerint periculis obvii. Nec desiderata in mulieribus virtus mascula, quæ saxis, tædis, & circulis orbiculatis pice illitis hostem excipiebant. Inter has virilis audaciæ fæmina Kenau Simonis filia annorum circiter 46. quæ armorum aut tormentorum strepitu nihil consternata, sæpe in prima acie stetit: illa virago viri, hostem provocare ausa, hasta, gladio, sclopo. Jam verò ut de clade hostium aliquid dicam, turpis fuga, miseranda strages, quippe cecidere in hoc prælio & conflictu militum, præcipua capita, nobiles & illustres viri, ex quavis natione, adhæc interfecti CCC. milites veterani, præter saucios, vix numerabiles; cum oppidani (fidem superat) vix decem suorum desiderarent, inter quos Ductor militum Lambertus Wirtenburgensis, qui glande plumbea ictus, non ita multo post fato concessit, fidem testatus erga cives, extremo spiritu. Et cum laudanda etiam in hoste virtus, Illud imprimis memorabile, & dignum quod historiæ inseratur, posteris in exemplum, quod Ferdinandus d' Avolos de Guadalafara, reversus è prælio, usque ad loricam interiorem, forte circumspectans desideravit fratrem Joh. de Zuniga. Ille assumpto ocius clypeo, sumpta audacia retrò cessit ad urbis mænia, & susque deque habens sclopororum ictus, glandes plumbeas, volutabat cadavera, invenit quem quærebat vivum adhuc & spirantem, sed graviter vulneratum, glande plumbea & ruina sulphurea. Exutis armis in humeros sustulit, secum asportans carum onus, quantum potuit festinavit

ad ſuos; & quamvis in via ictus glande plumbea, tamen non conquievit, priuſquam carum illud pignus, apud Deos tutelares deponeret. Don *Fredericus* fratrum pietatem admiratus, curam ipſorum habuit, & curandos dedit. Durante hoc prælio ad portam Schalcvicenſem appulerunt CLXX trahæ cum omni commeatu ſub ductu CCC. ferentariorum & circiter LXX. equitum, comitante Gualthero Enchuſano Delphenſi Equitum magiſtro.

Conſternati nonnihil hac clade Hiſpani, conſilia inibant, quid facto opus. Multi magnatum inter eos judicabant caſtra deſerenda, ſolvendam obſidionem, quæ moleſta & ærumnoſa, propter brumæ frigora, & militum bellicoſorum virtutem, qui animo invicti, gloriæ intenti, acerrime urbis mænia defenderent ſupra fidem. Atque id maxime admiratione dignum ſibi videri dictitabant, quod oppidani tam exiguis copiis, tantum exercitum ſuſtinere, redintegrato toties prælio, potuiſſent. Multi (quorum etiam potior ſententia) in ea erant opinione, urbem eam inexpugnabilem eſſe, quamdiu à meridionali plaga lacus navigantibus pateret, ſubmittendo commeatu, frumento, atque adeo omni apparatu bellico, quæ omnia moram obſidioni facerent. Adhæc militare pro adverſariis hyemis incommoda, hiberna frigora, aëris inclementiam, quibus milites hibernantes in tuguriis, ſub dio excubantes, ſæpe otio torpentes contabeſcunt, cæteris acclamantibus libera voce dixere. Verum *Don Frederico* longe alia ſententia fuit, qui ſeſe omnium ſuffragiis oppoſuit quantum potuit, quod diverſum ab his à patre Albano in mandatis haberet. Indicans parum illud futurum ex honore gentis ſuæ, quæ potentiæ & virtutis bellicæ gloria terrarum orbem impleverant: Nec ſine periculo eſſe dixit, quin aliæ civitates quæ defecerant à fide, in exemplum traherent, audaciores in poſterum futuræ. Albanus interim de militum ſuorum intentione edoctus, miſit ocius litteras per Don Barnardinum de Mendoza, ad filium ſuum *Fredericum*, quibus ſeriò hortatus, ne urbem deſereret, priuſquam vi cepiſſet, comminatus etiam ſi aliter aut ſecus feciſſet, ſe non habiturum eum pro filio: Et ſi forte filio ſuo *Frederico* humani aliquid accidiſſet, ſe ipſum venturum, & in obſidione obduraturum, uſque dum civitatem ſub jugum mitteret; pollicitus etiam ſe novas Hiſpanorum copias auxili-

xili-

xiliares missurum. Quocirca ab universo ordine militari, decretum tandem fuit unanimi consensu; se in obsidione ista obduraturos, atque omnem inediam, pericula, incommoda castrensia, & frigoris molestias patienter laturos, & toleraturos quævis aspera atque adversa, spe gloriæ, & gratiæ ineundæ apud regem suum. Exsuscitatis militum animis, & spe gloriæ erectis, *Don Fredericus* de militum suorum masculo decreto, de belli statu de urbis obsidione patrem Albanum certiorem facit, qui sine ulla cunctatione Don Barnardinum spectatæ fidei virum in Hispaniam misit, ut Philippo Hispaniarum regi, rerum Belgicarum statum renuntiaret: qui post septimanas sex, accelerato itinere reversus est, magnam pecuniæ vim secum adferens, renuntiabat 25 Hispanorum cohortes, in subsidium venturas in Belgicam inferiorem, quas vicerex Castiliæ tum temporis gubernator Mediolani, regis mandato mitteret. Interea jam tum in animo habebat, quod consultum maxime videbatur, statum belli, & obsidionis modum immutare, cum nulla aut certe exigua spes superesset, expugnandæ urbis. Itaque hæc animo agitabat, ut commeatus inopia, & fame exhaustos, ad extremas angustias redigeret, & tandem sub jugum mitteret cogente necessitate. Atque in eum finem omnia consilia & machinationes eo vertit, ut lacum Harlemeum intercluderet, & omnem aditum adimeret, postea civitatem in potestatem suam venturam vel ultrò arbitrabatur. Nihilominus *Don Fredericus*, non destitit urbis mœnia infestare, ut si qua parte ruinosa deprehenderet & caduca, in ea impetum facerent milites. Verum oppugnatio ista iterata sæpius sine successu, minus perculit civium animos, & tormentorum tonitrua parum profuere adversus intrepidos. Crevit interim oppidanis audacia major indies: inde variæ eruptiones in hostium castra, vel aperto Marte, vel insidiis positis noctu, interdiu: milites excurrere jam assueti, & prædæ intenti, fere ex rapto vivebant, nunquam quieti: nunc Schalcvicensi, nunc Zylensi, nonnunquam Sparwoudana porta clam egressi, cæsis, pulsis extra vallum hostibus, gladio & igne impune grassantes, milites gregarios, antesignanos & signiferos captivos abduxerunt. Adhæc spoliis opimis, armis, gladiis, loricis, & omni telorum genere onusti, victoriam reportabant; quonon

Don Barnardinus in Hispan. missus.

De lacu occup. consilia.

Eruptiones oppidan. variæ.

parum exacerbati hostium animi, cupiditate vindictæ. Nec deerant qui militum animos & civium ad virtutem accenderent, D. Allegondius inprimis: qui ineuntis anni auspiciis 1. *Ianuarii* die aliquandiu moratus Harlemi cum esset, inspectante hoste & frustra obnitente, comitatus selecta Wallonum militum manu discessit, quo die, quod abominabile maxime quibusdam visum, à reformatis concio habita in templo D. Bavonis. Ita ut omnia susque deque ferre oppidani, inprimis milites præsidiarii jam viderentur, sacra, profana promiscue haberent. Quo tempore etiam cives vigiliis sublevati, qui à primo obsidionis tempore, noctes & dies excubias egerant, manifesto securitatis argumento Quo commoti hostes rursus extrema minabantur: Ita recruduit aliquando Hispanor. sævitia atque indignatio, ut nunc pugnas cierent, nunc urbem tormentis infestarent, & globorum turbine percellerent oppidanos; nunc classica canerent, in armis starent, aciem instruerent, quasi cum hoste mox dimicaturi. Nonnunquam etiam toto impetu irruentes expugnare muros ambiunt. Verùm potiundæ urbis spes maxima Hispanis fuit, *cum* facto in propugnaculum impetu, sublatis in altum vexillis mænia urbis conscenderent, nec quemquam viderent qui excubias ageret. Victoriam non tantum pollicebantur sibi, sed quasi jam partam, canebant. Et simul erumpentibus militibus qui in statione erant fusi fugatique omnes. Quod hostem momordit tacito dolore. Surgebant animi nostratium, & jam animosiores aliquanto, juvante fortuna, quod indies subsidia haberent quotidiana, trahis primum, & cessante glacie navibus, cum lacus navigabilis; tum commeatus abundantiam, rei frumentariæ uberem messem, tormenta magni ponderis, & pulveris tormentarii magnam copiam. Adhæc novæ semper & recentes militum cohortes, cum suis ducibus, quos Pater patriæ Auriacus submisit fortes, & rei militaris peritos. Ita nulla fere septimana abiit, durante obsidionis initio, medio, qua non milites auxiliares venere, & ut Ephemerides nostratium habent, Januarii primum die v. una militum cohors sub duce Mandarys. Et rursum CXII Wallonum cohors altera, ducente Ordinem Gasparo quodam, qui fugitivus à Duce Albano in partes Principis Auriaci transierat. Item x. Januarii missæ à D. Barone Baetenburgio, qui Sassemiæ castra

die 3. & 5. Ianuarii 9. & 10. & sequent.

castra habebat, copiæ auxiliares Anglorum, Scotorum, Germanorum, Walonum, verum infaustis avibus, quorum seducti caliginosa nebula devii in colles arenarios quidam inciderunt, quidam Amsterodamum, quidam ad castra hostium delati. Id cum rescisset Magistratus, facem de specula suspendi jussit, & campanæ sonum dari ad portam proximam: ita multi intra urbis mænia recepti sospites. Et XI. Ianuarii militum cohors submissa, sub duce Casparo. Circa ea tempora nostratium milites *Ianu.*XIV. erupere extra portam flumentanam Schalvicensem adversus Germanos, qui in Quietis-arce castrametabantur, ubi plerosque interfecere, uno duntaxat vexillo, & duobus tympanis asportatis. Atque hæ quidem quotidianæ velitationes, magnam hominum stragem dabant: Pauci captivi hinc inde patibulum effugiebant. Sed 15 Ianuarii rursum alii DC. milites missi, verum illi cum ad hostium castra propius accederent imprudentes, dissipati omnes & fugati. Et quo plures indies acciderent calamitates, & plures strages datæ, eo magis sibi incumbendum rati Hispani extrema tentare, vel aperto Marte, vel dolo, aut fodinis subterraneis, quibus oppidani ita obviam ibant, ut sæpe hostem anteverterent, subiecto igne, quo terribile spectaculum darent, in altum volantibus capitibus, pedibus semjustulatis. Sed cum adversarii observassent parum se proficere per indirectum, destitere tandem incepto, suadente Bartholomæo Campocassi, recta via ad mænia eundum ratus, & porticus ducunt bene compactis trabibus, & his superinduxere saccos terra infartos, ea altitudine, ut tuti irent, tanquam sub tabulato: & cum jam fossis urbem ambientibus appropinquarent, porticus bivio divaricabant, ut in oppositum vallum magis sævirent, tormentorum duplicato ordine. Ita bellatorum studia atque opera magis indies fervebant. Et eo usque res deducta, ut non solum bombardis & sclopis, sed hastis, & gladiis cominus, de terræ minima portiuncula inter se decertarent. Oppidani cũ animadvertissent propugnaculum periclitari, nec defendi posse sine internecione hominum & militum clade. Consilia cepere retrorsum intra urbis męnia semilunare vallum ex quanvis materia congestum ducere: ab occidente circa fossam corvinam, ad orientem portam usque D. Johannis, inclusis antiquis urbis mænibus, facta cir-

cumvallationis clausula hinc inde. Præterea ex ipsa Crucis porta turritam molem, vimine, terra, fimo congestam, trabibus contignatam, in formam cratis redegerunt. Huic operi incumbebant quotquot erant, absque sexus, ætatis aut personarum discrimine, non nescii quantum in hoc opere perficiendo momenti positum, divites, pauperes, pueri, senes, viri, fæminæ, cives, milites, duces denique & urbis consules. Cum vallum jam satis munitum videretur, reliquere munimentum nostrates, occuparunt Hispani, parta tandem victoria: tum ulterius progrediendi potestate data, impactis terræ ligonibus, portæ Crucis fundamenta petebant. Oppidani non parum consternati, hesitantes quid facturi, cum nec impedire fossores subterraneos à tergo aut latere possent, nec labefactare urbis mœnia vellent, suffossa terra: decrevere novo commento superjectis molibus plumbeis, saxorum & silicum immenso pondere, fodinas obterere & cunicularios fossores opprimere. Atq; hic status urbis nostrę fuit anceps & periculi plenus, de quo certiorem faciendum Auriacum, urbis proceres censuere. Quare Adrianum de Berckenroo Scabinum, mandatis instructum dimiserunt: qui porta Schalsvicensi egressus, sub ductu DC. ferentariorum, & equitibus aliquot, obvios hostes habuit, qui numero plures impetum in oppidanos fecerunt acerrimum. Nihilominus sese expediebat loci opportunitate, & suorum virtute, qui pœne CC. hostium interfectis elapsi parva suorum strage. Non ita multo post primo diluculo DC. *eruptionem fecere Germani*, ea intentione ut Hispanorum castra ex improviso adorirentur, & tormentorum usum impactis clavis ferreis tollerent. *Literæ ad Princip.* Ab altera parte Walones quoque D. Catharinæ porta egressi, eruptionis Germanicæ conscii, Hispanos à tergo invadere & lacessere satagebant: sed nebula prospectum adimente, conatu irrito retrocesserunt, ad suos reversi. Nec quiescebant hostes, novo commento intenti, qui id dabant operam, ut tormentorum violentiam magis oppidani persentiscerent: erigebant in propugnaculo à nostratibus relicto, planam aream subjectis saccis aliquot arenosis, quibus tanquam theatro imposuere duntaxat unum tormentum bellicum, quo non tantum vallum proximum labefactarent, sed omnem aditum adimerent, domos, templa, infestarent, quasi tacta Jovis ignibus. Turris quoque D. Johannis, globis missilibus ita perforata, ut rui-

ruinam minari videretur. Id metuentes oppidani, turrim demoliti sunt. Tum novum illud munimentum, acerrime quoque oppugnatum; ut consilia caperent de agendis cuniculis subterraneis, &, cogente necessitate, subjecto pulvere tormentario, vallo funditus evertendo. Dein in civium & militum oppidanorum solatia LXXX. trahæ appulere, onustæ omni commeatu, & pulvere tormentario, & cum iis CCCC. milites fortissimi quique, Angli, Scoti, Walones, sub ductu Seminado, Balfour, & Margottin, qui prætoriæ cohortis dux; quo refocillati nonnihil civium animi. Quo tempore templum Gangolphi stabulo destinatum & equis alendis. Et jam fama pervenerat ad vicinas & amicas civitates, quam gravia passi cives miseri: Itaque commiseratione tacti Delphenses, Lugdunenses, Goudani, per litteras obsessos certiores fecerunt Harlemeos, sese ex animo dolere miseram suorum sortem, commotis intimis ex malorum recordatione visceribus, ac proinde omnem opem auxiliarem offerre, & se paratos dicere, ad recipiendam imbellem turbam, pueros, senes, aniculas, mulieres valetudinarias, polliciti se eos tanquam in Prytaneo habituros, & alimentum de suo daturos. Verum Harlemei admirati affectum istum perbenignum & pietatem singularem in suos, obstante verecundia recusabant, sive quod adhuc usui esse possent, sive quod nimis durum videretur, patres senio confectos, matres viduas, liberos orphanos dimittere; malle se ad parsimoniam legem ponere rei frumentariæ, quod & factum 3. Feb. & fraudare genium suum, quam ex liberalitate vicinorum suorum vivere. Nec ita multò post legem frumentariam tulere, & posuere modum consumptioni frumenti, carnibus etiam pretio posito satis civili. Et ne omnino animũ desponderent, venere itidem milites DCC. alii Feb. 19. ducente naves Christophoro Gunter. Et postea cohortes duæ Anglicanæ, & tres Gallorum, qui non ita multo post iterum discessere, quorum opera non erat opus, redundante militum copia, premente aliquo modo inedia. Ab altera parte hosti deesse nihil potuit, durante hactenus obsidione, propter vicinum horreum & armamentarium. Militum etiam promissæ copiæ appulerant in castra hostium, initio mensis Martii adventante vere, primum decem naves, deinde complures aliæ, quæ Hispanorum copias

inge-

ingentes advexere, gratante exercitu, quibus in ſpem erecti potiundæ urbis. Nec ita multo poſt ſuſtulere animos caſtrenſes Hiſpanorum adventu, & jam audaciores facti pugnam denuò ciebant, & inſtructa acie prope hierocomium eduxere ſuos, erant XXIV. cohortes, quaſi urbem oppugnaturæ, quibus in animo erat, propugnaculum urbis ſubjecto pulvere tormentario funditus evertere, quod & factum, citra ullum civitatis damnum aut periculum alicujus, excepto uno tympaniſta, qui quaſi fulmine ictus interiit. Cæterum cum tormenta bellica, & machinæ bellicæ, aut fodinæ ſubterraneæ parum prodeſſent, de lacu occupando conſilia ineunt. Delegatus ad id negotium ſatis arduum Comes de Boſſu. Ac primum quidem Amſtelodamenſes parvam triremem, cum V. navibus aliis, per emiſſarium Sparnæ adjacens præmiſere, ibi conati viam inferiorem & paludoſam perfodere prope trajectum obolarem, & ita tandem ad lacum penetrare. Verum triremis una & naves aliquot Harlemeæ curſum impedivere. Non ita multo poſt reverſi magis expediti, redintegrato prælio, lacum petebant, ſed triremi una Harlemiana, & pontonibus aliquot, pulſi fugatique

Ad lacũ occupand missus Bossu.

relicto uno navigio oblongo, immiſſo igne: milites quos ſecum habebat, plerique omnes cæſi & interfecti, reliqui ſuſpenſi ad Fuicæ paluſtria. Cum hæc parum feliciter ſuccederent, facto jam aliquoties periculo, excogitavere medium & remedium aliud. Nam cum Maximilianus Comes Boſſuvius, ſuffoſſo ad ſacram viam, trajecto, ſtatim naves aliquot veliferæ, curſum dirigunt ad lacum proximum: quo cum perveniſſent, obvios habuere Harlemeos: qui parum circumſpecti non ſervato claſſico ordine in manus hoſtium incidere, qui ingentem triremem pedum LXXX. cingentibus IV. aut V. Amſtelodamenſium navibus, tandem cepere: Gerardus de Iong. Navarchus, *captæ triremis præfectus*, graviter vulneratus, navigio actuario evaſit. Verum ſuperveniente Iacobo Antonii, claſſem reliquam ſecum ducens, Amſtelodamenſes in fugam vertit, vindicata rurſum triremi, & expugnata corbita, ſocios navales omnes & milites interfecere, exceptis pauculis, nempe *Roſcoti* Lovanienſi nobili, & duobus aliis captivis. Ita aperta per lacum via, commeatus ubertas & omnis apparatus bellicus, trahis prius, nunc navibus aſportabatur, affluente rerum copia. Et quoties afflu-

In lacu Pugna navalis feb. 2. 6.

Amſtelodamenſes, prohibere illud vellent, male mulctati. Atque hæc oppidanis expeditior via fuit, quam terreſtris, propter prætenturas crebriores in via. Albanus interim, re infeliciter ad lacum geſta, magno curarum fluctuabat æſtu, deſperationi proximus, & pœne jam omni ſpe deſtitutus expugnandæ urbis; ſenſit deeſſe copias militares, & laborare ſuos militum penuria, cum vias atque omnem aditum intercludere non poſſent terra & aqua. Quare ad filium *Fredericum* cohortem millenariam Polwyleri miſit, & cohortes Siculas auxiliares: juſſit inſuper Mandragon IV vexilla militum ſuorum eodem mitteret. Nec defecere Harlemenſibus animi, nec alacritate adhuc cedebant caſtrenſibus, qui eruptiones quotidianas in hoſtem fecerunt: Ita ut aliquoties ſex aut ſeptem in locis ſimul velitarentur, & prælia accenderent, cruento Marte. Germani qui in nemore (quod frigoris impatientia pœne igne conſumpſerant) maxime impetebantur, qui & numero pauciores, & remotiora ab Hiſpanorum caſtris caſtras haberent. Inter alias noſtratiū eruptiones, maxime memorabilis ea fuit, qua oppidani tam cives quam milites tentandi hoſtis cauſa, erupere vel mille, tormenta bellica non

Mart. 20. Eruptio noſtrat. memorabilis.

expaveſcentes, ſed occupatis iis, caſtrenſes in fugam verterent, & munitiones everterent, incenſis vel CCC. militum tuguriis. Eo ipſo die cæſi hoſtium DCCC. vix relictis IV. ſuorum, inter quos unus fuit *Derdindæus* Belga, ductor Ordinum ſtrenuus. Inſignis iſta militum victoria, qua ſecum abducebant opimam prædam, leviora tormenta, dracones aheneos, IX. vexilla, præter pulveris tormentarii magnam copiam; adhæc arma, veſtimenta, chlamydes, 30 equos, jumenta complura, adhæc divitem prædam, ex auro & argento pateras, cyathos, annulos. Verum oppidani tanta Victoria male uſi, quippe ferociores jam (cum inauditum plane, cives tam arctè obſeſſos, tormenta hoſtilia comportare) ſupra urbis mænia terræ aliquantulum congeſſere in formam tumuli, cui impoſuere capta ab hoſte vexilla, inſultantes obſeſſoribus mordaci ſcommate, videlicet Harlemum Hiſpanorum tumulum futurum. Inter hæc certamina, excelluit virtus bellica *Ducis Curey*, qui natione Gallus, indole manſuetus, ſed incenſus Hiſpanorum tyrannide, militiam ſecutus naturæ ejus plane contrariam. Ille cum ſuos in hoſtem duceret, pro more habebat ſine armis (galea excepta)

Virtus bellica Duc Curey.

L Xi-

Xiphomachæram gerere, qua longe, lateque terribiliter grassabatur, & cædem horrendam committebat, terror hostium. Reversus à clade, animo sedato magis, cessante rabie, lecto statim decubuit, & æger dolore animi, & cum dies aliquot decumberet, miseratus dicitur, humani generis sortem, cum secum expenderet miserrimam humani sanguinis effusionem.

In Mart. Cum *Comes de Bossu*, mense jam ,, dicto per aggerem perfossum ,, circa domum *Cervinam* quam ,, vocant, naves XXXIII. & tri- ,, remes VII. in lacum cum suis deduxisset, & munimentum ad palustria Fuichii, in receptum & refugium ducere cum cepisset. *Petrus Theodori Hasselarius* XVIII. annorum juvenis (filius fratris Kenau, Heroinæ jam dictæ) is cum fratre majore Nicolao Hasselario, atque aliis civibus spectatæ virtutis, instructa ad pugnam triremi, hosti obviam ire, & præoccupare locum prope Fuyckiam satagebant. Sed cum comperissent, vallum jam inchoatum, & defensioni proximum, prohibiti etiam retrocedere, sequentibus à tergo navibus; coacti vela vertere & cursum instituere Kagam versus, ubi statio navium nostratium, quæ missæ à Principe. Præterea alia atque alia munimenta erant in ripa lacus: Ita ut jam haberent stationes suas, pœne in singulis campis circumfluis. Ut nemini transitus daretur absque vitæ periculo. Nihilominus obsessi sub defensione munitionum suarum, vaccas habuere in pascuis, extra portam Sparwoudanam, zylensem & Schalcvicensem pœne ad finem obsidionis, atque adeo jam urgente fame. Et si quando Hispani prædæ inhiantes abducere pascuis suburbanis armenta vellent, non sine multo sanguine potuere, quippe quod plures milites sæpe relinquerent, quam pecudes abigerent. Et cum duos pontes trans Sparnam trajecissent hostes, alterum Sparendamum versus, circa nemus alterum; ut interrupto eo, viam sibi ad lacum haberent. Oppidani, quartam jam triremem adornabant, cum XII aliis navibus Binchorstio & Manreginaldo Ducibus *V. Id. April.* Verum adversante vento, & mole triremis impediti, quæ propter aquarum angustias circumagi, aut obliquare sinum non potuit, erat enim rostrata triremis immensæ magnitudinis, longa CVIII. pedes, tandem in vadosa loca incidit illisitque vadis. Ita cogente necessitate relictis navibus, præcipiti fuga petunt milites & classiarii urbis mœnia. In tanto discrimi- *Nostratium clades in lacu.*

crimine positis, affulsit ista felicitas, ut copiæ dissipatæ ope cc. militium qui eruperant in occursum, vindicati è manu hostium, plerique omnes sospites redirent. Ita retro fere abire omnia jam visa, ut jam magis metuerent famem, quam hostem: Lacu intercluso, annonæ difficultas: Præterea necessitas docuit, quæ ingeniosa ad excogitandas novas artes, novum commentum, quo columbos tabellarios facerent, ab omni antiquitate excogitatum à D. Bruto in obsidione Mutinensi, idque eo consilio, ut tabellarios emissarios, necessitate redeundi liberarent. Sed quoniã subinde per inane volantes colũbi, glande plumbea icti in terram caderent, scrupulum movit Principi Auriaco, arcana reipub. & maximi momenti negotia caducæ volucri committere; Ita ut non parum laboraret de fidis tabellariis. Hassellarius, qui eo ipso tempore Lugduni cum esset, tactus desiderio consanguineorum suorum, quos Harlemi habebat, viatici inops, & omnino destitutus subsidio pastoris alicujus, de quo mater ipsius bene merita, quod eum sæpe hospitio perbenigne excepisset: quid facit? Principis delegatis operam obtulit constanti vultu; nec abhorrere se dixit ab officio isto litterario.

Hasselarii fides.

Sed quoniam periculosum id esset, petierunt, ut si forte incideret in manus hostium (avertat Deus) litteras quas secum asportaret, plumbeæ thecæ inclusas, Glauco mandaret palustri, dein sibi manus inferret, priusquam per tormenta extorquerent, ubi litteræ laterent. Et quamvis res dura & periculi plena, quæ percellere viri etiam fortissimi animum posset, tamen dato gravi juramento, accepit conditionem, itineri sese accinxit, partim terra, partim aqua per hostium custodias natando emersit, & tam sancte commissum (ducente Deo) exsecutus est. Litteræ fere hujus argumenti.

PRINCEPS AVRANTIÆ COMES de NASSOV &c. D. & BARO in BREDA, DIEST. &c. *Nobilissime. Cum milites nostri, qui Buræ in præsidiis, incidissent in tabellarium, quem è castris hostium venientem litteris onustum, exuissent & spoliassent; operæ pretium visum fuit apographum litterarum ad Tseraes mittere, addito hoc mandato, ut tibi communicare eas velit, ut ex eo scire possis, quæ hostium machinationes & stratagemata, & quanti faciant tuam illam virtutem heroicam: Ita ut nullus dubitem, quin omnes, qui una tecum belli socii alacriores sint futuri resuscitatis animis. Confido te non defuturum partibus tuis. Nos operam dabimus, quantum*

tum in nobis erit, ut commeatum & pulveris tormentarii copiam propediem habeatis; ita me amet & juvet Deus, cujus tutelæ te tuaque omnia commendo. Datum Delphis Anno 1573.

Non ita multo post naves Auriaci, ſub aſpectum venere è regione Schalcvici: Et conſpectis eminus velis oppidani, eruptionem fecere vel octingenti milites, cives etiam, ut à tergo hoſtem cæderent, ſi claſſem terra prohiberet. Sed cum è Sparna foſſam duxiſſent, ad Fuyckijloca paluſtria, & magnas juxta copias haberent: Facile ex eo colligere potuere, urbis liberationem ab ea parte non quærendam. Tamen non ita multo poſt, recollectis viribus ſupra Heemſteedium, expoſuere noſtrates bis mille viros militares, ſed infelici ſucceſſu, quia oppidani non ſatis tempeſtive urbe egreſſi, ac proinde caſſus labor. Moleſtia hujus ſeu erroris ſeu infortunii, afflixit animum generoſi Ducis Balfour, qui jam tum in animo propoſuerat jacturam opportuniore expeditione reparare. Nec diu moratus, expeditis copiis inſequenti nocte, candidis ſtolis ſuperinductis, porta Schalcvicenſi erumpentes, in arcem Quietis, interfectis omnibus, præſidio relicto, IV. vexilla hoſtium reportabant. Hiſpani poſtero die flagrabant ſtudio recuperandæ arcis, ſed magna ſuorum clade repulſi. Vix biduum interceſſerat, cum redintegrato prælio arcem oppugnarent irrito conatu. Eodem fere tempore oppidani fodinam ſubterraneam funditus evertêre ſubjecto igne, in Hiſpanorum perniciem, qua ita exacerbati, ut XVIII. maximi ponderis tormenta in oppidanos ſimul exonerarent, parva noſtratium ſtrage, ſublato uno, aut altero è numero viventium. At die poſtero in acie cecidit, non ſine dolore ſuorum, Margottiin fulmen Martis, prætoriæ cohortis ductor. Inter has concertationes & prælia hinc inde, Harlemei inter alias anguſtias pecuniarum inopia laborabant, & quamvis jus monetæ excudendæ non haberent, tamen nummos ſignabant ex puro argento, excedente materiam pretio, ab altera parte Harlemi inſignia, ſtellarum quadriga, diſtrictus enſis: à parte altera dictum illud bracteatum, VICIT VIM VIRTVS. Interim Don *Fredericus* certior factus, pacto jam pacis fœdere, inter Angliæ reginam, & Hiſpaniarum regem, principio menſis maji, proclamari per totum exercitum juſſit, nihil jam auxilii oppidanis exſpectandum ab Elyſabetha regina Angliæ, ut ſuis animos adderet, oppidanos per-

Pecuniarum inopia. menſe Aprili, pridie Maji.

percelleret, & consternaret. Non tamen animum despondere oppidani, sed cogitare de mediis cepere, quibus sublevare annonam possent, habita inquisitione rei frumentariæ inprimis, quam referebant in tabulas publicas, & viritim singulis in diem, panis libra attributa, fæminis semilibra, liberis triens, pueris & ancillis libra hordeacea; & pretium cerevisiæ positum, in vasa singula unius floreni. Crevit interim omnium rerum inopia, & urgente jam necessitate indies majori, ut aliquantum farinæ & pulveris tormentarii acciperent, extremæ audaciæ hominum opera utebantur, quibus linea tantum vestimenta, pendente de cervice sacco, de cingulo sclopis geminis, conto ab humeris. Ita saltuatim per agros interruptos, per medios hostes excubias agentes penetrabant, quos aut declinabant, aut nonnunquam ex improviso adorti interfecerunt. Hispani simili stratagemate usi, positis insidiis quosdam assecuti, eos suspenderunt, laqueo collo impacto, quosdam crudeli morte peremerunt, altero pede pendulos, de patibulo, conspicuos è pluteo eminentiori. Quod defensores partim assiduitate ærumnarum exacerbati, partim indignitate rei, & doloris impatientia, non ferendum rati, exarsere in vindictam abominabilem. Et erecto in vallo civitatis patibulo, derepente excurrunt, ad mænia rapiunt *Quirinum Theodori*, qui consul fuerat Anno 1570. & *Lambertum Iacobi*, magistros, & viros consulares qui multo ante ex suspicione duntaxat aliqua mali, custodiæ dati, hos in crucem adigunt: Præterea *Adrianum Greeneveen*, civem Harlemæum, qui in prælio captus, partes Hispanorum secutus, frustra intercedentibus viris magnis & Senatoribus, consule inprimis qui sese opposuit; sed surdis cecinit, quod nec justitiæ, nec æquitati locum darent, quod rationis aut humanitatis nihil pensi haberent. Nihilominus pergunt in incepto tyrannidis, suspensis adhuc v. militibus, uno sacerdote, & adolescentulo, qui vix ex ephebis excesserat. Et quod deplorandum maxime, juxta aderant, uxor Quirini & filia ejus, quæ virgo Vestalis votum virginitati fecerat; quæ doloris impatientia in rabiem versæ, sparsis per colla capillis, & tunsæ pactora palmis, sublatis in cælum oculis, immanem tyrannidem exsecratæ, Deum è cælo vindicem invocant. Quę dum lamentationum & exsecrationum finem non facerent, tandem matrem & filiam lapidi-

Rei cibariæ inopia.

Furor militum Maii. 27.

bus obruerunt, & in fossam deturbarunt ubi & suffocatę Deum atque homines nequicquam obtestatæ visu miserabile. Atq; adeo militum furor intantum exarsit, ut sacra, profana promiscuè haberent, eò progressi, ut sanctorum statuas è templis tollerent, & abiicerent ad solidandæ urbis mænia, tormentis exposita. Ita se mutuò irritabant, & convitiis incessebant, nunquam quieti, nunc aperto Marte, ad pugnam provocabant, nunc dolo insidias parabant, nunc fodinis subterraneis subjecto igne evertendis, exitum utrimque machinabantur. Interea dum negotium oppidanis facesserent indies hostes, de lacu occupando certamen ingens: Namque ut Hispani navibus lacum intercludere conati sæpius, ducente Bossu: Ita nihil intentatum reliquere nostratium Duces, ut aditum ad lacum haberent. Namque hinc Sonoy, perfodiendo aggeri intentus, & ducendis munimentis, ut viam sibi ad lacũ aperiret: hinc Batenburg. qui post velitationes aliquot, eo rem deduxit, ut vallum duceret prope *Templum vetus* vulgo Ouwerkerc νεωπαλαιὸν dictum: verum obnitentibus semper Amstelodamensibus, qui triremes quinque, & naves complures habebant, irrito conatu. Gliscebat interim in civitate angustia, atque adeo iam omnium rerum inopia, rei cibariæ, pulveris tormentarii, pecuniæ. Inde ædiles Cereales constituti, qui annonæ legem ponerent: frumentum militibus reservandum, imbelli turbæ byne & hordeum relinquendum, spem vultu simulantes, sed prementes altũ corde dolorem. Rumor iste ad hostium castra pervenit, qui obsessis illudebant, & exprobrabant, rerum omnium inopiam, nec panis, nec vini quicquam superesse. Oppidani nihil remittentes de solita alacritate, ientaculum mittebant in castra hostium extra portam Zylensem. Pecuniæ deerant ad stipendia militum: Ita denuò moneta argentea excusa, quæ valebat x, aut xx. stuferos, superante materiam pretio. Circa hæc tempora civitatis incolæ numerati, levandæ annonæ causa:

De lacu certamẽ.

Rei frumentariæ major inopia.

Maii 28.

Mulieres, liberi utriusq; sexus,	15865.
Viri armis apti, bellicosi,	1836.
Wall., Galli, Angli, Scoti, &c.	1215.
German. Belgæ, Austriaci,	1856.
Summa totalis	20772.

Deficiente igitur commeatu, pecunia quæ nervus belli; obmurmurare stolidum vulgus, & fex populi turbas ciere cepit: Sed delinibant eorum animos urbis proceres, promissis divites, & litteris Principis omnia bona pollicentibus, quibus pacati nonnihil

Vulgi commot. deficiente re cibar & pecunia.

hil acquiescebant. Atque ut fidem dictis haberent, obviam iis ivit Magistratus, promisitque civibus atque indulsit, ut sex Tribunos eligerent, qui admitterentur ad secreta reipub. & literarũ. Et ut civium animos demulcerent, dixere, Res quoque in castris hostium satis accisas, qui magna sæpe rerum omnium laborarent inopia: commeatum, Trajecto petendum non nisi summa cum difficultate propter aggeres obsessos, viarum circuitus, nec tutos à prædonibus lixas, præter aëris intemperiem, brumæ frigora, contagiosos morbos, aliaque incommoda quæ ferenda ipsis, ad hæc quotidianos oppidanorum excursus esse castrensibus graves. Interim premente angustia indies majori, qualis olim Saguntina: Consumpto iam frumento; pabulum pecudum (quæ mactatæ etiam & consumptę) fit cibus humanus, & cessit in hominum alimentum: Ita cepere tandem, panem conficere cannabinum, & raparum semina coquere. Pro obsonio erat caro equorum, canum, felium, glirium etiam, in famis miserandę solatia. hinc multi, tam cives, quam milites fugitivi, & transfugæ in hostium castra, qui miserabilem civium statum hostibus significabant. Eo ipso tempore memoriæ proditum, fæminam fuisse multorum liberorum matrem, qui fame enecti ad matris genua iacebant, petentes indies alimentum: & cum nihil haberet, quo famis rabiem levaret desperationi proxima, ad restim confugit, sed impedita. *Iun.* 30. Ad extremum, cum consilii etiam inopia laborarent, decretum tandem, ut spectatę fidei homines Principi viva voce exponerent, quanto in discrimine & angustiis res Harlemeorum versarentur, actum esse de miseris civibus, nisi deus aliquis è machina. Miserunt itaq; evestigio *Tseraetiũ* & *Goutinium* ad illustrem Principem. Qui observata caliginosa nocte & opaca, assumptis columbis, noctis beneficio tuti à conspectu hostium, itineri sese accingunt, ingressi liburnicam velocissimam, remigibus & ferentariis instructam, excitato primum insano clamore, & tympanorum sono, campanarum & tormentorum horrendo boatu, cursum instituunt in hostium classem, quo tumultu trepidatio totis castris, & tota classe: unusquisque se armare satagebat, existimantes oppidanos, ab omni parte civitatis erupturos extrema desperatione. Quo tumultu strepero, & caliginosæ noctis beneficio, quæ hosti visum & auditum adimebant, liburnica erupit, & eva-

& evasit, & ad Fuyckii palustria penetravit, per mediam classem, quam Comes de Bossu in statione habebat, intercluso lacu. Qui excubias agerent milites, nihil minus quam de Oppidanorum insidiis cogitabant. Cum jam dicti Duces Lugdunum appulissent, è vestigio obsessos certiores fecerunt, emissa una columba, non succumbendum aut desperandum, de liberatione urbis, quoniam illustriss. Princeps Lugdunum cogitaret ad liberationem obsessæ urbis accelerandam. Et profecto cura Principis non defuit, qui negotio bellico invigilabat; Verum intercluso lacu, obsessis omnibus locis, intelligebat, quam difficile foret, quam arduum, & quantæ molis opus, propugnacula perrumpere. Indigenæ tamen, ut plebecula sæpe cæco affectu & zelo concitata, extrema potius tentanda clamitabant, quam deserendos Harlemeos, acerrimos libertatis Batavicæ propugnatores, nec in eo acquiescebant, sed invehebantur etiam in Ordines, & illustres Hollandiæ proceres, rem indignam rati, quod pro incolumitate afflictæ civitatis, non magis excubarent, cum tamen in pendendis vectigalibus prompti, paratique semper fuissent, patriæ amantes cives; quique insuper se devovere pro salute patriæ, & pericula adire adhuc hodie velint; jactitantes palam, magnam civium ejusmodi copiam esse, Delphensium inprimis, Lugdunensium Roterodamensium, aliarumque civitatum: hæc & similia in vulgus spargebant. Auriacus verbis phaleratis & sesquipedalibus evictus, debuit tandem nolens volens illis gratificari, & omnem operam polliceri, non obscure indicans sese illud facturum, quod tantopere urgebant cives plerique gregarii, sinistræ suspicionis averruncandæ causa. Intelligebat enim quantæ molis expeditio illa foret, *Periculosæ plenum opus aleæ esse*, ad quam veteranos milites non sufficere existimabat: Quid expectandum à tironibus, nec bello assuetis, cæteris judicandum reliquit. Cogit tamen copias, cohortes aliquot è præsidiis accitæ, scribit exercitum, quos comitabantur civium voluntariorum copiæ, Sassemi castrametati omnes. Prope Kagam parata classis navium aliquot, quæ sublatis velis sub aspectum obsessorum venere, & liberandæ urbis spem fecere: sed repulsam aliquoties passi ductores navium, insequente Bossu, & retrorsum agente; stantibus in procinctu oppidanis, & ad eruptionem paratis, concidunt animi, ut qui

qui vana ſpe toties lactati. Quare I.die Jul.decrevere tandem Coſſ. & Senatores, & militum præfecti, hoſtem ſollicitare ad colloquia. Id tentatum à Pelikanio & Cornelio Matthæi civium militarium præfectis, idque amicæ petitionis prætextu,ut ſigniferorum quorundam uxoribus facultas daretur, cum maritis captivis loquendi. Verum obſeſſores ſtatim ſubodorati, quid ſibi vellet tam honeſta petitio, reſponderunt, præfecto urbis poteſtatem ſe facere veniendi in caſtra, audituri quid dicturus ſit. Inde obſides dati ab utraque parte, & circa veſperam, venere in caſtra hoſtium: hinc D. de Viet conſul, primarius Harlemi decurio, & præfectus Steinbachius & Pelicanius, & qui minus odioſus Roſſignii: à parte altera Comes d'Eberſteynius,& cum eo IV. alii ad amica colloquia venere; ultro citroque habita ſermocinatione, ceſſante omni hoſtilitate, circa horam V. veſpertinam: verum re infecta diſceſſere, vel quod hoſtis iniquis conditionibus extrema poſtularet, vel quod oppidani non ſerio agerent, ea duntaxat intentione, ut brutum & famelicum vulgus inani ſpe lactarent, uſque dum Auriacus,copias ſuas paratas haberet. Hiſpani forte ex eo ſuſpicati, media adhuc

Tentata cum hoſte colloquia.

ſupereſſe ad prolongandam deditionem, poſtero die cogit copias, & comportari ab omni parte tormenta juſſit, ad propugnacula, ubi turrim quæ βασανιστήριον antiquum & D. Catharinæ evertit, cum magna muri ruina. Adhæc pontes per foſſam trajecit, & jam parati ad oppugnationem milites, claſſicum exſpectabant. Sed cum defenſores civitatis, animoſiores ſe præberent, quam opinati erant, ab incepto deſiſtebant: aut quod idcirco acquieſcendum rati, quod per fuga quidam natione Scotus, hoſti indicarat, non ſupereſſe oppidanis rem cibariam in ſex dies atque adeo fame ingenti laborare. Obſeſſi jam deſperationi proximi; & ad incitas redacti, ſuſpenderunt de turri pullum apluſtre, quo indicabant extremas anguſtias, & ærumnas ſtimulante fame. Id fidem hoſti fecit, utres exhauſtas, animos fame ſubactos, ſuccumbere, & jam debellari poſſe. Redintegrat prælium *Don Fredericus* die poſtero primo diluculo, & tormenta exonerari jubet, inuſitata violentia & excandeſcentia Sub veſperam reſumebant colloquium, ſed re infecta diremptum. Poſtero die ferale apluſtre de turri volitabat, columbo tabellario ad loculamentum reverſo, cum promiſſis rei cibariæ procuran-

Extrema anguſtia.

Colloquia cum hoſt. Iul. 3.

dæ. Verum cum impossibile visum oppidanis, tertia vice reversi ad colloquia, & paciscenda fœdera: delegati ab una parte Comes Ebersteynius, & Bossu: quibus adjuncti IV. alii ab hoste. A parte civitatis delegati D. & toparcha à Vliet, Steynbachius, Rosogny, Sohey, Pelicanus, Cornelius Matthæi. Verum hoc negotium quoque non successit, quod obsessi declararent & aperte dicerent, obstinato animo nolle milites exire sine armis, illud militantibus in dedecus vereti & ignominiam, non tolerandam viro forti. *Interim* (nescio qua parte) commeatus in urbem venit, hac re refocillati nonnihil, aplustre mutarunt, ex atro candidum suspenderunt, magis ad significandam acceptilationem, quam ad refectionem quod faceret. Ita ingravescebat indies fames, & alimenti usitati penuria, ut herbas quaslibet & herbarum radices brast sicarum caules famelico ventri ingesserint. Et eò tandem res rediit, ut terga boum cocta dentibus lacerarent (quod patrem meum præ memoriæ dicere sæpiuscule audivi) & in alimentum verterent, stomacho grave. Ita fame emaciati, & pæne enecati, in plateis publice, privatim domi, sub manibus animam efflabant prolapsi in terram exanimes. Reliqui mortem in labris habebant, qui tanquam exsangues umbrę oberrabant, elumbato corpore. Quocirca ad incitas jam redacti, nova rursus consilia ineunt, & resuscitatis viribus liburnicam denuo adornant, cui Nicolaum Barnardi, civium Ducem præfecerunt, qui Principi supplicaret, ut in proximum diem commeatum mitteret, quoniam extrema angustia dilationem non pateretur, & rei cibariæ copiam, ad Sparni ostia deferret. Princeps Auriacus commiseratione tactus, columbũ emisit, per litteras subsignatas à Nic. Barnardi petens, atque obsecras ut post tot exantlatos labores, post tot ærumnas & afflictiones ad biduum patientiam haberent, pollicitus daturum operam, & quantum posset humanis viribus annisurum, ut juvante Deo liberari obsidione civitas posset. *Interim* milites insaniæ proximi, 7. *Iul.* aspernati omnem disciplinam militarem & dissoluti, ex rapto vivere cæpere. Ac primum quidem mensam danistæ sive usurarii violenter effregerunt, & officinas quasdam contumaciter expilarunt. Ista militum insolentia coactus tandem Auriacus aleam belli tentare oppido periculosam; Et cum de belli duce laborarent quem ad expeditionem po-

potissimum eligerent, seu laborantis patriæ amore, seu laudis & gloriæ stimulo, obtulit operam suam D. Baro Batenburgius, ad reparandam infamiam, cujus jacturam passus in lacu vicino, satius judicans honeste mori, quam turpiter vivere. Auriacus generosi animi princeps laboran-„ te repub. patriæ amore incen-„ sus, paratum se dixit, pro sa-„ lute patriæ se devovere Decio-„ rum exemplo: Sed equestris ordinis viri, quique ad clavum sedebant civitatum delegati, omnibus modis obstiterunt. Itaque Dictatura Baroni Batenburgio delata, quam ille non invitus suscepit, ejusmodi mandatis instructus, ut nemoralem partem vi perrumpere conaretur & simul simulato stratagemate excubantibus ad Fuyckii palustria, milites alii minarentur. Et cum oppidanos per columbos tabellarios de adventu suo certiores fecisset, VIII. *die Iul.* circa vesperam, Sassemia Nortvici silvam petebat cum IV. militum millibus, præter eos qui stipendia non haberent, voluntarii cives. Hos sequebantur DC. Equites quibus præfectus D. & toparcha Karloo: septem insuper tormenta campestria, & leviora, CCCC. currus, onusti commeatu & omni apparatu bellico; in quo pluteі & machinæ bellicæ rotis subjectæ, sub quibus laterent prælium inituri. In Nortvici sylva publice preces concipere suos jussit, dehinc quieti se dare, in mediam noctem. Tum denuo nocte concubia, castra movebat, & itineri se dabat, cui id propositum erat, Germanorum castra invisere, servato hoc ordine, ut prima acies constaret ex altera equitatus parte, quam sequebantur Hollandiæ & Zelandiæ cohortes, cum tormentis & pluteis ligneis, quos sequebantur Galli, Angli, Scoti, in postremo peditum agmine Lixarum vulgus, CCCC. currus onusti commeatu & re cibaria & tormentaria; reliquus equitatus claudebat exercitum & totam belli molem. Præterquam quod expeditio tantæ molis, occulta esse non potuit, accessit hoc malum, quod duo ex columbis, qui remissi ad civitatem, missa ab hoste glande plumbea in terram cecidissent. *Fredericus* jam edoctus de hostium adventu inflari classica jubet, & suos in armis esse, & stramentorum manipulos madefactos accendi curavit, ut oppidanis aspectum omnem adimeret, & confunderet erumpentes. Deinde produxit in aciem suos post stramenta fumigantia, V. millia selectorum militum primum

D. Batenburgii expeditio. Iul. 8.

mum cum trecentis equis, nec non cohortes alias, ad quinque millia militum, præter eos quingenti Equites alii, duce Joh. Baptista de Monte, aliisque præfectis. Jussit eos circa colles arenarios versus occidentem copias ducere. Ab altera parte Romero, Montedoca, Liques, Capres, aliique complures cum suis copiis ad lævum flectebant, extra viam ordinariam, ut occasionem observarent Batenburgium ex improviso invadendi à latere. Exercitus reliquus, manebant in statione, & in acie stabant intra munimenta. Primo diluculo hora III. matutina, cũ pervenisset Baro ad ἀνδρωδίαν (vulgo *mantpat,*) & jam occupatus esset, in erigendo pluteo ligneo, & ducendo in orbem plaustrorum ambitu in utramqne partem, ecce Hispanorum tormenta intonuere ad terrorem nostratium. Quibus nihil territus Imperator Batenburgius, maturat iter, & via recta ad urbem contendit; devenit in silvam, & invento munimento incustodito, ulterius progressus cum suis, usque dum relictas ad stramenta fumigantia copias ex adverso haberet: ubi atrox pugna, sed cum se expedire equitatus non posset propter arbusta; & senticeta, & arborum truncos, retro cedere coacti. Oppidani desiderio liberationis capti, strepitum quidem armorum audiebant, sed signum non dari: & cum conspectum adimeret fumus piceus è stramine, existimabant oppidani stratagema subdolum & fictitium esse. Interim datis equo calcaribus, Batenburgius & Karloo, in turmas Hispanorum toto impetu feruntur & numero & viribus impares, desperationi proximi. In hoc conflictu cæsus primum Karloo, & cum illo Balthasarus à Zurck, Gaspari frater, qui dictus olim Studler, qui militabat voluntarius cum tribus equis. Eodem fere momento, reliquus Hispanorum equitatus, laxatis frænis in Baronem feruntur, impresso in hostem impetu. Nassovii ita impetiti fræna vertunt, & ad plaustrorum orbitam reversi, sequente à tergo hostium equitatu, in peditatum suorum illapsi, qui ista impressione dissipatus, & à pedestribus copiis Hispanorum impetitus, tam à dextris quam à sinistris, retrocessere cum ingenti clade. Cæsi in loco, & in fuga vel septingenti, inter quos imperator Batenburgius, cum multis aliis Ordinum ductoribus, & militum præfectis. Cæsi LXXVI. cives Delphenses. & L. Goudani. XXX. Roterodamenses. XL. Brielani, & complures

Clades nostratium cæso Batenburg.

res alii ex aliis civitatibus, quorum nomina recenset Borrius. Et multo major strages fuisset, nisi pugnam nox diremisset, multi servati in locis vliginosis & palustribus, quidam etiam qui ad Ordinum naves confugerant. Tserardus vulneratus miraculose Lugdunum venit. Aurigæ, resectis curruum habenis, conscensis equis effugere. Verum omnes currus, commeatus, tormenta XIII. aut XIV, Vexilla complura præda fuerunt. Postero die victoria feroces Hispani, erepta hostibus tormenta ostentabant & aliquoties exonerabant in civium contumeliam: Adhæc captivum *lacerum crudeliter Ora manusque ambas* dimissum compulerunt oppidanis nuntiare tam fœdam suorum cladem; & ut fidem facerent, capita aliquot civium interfectorum, ultra urbis mœnia rotata in morem fundæ. Clade hac intellecta, tota fere Hollandia trepidabat, terror panicus jam omnes invaserat, inprimis Alcmariam, quæ milites præsidiarios in urbem recipere recusassent. Castra Sassemiæ quæ erant, soluta, milites in præsidiis collocati. Rebus jam omnino conclamatis, non cunctatus Auriacus obsessos per litteras certiores facere, ut patriam apud Deos Penates deponerent, è consilio Themistoclis, & operam darent, quacunque ratione expedire se possent. Hæc atque alia supervenere miseris Harlemeis, post tot exantlatos labores, post tam obstinatam obsidionem VII. mensium, post tot tormentorum tonitrua, (observatum enim plus quam decies millies & quadragies tormenta exonerata) post famem denique insaniæ proximam, tandem succumbere & in manus hostium crudelissimorum venire coacti, urgente jam fatali necessitate. Et cum salutis jam spes nulla, ad desperationis consilia se verterunt. Atque hæc ea tempora quæ Joh prædixit in Apocal. quibus homines mortem quærent, & non invenient eam, desiderabunt mori, sed fugiet mors ab iis. Ita decretum tandem, ut omnes qui arma gerere per ætatem possent, per media hostium castra, armata manu viam salutis quærerent relictis senibus & decrepitis & imbelli sexu, quibus Imperatorem parciturum confidebant, ne inulti morerentur. Id cum forte mulieres & matronæ rescivissent, Deus bone quantus ibi ejulatus & planctus! *lamentis & fœmineo ululatu Implevere vias* & compita, atque gestu incomposito in morem Bacchantium promiscuè ferebantur, & invocato nequicquam Deo, *cui vincla*

Desperationis consilia. Iul. 12.

Iul. 16.

jugalia curæ, ſeſe infelices, & maritos defectores dicere. In ſumma, vox inaudita qualis in Rama, cum Rachel ploraret liberos ſuos, ſurda ad ſolatia, doloris impatientia: nec videbant miſeri cives, quo pacto pacari, placarique poſſent, inſaniæ proximæ Hoc lamentabili rerum ſtatu, deſtituti jam omni ope, tam divina, quam humana, XI. Jun. Decanum canonicorum D. Gregorium Geervliet, cum quibuſdam aliis civium pontificiis, qui in caſtris hoſtium erant, commiſeratione popularium ſuorum ad colloquium invitabant, ſed non admiſſi ab oppidanis. Ita cum die poſtero ex Walonibus unus à parte hoſtium ad Quietis arcem ire juſſus, paratus cum Duce paciſci, repulſam paſſus. Decretum Quocirca excogitato novo conſilio, *decretũ* tandem ut VII. cohortes ferentariorum primum agmẽ ducerent, quæ viam per medios hoſtes aperirent. Magiſtratus autem & civium prefecti militares, aliique honeſti viri, intelligentes quam periculoſum eſſet, cum imbelli turba, uxoribus & liberis ſequi militares ordines, poſterius agmen conſtare voluerunt IX. cohortibus, interim ſubſidia petenda à Principe, atque ita divinæ tutelæ ſe committere. Et jam pontes qui in civitate trans Sparnam, partim revulſi, partim educti: naves quæ eſſent perterebratæ fundum petebant, aut ſummotæ ad Ortum civitatis, ad impediendos hoſtes quo minus inſequi poſſent, & parata jam tormenta, quæ peſſumdarent ſub aquis. Tam deſperati conſilii rumor, anxium habuit Don *Fredericum*, cum ſubiret animum cogitatio, quanta ſit deſperationis violentia; Acerrimos morientium ferarum morſus eſſe, eamque efficaciſſimam vim eſſe, quam extrema neceſſitas extundit, quanta eſſet caſtrorum diſtantia, ad opem ferendam laborantibus; & conjectare difficile eſſe, qua parte urbis erumpere conarentur, & ſalutis viam quærerent: Et ſi forte repulſam patiantur, cogitabat extrema auſuros, Saguntinorum exemplo, & patriæ cineribus tegi, jam ambire fortaſſe. Hæc atque alia cum ſecum expendit, non inconſultum viſum, oppidanos lactare ſpe veniæ. Itaque leonis exuviis poſitis, vulpem induit, uſus nomine Comitis Overſteinii, litteras in civitatem miſit, ejus fere argumenti. Adhuc clementiam Don *Frederici* reſipiſcentibus patere, & gratiam ſupereſſe afflictis, ſi modo ad deditionem ſe componerent, pollicitus neminem pœnas daturum, niſi qui ipſorum judicio

com-

commeritus esset. Publicatis litteris, statim ad pacem inclinabant Germani, & recusabant tam periculosam expeditionem subire. Walonum cohortes nihilominus promissis parum fidentes, ad iter se parabant, & porta *Schalvicensi* jam egressi, comitante magno civium numero, ea intentione, ut naves ad lacum assecuti, ad naves Principis contenderent hinc magna in urbe confusio, & discordia intestina, cessantibus excubiis, & periclitantibus oppidanis, qui obrui ex improviso facile potuissent. Nec minor confusio in Walonum & civium castris, qui tumultuarie, sed sine strage reversi omnes, propter defectum fabrorum & instrumentorũ ad trajiciendos pontes. Resumunt tamen animos iterata expeditione; verũ cum ad rem ventum, viam interclusam deprehenderunt, loca omnia obsessa. Quocircà, cum nulla in armis præsidia, cessante omni ope humana, & urgente fame jam indies magis, cives desperationi proximi, Patriam apud Deos Penates deponere à Principe jussi, ad deditionem urbis se tandem componunt, delegatis duobus Coss. & Joh. Zureno & Hieronymo Verlenio vicariò Episcopi, vocatis primum in consilium civium præfectis militaribus, quibus adjuncti Steinbachius, Christophorus Vaederus, & *Rosonius*. Ad paciscendum cum hoste, egressi XIV. *Iul.* Post breves discursus ultrà citràque, pacta fœdera, in utramque partem conditiones positæ, quales fere inter victos & victores multum reclamante Rosonio, qui solus non assensit, qui extrema potius tentanda, quam conditiones admittendas censuit. Is recepit se in urbem, & ad suos reversus, commilitonibus suis exposuit quid rei esset, pactorum iniquitatem recenset & incusat: illi quasi furore quodam concitati, ad portam ruunt, subductis valvis delegatos exauctoratos & exclusos volebant. Verum desæviente paulatim rabie, tandem intromissi delegati ad pacandos militum animos, omnia bona pollicebantur, & declarabant Don Fredericum, majori usurum clementia in cives, quam quisquam præsumere audeat. Sequenti die primo diluculo, militibus tympanorum pulsu convocatis, dabatur optio, expectandi spem veniȩ & gratiæ an repudiandi; aut sine armis exeundi. Cum ea spes veniæ publicata, Germani pariter & Scoti, maluere in urbe manere, ad arbitrium Albani Ducis, quod honestius videretur, quam arma deponere, aut exarmati urbe excede-

cedere. Placuit Duci Germanorum & Scotorum facilitas& comitas. Cum statim pronunciatum est, Scotis & Germanis gratiam factam; cæteri quid ille juberet exspectarent. Reliqui omnes quotquot erant milites in contrariam sententiam ivere; Quippe fiduciam collocare in hostium promissis, minime consultum videri. Inter hos discursus & consultationes militum, emicuit heroica virtus cujusdam Bordeti nobilis Galli, qui invicti animi tribunus, quique durante obsidionus tempore, fato meliore dignis, dictis, factis commilitones suos, ad extrema pericula adeunda animaverat, is cum deficere suorum animos videret, & lamenta audiret muliebria famis & inediæ impatientia; ille indignatus, exprobravit suis, illos animos gerere muliebres, docuitque exemplo suo, nihil tam difficile aut grave, quod virum fortem à virtute divortium facere, persuadere possit; & volenti nihil tam grave, quod non tolerare vir fortis debeat: Et simul petita candela sebacea, quid obstat (inquit) quo minus dexteram in flammam mittam, & simul ingesta in flammam manu perdurabat usque dum, fætor astantes cubiculo fugaret; alter Scævola, de quo Martialis,

Heroicæ virtutis exemplum in Bordet.

Vrere quam potuit contempto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.

Hic cum eventnm initæ cum hoste pactionis ad animum revocaret, & quid exspectandum sibi jam præsagiret, qui ad Hannoniæ collem sacramento Principi Auriaco dato renuntiare coactus fuerat, famulum vocat, quem fidissimum habebat, & stipari sclopum jubet pulvere tormentario, seque interfici; ita fatus ineluctabili necessitate jam me libera. Tergiversante famulo, & procumbente ad genua ipsius, & supplicante, ut se excusaret: Quid cunctaris? inquiebat. Vitam transegi hactenus (Deum testor) honestam, & inculpatam, magis gloriæ intentus, quam pœcuniæ, nullum malum mihi unquam formidabile præter turpitudinem, quod testatum faciam extremo spiritu: non degenerare est animus à pristina & mascula virtute, satius semper duxi honeste mori, quam turpiter vivere. Tum in genua procumbens straguli operimento sese involvit: Ita nonnihil moratus, preces concipit, & implorata Dei misericordia, delictorum suorum veniam petiit. Precatus, exspectavit ictum invicto animo, & trajecto capite, disperso in lecticam

ravit.

cerebro cui incumbebat, exspiravit. Ferunt Don Fredericum Toletanum intellecta virtute ista plusquam heroica in summam admirationem raptum. Eodem ipso die ante meridiem hora nona contractus ad umbilicum perductus, signatæ tabulæ in æternam servitutem: articuli fere ejusmodi, urbem, dedendam ad arbitrium Hispani, servato sibi clementiæ aut inclementiæ jure, tam ad gratiam quam ad pœnam: Imperatori numeranda ducenta & XL. millia florenorum, intra XII. dies millia centum, reliqua intra trimestre proximum dependeretur, ad redimendam urbis à milite direptionem, sive ad averruncandam rapinam & urbis depopulationem. Cum cives in id consensissent, signum datum magna campana, ut omnes cives aut qui jus civitatis haberent milites, etiam in Curia arma deponerent, exceptis Germanis & Scotis, qui ex mandato mænia urbis custodirent, & excubi as agerent pro portis; fortasse eo consilio, ut Hispanos prædæ inhiantes coërcerent, & in officio continerent. Primum quidem cives jussi ad templum Zylense se recipere, Templum D. Bavonis mulieribus & imbelli turbæ destinatum. Militibus & militum præfectis imperatum, ut templum in Bakenes occuparent. Ita tandem Harlemei sub jugum missi, & in servitutem redacti, lugente Senatu, mussantibus civibus, frementibus militaribus: An. 1573. Jul. 13. unde chronologicum: HarLeMIos CIVes portas aperire CoegIt ACrIor esVrIes, hIs CanIs esCa fVit, Item Hei quassata dIV. ac destrVCta HarLeMIa beLLo Se Certa HIspano CondItIone tradIt. Atque hæc fere sunt, quæ obsidionis tempore gesta hinc inde invenio, mox post obsidionalia dicturus.

Anno 1573. Iul. 23. Conditiones dedendæ Vrbis.

LIBER III.

Post obsidionalia.

Capta urbs. Anno 1573.

REbus eo modo quo jam dixi ordinatis, Alcedonia videbantur, cessante militum tumultu, & horrendo tormentorum boatu; cum sese obtulit primum Philippus Mazius vir consularis & patritius, qui luctuosæ obsidionis metu in partes hostium secesserat, regiæ majestatis in Hollandia, Zeelandia,

Mazii ad matronas commendatio

N Frisia

Frisia consiliarius, ita Ferdinando à consiliis, ille ingressus sacram ædem, ubi matronarum, mulierum, virginum & puerorum, & lactantium turba, quæ ante aras sese abjecerant, consolari eas primum cepit, & præmissis verborum lenociniis, quibus ille sexus maxime capitur, hortatus deinde, ut pactæ conditionis memores, quidquid auri, aut argenti signati aut non signati haberent, convasarent, & si quæ haberent cimelia, in medium adferrent, & simul bene sperare eos jubet & potestatem fecit domum abeundi, monuitque ut unaquæque ad suos se conferret ea nocte, ubi quietem secure caperent: sed injunctum ut postero die, in ædem sacram cum suis redirent. Inde digressus similem orationem ad cives habuit: qui in templum monasterii Zilensis jussi ire, ubi ad refocillandos famelicos cives, in senos viros distributus panis unus rotundus. Postero die reversus ad templum Mazius, cum Juliano Romero, multisque aliis militum præfectis armatis: quod tantum horrorem incussit mulierculis, ut quo se verterent non haberent; ita animo consternatæ, ut in se mutuo catervatim caderent. Nec immunes, pueri scholastici à consternatione qui in choro sedebant, metu exanimes. Verum Mazius cum suis eas bono animo esse jubet, indicans, veniam jam impetratam, modo hoc darent operam, ut promissæ pecuniæ summa præstaretur; quod & factum; Nam 16. Jul. contulerunt omnem monetam argenteam Harlemi excusam tempore necessitatis, & in ædibus Sibrandi à Berckenroode deposuere, hinc annonæ laxitas & rei cibariæ abundantia. Ita demissæ omnes, & simul concessa venia abeundi quo vellent. Simili consolatione refecti cives viri; qui in templo monasterii cum adhuc essent, Hispanorum cohortes instructa acie urbem ingressæ Ac tum demum Scoti, Germani quoque, jussi arma deponere, & ire in monasterium D. Catharinæ, partim in D. Ursulæ templum. Quibus exarmatis, statim sensere anguem in sinu miseri cives; quippe prædæ inhiantibus Hispanis, contractus valere non potuit vel in unum diem, cum ne cives quidem liberi à militum rapinis; qui victoria feroces, per ludum iocumque quorundam domos spoliabant, gliscente indies audacia, cum impunitatis spes maxima peccandi illecebra sit. Exinde secutus Don Fredericus, proxime sequente Comite de Bossu, & frequente nobilium caterva, observantes in vultu oppi-

Mazii reditus in templum.

Iul 14.

Hispanorum ingressus in urbem

Don Fredericus urbem ingreditur.

oppidanorum truci adhuc, ægram fortitudinem, famem infamem usque ad inteſtina ex ventris concavitate. Duces omnes civium militares, & ſigniferos & primipilos in cuſtodia habuit Imperator, quos mox ad Cliviæ arcem deducendos curavit, Die proxime ſequente Dux ipſe Albanus caſtrametationes obibat, & caſtrorum loricas equo invectus circumquaque perluſtrabat, urbem non ingreſſus tot heroum ſanguine emptam, ad ejus adventum quaſi inferias facturi. Galli ccc. Angli, Belgæ laqueo ſuſpenſi: ſub veſperam Amſterodamum reverſus, ſed ſine ullo triumpho aut pompa; ſenſit enim ſenſit Albanus victoriam plane Cadmeam eſſe. Poſtero die, capta ſubactaque jam urbe captivi complures cuſtodię arctiori dati, quorum tres claſſes faciam: ac primum quidem eorum qui urbe exceſſerant, domo foro, penatibus extorres, annos aliquot vixerant; inter hos Petrus Kies conſularis, Jacobus Gerardi Junius ærarii præfectus, Arnoldus Theodori Bunepœus, Florentius Hend: Loenius, Arnoldus Theodori inſtitor, Iiſbrandus Staets, Hageman æditum, Adrianus Bogard plaſtes, Scagen rei tormentariæ præfectus, Johannes Michaelis de Wael: horum duo poſtremi quoniam per errorem nominis capti, dimiſſi iterum. In ſecunda claſſe capti primores civitatis hoc ordine:

Primores Civitatis cuſtodiæ dati.

Iul. 24.

Arnoldus Iob. Dordracenus prætor Harlemi:

Iohannes Vliet, item Gerardus Stuyver coſſ.

Iohannes Alberti Raedt, ſecretarius,

Iob. à Duvenvoorden tribunus civium militar.

Petrus Gulielmi Bal, Scabinus;

Iacobus Bartholomæi Pellicaen Dux:

Iob. Adriani de Iong, à Tribuno proximus:

Iohannes Theodori Schatter, ſignifer;

Petrus Haſſelarius ſignifer;

Iohannes Cornelii Sael proprætor;

Iohannes Kies Amſterodamenſis.

Et ſequenti menſe, capti iterum 19. *Auguſti Loevenius Bartholdi, Barbold. à Nyenburg,*

Petrus à Paenderen, Iob. Gerardi With.

Et frater ejus Cornelius Gerardi With.

Iohannes de Wael, Martinus apothecarius,

Laurentius Wynandi, Senatores omnes.

Inter hos quoque Didericus Franciſci toreuta, quorum tres in carcere fato functi. Reliqui qui à gratia excluſi, & venia exempti fuere, numero XXVII, latita-

bant omnes. Inde IV. tympanorum pulsu publice proclamatum fuit nequis præsumeret fugitivos olim hospitio excipere, sub pœna confiscationis bonorum, & vitæ jactura, & strangulandum eum, in ipso ædium suarum vestibulo qui secus faceret. Eo ipso tempore Petrus Hasselarius avitæ virtutis & pietatis in fratrem rarum exemplar, is cum videret Nicolaum fratrem qui una cum ipso in mensa accumberet, à militibus peti, & consternatione animi erumpere in lacrymas, prodit se ipsum, dicens si Hasselarium signiferum quæritis, non est quod longe abeatis, *Coram, quem quæritis adsum*, hunc intactum dimittite. Milites autem præsidiarii, quorum censa capita trium aut IV. millium virorum, quorum superstites adhuc fuere mille & DCCC, horum pars altera manu Carnificum necati, gladio, laqueo, gurgite. Verum ista Hispanorum cruenta victoria fuit, quæ constitit multo sanguine, & qui hæc curiosius litteris consignarunt, observarunt, durante obsidione, vel in acie gladii, vel glande plumbea, vel tormentis, cecidisse V. hominum millia, inter quos multi magni nominis heroes, & militum præfecti non è multis. Vix quisquam in hostium castris, etiam qui à consiliis fuissent, non militares, qui non aliquando ex vulnere decubuisset. Immo ipse Imperator non immunis ab hoc periculo, qui glande plumbea ictus, cecidisset in acie, nisi Balthei fibula ferro munita ictum impedivisset. Numerus eorum qui morbo, inedia, brumæ frigore perierant, pænè innumerabilis. Sed fidem superant, (tamen testantur Annales) quæ damna, quæ dispendia, partim incendio, partim demolitione, durante obsidione perpessa civitas, irreparabili jactura. Accessit his malis in morem sævientium luporum rabies, nullus gratiæ aut misericordiæ locus, debacchati in milites & cives olim fugitivos, qui exstincti omnes catervatim DCC. & amplius. Neque uno die exsecrandam crudelitatis suæ cupidinem exsaturare potuerunt, sed prolongabant in diem, ut diutius fruerentur voluptate, qua Tyranni capiuntur & gloriantur. Qui autem confessionem admitterent, gladio perempti, qui ab ea abhorrebant, laqueo suspensi. Carnifices quinque cum suis asseclis, fessi carnificina tam immani vitam pertæsi, quod jam brachia deficere cæperint prius, quam sævitia Imperatoris desæviit. Atque ut in compendia supplicia mitteret, numero trecen-

Clades utrimque.

Crudelitas in milites.

centos & amplius, miserabile visu combinatos & colligatos à tergo, ad magni lacus ostia submergi jussit, truci vultu. Inter alios qui laqueo suspensi, deductus quoque ad patibulum, Lutheranæ confessionis pastor, qui Steenbachio Duci à sacris concionibus erat. Et truci adhuc vultu, præfectus urbis Ripperda, cum legato suo Ludovico χειροποιῷ Gandavensi, capite truncatus. Et cum iis Simon Simonis concionator reformatæ relligionis; & filius spurius Cardinalis de Granvelle; hic juvenis à pontificia relligione defecerat, & eam ob causam exosus patri, contulerat se in militiam, Principi obstrictus, dato militari sacramento, qui mori maluit, quam stirpem aut genus agnoscere. In eadem calamitate fuere Ladislaus Brederodius, D. & Toparcha in Veenhuysen, Rosigny, & Joh. ex prima nobilitate Duvenvoordia. Tribunus etiam civium militarium; adhæc Simon Borelius, quæstor Brielæ, qui à rivali suo proditus. Præterea ut modum crudelitatis adimplerent, in ægros quoque & saucios milites miserè sævitum. Producti in aream Nosocomii (ô inauditam tyrannidem, plusquam barbaricam) qui securi percussi omnes. Dux Balfourt, qui interposito juramento Principem se interfecturum promiserat, in gratiam receptus & ita evasit, quod Principi significavit, & data venia mansit in fide, quoad vixit. Porro Germani milites quibus gratiam facere & gratificari velle videbantur, jussi sacramentum Principi datum exsecrari, qui comitantibus equitum Hispanorum turmis aliquot, in Geldriam deducebantur. Id cum à Sonoy intellectum, qui eo ipso tempore aggerem Diemenum adhuc occupabat, mittit ocius triremes tres, ferentariis & armata militum manu bene instructas, duce Gualthero Hegemanno, qui assecutus eos, omissa inermi turba, impetum in Hispanos fecit prope Novokirchiam; ita accelerato prælio nocte intempesta, ut derepente Hispani, imparati ad pugnam, fugam capesserent. Germani à Sonoy liberati, benevolentiæ aucupandæ causa, paratos se simulabant, ad resumenda arma, in vindictam acceptæ injuriæ, & ignominiæ. Verum Don Fredericus certior factus super ea re, extrema minabatur (si id facerent) Steenbachio, Vadero, Schram & Gunthero, ipsorum Ducibus. Tandem sese exorari passus, concesso dilationis tempore, eatenus, ut aliquos qui in eadem cum ipsis

Iul. 16.

Qui 18. Aug. Scotæ capite truncati.

Germani exarmati in Geldr. deducti.

captivitate essent, delegarent, ut milites jam prædicti juramentum datum præstarent, & simul periculum à capite Ducum suorum averruncarent. Qua re Germani commoti (impetrata à Principe venia,) ut exauctorari se paterentur. Atque hæc quidem post obsidionem Harlemeorum fortuna, miseranda civium suorum & militum clade, dispensante ita res humanas divina providentia, quod Harlemei, qui gestis heroicis, & virtute bellica clari, fama terrarum orbem impleverant, subacto, expugnatoque ad Nili ostia Pelusio, stimulante fame, capta urbe sub jugum Hispanor. missi. Ita rerum vices, quippe supervenere adhuc alia atque alia miseris civibus, nec acquievit vis effera Don Frederici, qui victoria jam ferocior, tendebat ulterius: novum exercitum conscribit, & militum suorum delectu habito, præmisit Alcmariam tubicinem, qui oppidanos urbem dedere juberet: quod illi facere recusarunt, fiducia Arausionensis auxilii: Ac primum hic mille pedites & ccc. equites Alcmariam misit: ubi magna incolarum consternatio & trepidatio; civium etiam & Coss. discordia, de admittendis in urbem præsidiis militaribus, suadente id Principe. Post multas altercationes hinc inde Dux Ruykhaverius, cum aliis præfectis impetrata venia, ut conferre cum Magistratu, quod ad salutem rei pub. maxime conduceret: cumque in eadem pæne sententia non admittendos milites persisterent, indignante tandem Ruykhaverio, præeunte ad portam Keinhimeriam D. Florentio Teilingio, sequente civium caterva, receperunt intra urbis mænia milites Principis auxiliares. Interea Hispani, observantes Don Fredericum novam obsidionem moliri, onusti ingenti præda Egmondana, pecudum & jumentorum, Harlemum ad castra reversi, suborta gravis contentio inter Hispanos potissimum querelæ proxima, quam concoquere non possent, tandem erumpebat in nervum, & apertam διχοστασίαν & seditionem, stipendia flagitabant XXVIII. mensium supra honoraria, capta subactaque civitate. Qui in urbe erant milites, porta egressi numero quadringenti, tormenta bellica in urbem ducturi. Don Fredericus non parum commotus atque indignatus celsitudinem suam & authoritatem ita prostitui. Convocato toto exercitu, jussit Don Lope de Acuna cum cohorte millenaria, impetum in eos facere. Verum hi cum intra teli jactum venis-

16. Iul. Alcmariam petit Don Frideric.

Iul. 18. Seditio milit. Harl.

venissent humi consedere, & urgentibus & instantibus ductoribus, ut mandata Imperatoris exsequerentur, surdis cecinere. Mox ut contumaciam suorum vidit, vocato ad se Roobles, cum Walonibus suis cohortes ducere jussit in contumaces, irrito conatu; quippe ludibrio exposuerunt eos qui hoc urgerent, stipantes sclopos fictitio pulvere, exstincto funali ignito. Pergebant itaque ut occeperant CD. illi, & XIII. aut XIV. tormenta bellica in urbem subducebant: in urbe cives, qui in horam, in diem exitium sibi portendi conjectabant. Sub id tempus sunt qui referant X. aut XII. Hispanos mercatorum habitu Lugdunum venisse ad Principem Auriacum, revelato negotio adventus, & declarato in Principem affectu, & commiseratione status præsentis, obtulisse operam suam ad dedendam urbem, petito præmio XL. millium florenorum. Princeps oblatam operam non aspernatus, sed cum pecuniæ inopia laboraret, premente undique difficultate & afflictione, cum omni humanitate dimisit. Postremo circa medium Augusti, intercedente Chapino Vitellio, qui militi apprime gratus, displicentiæ militum occurrit, prompta solutione, & numerari jussit in capita singulis XXX. coronatos aureos, sedecim pro honorario, XIV. in solutionem stipendii provisionalem. Oppidani interim durantibus militum querelis, coacti sex septimanas circiter IV. millia militum suis sumptibus alere & cibare. Sed post solutionem C. millium florenorum partim parata pecunia, partim permutatione mercium & cimeliorum, pretium redemtionis reliquum non exigentes; sive id commiseratione civium, qui longa obsidione exhausti; sive quod plura extorqueri non posse, pro certo haberent. Pacatis igitur militibus, Hispanis inprimis, Don Fredericus triumphali curru invectus, ab illis in urbem ducitur, & triumphus canitur, *Io triumphe Io triumphe*. Hic prima sacrorum cura fuit, cum templum ingressus D. Bavoni S. delubra expiarunt, & sacrarunt per Episcopum Amerledum, qui sacrum coram Toletano peregit, post recitatum Euangelium, ad servandas Ecclesiæ Cathol. immunitates accepto sacramento. Quo die crudelitatis metus renovatus recruduit, cum cives VI. quamvis ex plebe, cives tamen, forte an liberius locuti, incertum, securi percussi: nomina eorum ephemerides habent, Theod. Arnoldi scriniarius, Joh. à Sanen

Hispani ad Princip. mercatorum habitu.

Placata seditio.

Templum expiatum Aug. 21.

sacro-

sacrorum custos, Joh. Boscoducensis textor, Joh. Heymanni lintearius, Nicolaus Petri Groen, architectus, Petrus Godefridi Celsus, faber. Porro stabiliendæ potentiæ causa, quam sartam tectam tum volebat, hoc sibi propositum habere videri voluit, *Parcere subjectis, & debellare superbos*, ad deterrendos maleficos, tuendos bonos. Eo ipso tempore, cum cadavera adhuc omnium oculis exposita, tyrannidis imagine humi jacerent, programma proclamatum, Trajecti natum & datum, quo cives & incolas qui Harlemi essent absolvit, veniam & gratiam pollicitus, persoluto redemptionis pretio: cujus exemplar inserendum quoque hoc loco putavi, daturus specimem Albanæ clementiæ:

Ferdinandi litteræ veniales.

FERDINANDUS ALVARES à TOLEDO, DVX ALBÆ, MARCHIO CORIÆ, COMES DE SALVA-TERRA, EQVES ORDINIS AVRATI VELLERIS, PRÆFECTVS GENERALIS, & SERENISSIMI DOMINI, IN PROVINCIA BELGII INFERIORIS GVBERNATOR, & CÆT. OMNIBVS IIS QVI PRÆSENTES HASCE, AVT LITTERAS AVT TABVLAS, LECTVRI AVT INSPECTVRI, S. D.

Et si Harlemei, in Comitatu Hollandiæ non postremi, ad eam extremitatem delapsi, quod in verba Principis Auriaci (qui apud regiam majestatem perduellionis reus) juraverint, seque rebellioni totos dederint, & crimen læsæ majestatis, adversus Regem suum non semel commiserint, & successionis jure naturalem Principem ac Dominum; parvi æstimantes atque adeo susque deque habentes fidem, obedientiam, jurisjurandi relligionem, & obligationem, quam majestati regiæ (cujus etiam subditi) debebant; ineuntes illicita fœdera, arcana consilia, molientes res novas, & machinationes clandestinas, conspirationes etiam adversus Catholicam relligionem: aliis etiam civitatibus ad similem audaciam, quasi signum tollentes: Et in eum finem jam arma sumerent; Et intra urbis mœnia regios milites præsidiarios recipere recusassent. Contra, Principis Auriaci copias admitterent ex quavis natione, subditos etiam & rebelles quibus se conjunxere, & oponere ausi Duci & Gubernatori regiæ majestatis generali; ejusdemque præfectis, magna ex parte militaribus: Inter quos etiam nonnulli, regiæ majestatis ministri non è multis, quos è medio sustulerunt. Adhæc, quod inimicitias aperto Marte susceperint, multaque alia hostilia perpetrarint: usque adeo, ut tuendæ regiæ Majestatis gratia, coacti tandem & compulsi simus, eos circumvallare, & lenta obsidione premere & fatigare, fame & armis expugnare, & tandem subjugare; quod factum totis jam VII. *mensibus; ut eo tandem (juvante* DEO*) cogente extrema necessitate redacti sint, ut proxima ad salutem via, visa*

viâ fuerit ad Regiæ majestatis clementiam confugere, & se supplices abiicere, orantes gratiam, deprecantes pœnam. Et quamvis ex præmissis satis constet, cives jam dictos & populares mulieres etiam, puberes atque impuberes, qui Harlemi sunt, severioris disciplinæ pœnas commeritos. Tamen cum nobis antehac satis constiterit, de benigna voluntate, & agnata clementia regiæ majestatis in subditos: Cui & hoc usitatum in simili causa, ad particulare suum non respicere, sed offensas privatas postponere; atque imitari patres benignos, & Principem agere solitum clementem & exorabilem; qui erroneos & perditos subditos, redeuntes ad saniorem mentem & debitam obedientiam, admittat facile ad clementiæ aram, & recipiat in gratiam, quam vindictæ severiori semper prætulit. Volentes insuper regiæ majestatis voluntatem & benignum affectum in cives Harlemeos (quamvis ad saniorem mentem & debitam obedientiam sponte non venerint) publice testatum facere, idque ex vi & efficacia mandati quod habemus à regia majestate in cives & incolas hujus urbis, tam viros quam fœminas, tam puberes quam impuberes, tam dominos quam servos; secundum quod, remittimus, & condonamus, generaliter atque absolute, ex singulari gratia & clementia præsentibus hisce, offensas, errores, delicta, crimina cujuscemodi generis, quæque manifesta rebellione commissa piacula, quod Principem Auriacum secuti, eique adhæserint, & à naturali Domino divortium fecerint, & plura consimilia. Insuper omnes pœnas, mulctas, satisfactiones corporales, criminales, civiles, in quas in causa prædictarum, offensarum, errorum, criminum, rebellionum, defectionum in partes Principis Auriaci, sumptis, aut gestis armis, prolapsi. Quidquid denique aut quocunque modo contra regiam majestatem commissum aut perpetratum sit, remittimus, & condonamus. Atque ad gratiam ampliandam prædictos cives, omnes & singulos restituimus in integrum, & præsentibus hisce manifestis restitutos volumus, famæ & nominis existimatione integros; servatis etiam bonis tam mobilibus quam immobilibus, eundem ad modum ut erant ante adventum regiarum copiarum. Præterea cives Harlemæos omnes & singulos, vindicatos volumus, ab omni infamiæ nota & macula, qua notati ob dictas jam causas: Et ob id Procuratori generali, imponentes æternum silentium, atque adeo cæteris judicibus, justitiæ administris, officiariis, quicunque tandem illi fuerint. Reservato eo & ea conditione, ut promissam pecuniæ summam pretium redemptionis, pendant & persolvant, ad averruncandam urbis direptionem: excepto eo, quod reservatum nobis volumus, in gratioso edicto non comprehensos LVII. cives, & incolas hujus urbis, quos ad denominationis nostræ arbitrium exemptos volumus, & in custodia detineri, quæstioni subjiciendos, ut videamus quopacto se deinceps gerant. Mandantes insuper & jubentes, omnibus & singulis Præsidibus & Senatoribus Hollandiæ, aliisque regiæ Majestatis judicibus, justiciæ administris, officiariis, aliisque subditorum præfectis, ut ex officio prædictos cives atque incolas indigenas Harlemeæ urbis, viros, fœminas, & liberos eorum, præsentis gratiæ & condonationis beneficio, & omnium eorum quæ hoc scripto continentur, ad eandem formam & modum prædictum vivere eos permittant, & tolerent, ut absolute, pacifice atque

in perpetuum frui iis atque potiri possint, absque ullo impedimento aut molestia, & nunc & in futurum, idque sine aliquo, vitæ, famæ aut bonorum detrimento. Atque hæc omnia ex regiæ Majestatis voluntate & sententia. ad quæ ratificanda nomen subscripsimus. & regiæ Majestatis è secretiori camera sigillum affiximus. Datum Trajecti Anno 1573. Jul. 27.

Atque horum quidem quos gratioso edicto exemptos voluit Albanus, varia fortuna, viginti novem duntaxat in manus venere, quorum sex securi percussos in foro diximus: plerique in carcere defuncti: inter quos hi præcipui; *Adrian. Iohannis Dordracenus Prætor, Ioh. Duvenvord. civium militarium Tribunus: item Iacobus Bartholomæi Pelicanius, Iacobus Barnardi Duces: Item Ioh. de Wael, Laurentius Wynandi, Loevius Bartholdi, & Martinus pharmacopæus, Senatores: item Ioh. Adriani Iunius Duvenvordii Legatus: item Iohan. Theodori Schatter, Pet. Theodori Hasselaer, signiferi: adhæc Ioh. Cornelii Sael proprætor. Denique Arnoldus Theodori institor, & Arnoldus Farris* sector: qui omnes fere inedia, miseria, & animi ægritudine exstincti. Consul Joh. Vlietius tam virtute bellica, quam stirbe nobilis, data fide nonnihil relaxatus, molitoris habitum induit, deponit consulis, atque ita elapsus. Filius Nicolai Verlanii permutatione filiarum Craenhals, liberatus & demissus est. Reliqui, qui se ad confessionem culpæ submittere non potuerunt, obstante animi generositate, detenti in vinculis, in pædore carceris & squallore contabuere, in umbra mortis. Fuere & alii, qui patienter exspectabant horam mortis, qui circa Cal. Novembris concatenati Amsterodamum deportat, sicut oves ad victimam, comitante militum caterva, qui sententiam mortis, ab Albano jam habebant; & jam mactati fuissent, & capite mulctati, nisi supervenisset Deus è machina, qui eos periculo liberavit, cum prælio navali Bossuvius captus. Seditio ista de qua dixi, & carnificina in cives, ut Harlemeis formidabilis, & plena anxietatis, ita salutaris aliis fœderatis civitatibus fuit, & opportuna ad terrorem excutiendum paulatim, & ad se recolligendum. Nec otiosus in ea re Princeps, qui occasionem istam non neglexit, præsens, absens per litteras perculsos civium animos erigere conatus est. Interim muniebant urbis mænia finitimæ civitates, Alcmaria, Lugdunum inprimis. Verum (proh dolor) Don Fredericus rursum nova machinabatur in civium exitium. Cum expeditionem jam accelerarent in Borealem Hollandiæ

Principis cura & fides.

par-

partem, & ad obsidendam Alcmariam omnia jam parata haberet, oppidanos jussit cc. aut ccc. qui ex omni civium numero sortem miserant, ad fodinas ire pro fossoribus. Qua re exacerbati civium animi, indignum rati atque intolerabile, post tot ærumnas & afflictiones abduci miseros cives, tanquam ad lanienam, tormentis popularium suorum exponerent. Nec prodesse quicquam potuere, civium indignatio atque obtestatio, qui ad pacta provocabant promissæ veniæ. Sed pro responso datum, nullam ab iis pœnam exigi, sed operam præstari officiosam, regi debitam, cui deberent, quidquid haberent, vitam, animam. Narrabo hac occasione, quid patri meo Cornel. Schrevelio piæ memoriæ acciderit, cui missa sorte eundum quoque fuit Alcmariam fossoris titulo: in via corrupit auro militem equitem, qui liberum eum fecit: Pater clam domum reversus, statim proditus, per emissarium ad Prætorem delatus, ubi aliquamdiu in custodia detentus, ad examen poscitur: ac primum jussus nominare Equitem perfidiæ reum, respondit sese hominem non nosse, sed equum ejus. Ille deductus in stabulum publicum, non invenit equum, qui in cœnaculo quodam seorsim segregatus ab aliis equis stabat, prodente id amico quodam, petiit, ut liceret sibi adire & intrare cameram in propinquo, & videre quid rei esset. Ibi cum inventus equus, statim inspectante patre & commiserante, in patibulum raptus. Ita liberatus à periculo mortis pater meus, detentus aliquamdiu in custodia, tandē evasit. Alcmariani, cogente necessitate, cum sese expedire aliter non possent, varios aquarum obices aperuere, unde castra movere coacti Hispani, relicta cum execratione Alcmaria. Interea cum Dux de Medina in Hispaniam profectus, Comes de Bossu grassatus per totam Hollandiam Borealem: hinc navale bellum in maritimis ad Austrum, cum victus Bossuvius in manus nostratium venit, pactus pro sua & suorum salute & vita, pactus captivitatem comite dignam, Hornam deductus à classis præfecto Cornelio Theodori, & duce Ruychaverio rerum capitalium præfecto. Hic rumor ad oppidanos, & cives Harlemeos pervenit primum, qui in vinculis detinebantur, qui lætabundi hoc nuntio psalmum cecinere *Te Deum laudamus* &c. Id cum rescissent amici Comitis de Bossu, consanguinei etiam, Eparcham adeunt, de permutatione

Harlemei ad fodinas missi.

Patris Schrevelii fortuna.

Navale prælium in maritimis ad Austrum.

Bossu captus.

captivorum locuturi. Ea occasione Consul Petrus Kies jam dictus, data fide de reditu, Amsterodamum ire jussus, ut cum Verdugo coram ageret. In hoc negotio multos adversos habuit; pleraque enim ejus & captivorum bona erant jam alienata, & translata in dominium Don Frederici, Noircarmes & Barlemondt, del Rio, aliorumque. Verum Dux Albanus non magnopere sollicitus de salute Comitis Bossuvii, susque deque habens, quanto in periculo versarentur omnes socii: Harlemæos quos captivos detinebat, omnes è medio sublatos voluit, patibulo jam destinatos, frementibus atque indignantibus Hispanorum præfectis, quibus sententia capitalis prolongata est, tandem redempti captivi permutatione hinc inde. Petrus Kies vir consularis, cum Weldamo ex illustri familia, cerevisiæ coctor, cum nobili. Capta urbe reversis in urbem profugis civibus, aliquamdiu grassata pestis, cum Cellitarum Pater seu Vespillonum præfectus, cessante omni in Deum fiducia, relicto cœnobio, urbe discessit, cum jam sepulti 3335, peste plerique exstincti, An. 1574. Circa hæc tempora exsecrari omnes bella cœpere, inclinare ad pacem: exstant litteræ Magnatum reciprocæ, qui *Anno* 1574. de pace ineunda serio cogitarunt; inprimis Marnixius D. d' Allegonde, qui Trajecti captivus detinebatur; Is ex mandato Noircarmes diversis temporibus ad Principem Auriacum litteras miserat, an non excogitari media aut remedia possent, ad acceleranda colloquia, quibus præsentium bellorum tandem finis imponeretur. Res eo deducta, etiam post obitum D. Noircarmes, ut personæ nominarentur, quorum opera ad istud negotium uterentur. Verum cum eodem fere tempore Ludovicus Comes de Nassou in planitie Moquensi, ingenti clade affectus in acie cecidisset, postea de pace nihil actum, sed pacis obliterata memoria est, idq; pretioso prætextu, regiæ majestatis tuendæ; obnitente summo Dictatore: cui consultius visum, si Hollandiæ, Westphrisiæ, Zeelandiæque Ordines, libellum supplicem regiæ Majestati, cum omni submissione exhiberent, ut pacis & concordiæ amica fœdera, gratiosæ regis veniæ acceptum ferrent. Atque hæc fuit causa, cur pacis initæ fœdera pro tempore irrita & aliquamdiu suspensa hæserint, usque dum D. de Champigny, datis ad Carolum Boysot præfectum Medioburgi litteris, memori-

am pacis refricasset cum Marnixio D. d'Allegonde, qui tum temporis adhuc captivus detinebatur, cum serio ad pacem inclinare eum animadvertit, Marnixius collaudato ad pacem studio, promisit, fore nec Aurantiæ principem, nec Hollandiæ Zeelandiæve Ordines defuturos: remissuros potius aliquid de jure suo, quam ut de jure regiæ majestatis contra jus fasque quicquam detractum vellent. Itaque non inconsultum D. de Champigny visum fuit, uti in hac causa D. d'Allegonde opera uteretur eumque his mandatis instruxit, ut Roterodamum profectus, Principem adiret, de redimendis captivis ageret, eaque occasione tentaret, quid in negotio pacis obtinere posset. Verum duo potissimum habebat, quæ relligiose & anxiè commendavit: nimirum ut regiam majestatem, & summam auctoritatem sartam tectam vellent; & avitæ relligionis mentionem nullam facerent. Sub adventum Marnixii (permittente id quoque D. de Campigny) Roterodamum quoque appulit D. Joh. à Mathenes item D. & Toparcha de Riviere, & D. Joh. à Treslong, in Curia Hollandiæ quondam advocatus: qui cum deputatis Ordinum ultro citroque contulerunt de iis, quæ ad pacem & concordiam facere videbantur: Et intellecta Ordinum sententia, & audito eorum responso, cum ea non iniqua judicassent, scripto ea mandari voluerunt, ut exhiberi & examinari verbotenus possent. Id cum rescivit & subodoratus D. de Champigny, ad Marnixium D. d'Allegonde super ea re litteras misit: aperte nulla circuitione usus, sententiam declaravit, mentem aperuit alienam à responso. Nihilominus D. Allegondius cum D. Ordinibus latius & magis ample egit, ut jam acquiescerent petitioni D. de Champigny, & paratos se dicerent, ut postulata sua in modum supplicis libelli cum omni submissione Regi suo exhiberent, nulla ab Ordinib. relligionis avitæ mentione facta, illud duntaxat petentes supplices, ut Majestati regiæ placeat sua authoritate & Ordin. generalium consensu rempub. constituere, exire jussis alienigenis, qui provinciis perniciosi & exosi; in cæteris submittentes se placitis regiæ majestatis & Ordinum decretis. Hinc libellum petitione supplicem D. d'Allegonde, exacto pacificationis tempore, Montfordiæ ipse obtulit, inde Trajectum reversus ad captivitatis suæ locum. Verum non ita multo post jam dictus D. de

Champigny Bruxellis reversus, libellum illum supplicem remisit ad D. Junium paci deditum Veriæ gubernatorem, qui cum D. Carnes Montfortiæ detentus fuerat, loco Marnixii, quamdiu Roterodami esset. Plures deinde Magnatum litteræ ad pacis commercia, Iunii & Peronoti ad Carolum, D. de Boisot, Ludovici de Boisot ad D. Campigny; item Joh. Peronoti ad Marnixium D. d'Allegonde, & plures aliæ, eorum qui authores fuere promovendæ pacis. Sed cum D. Ordines Generales quo ulterius se submitterent non haberent, in armis sibi præsidium collocandum justæ causæ fiducia rati, Deum vindicem è cælo exspectare maluere, quam Hispanorum jugum plane Tyrannicum subire. De Bossu magis laboratum, qui tres annos continuos in captivitate detentus, usque ad pacificationem Gandavensem. Laborabat interim Patria, cum Hispanorum insolentia (qui jus omne in gladio portabant) intolerabilior indies visa est. Inde civium querelæ, datis ad L. & Toparcham Hierges Hollandiæ gubernatorem litteris, & ejusdem fere argumenti alteris, ad Didericum à Bekestein urbis consulem, quibus significabant, jam se redactos ad incitas, exhaustos cives, ærarium expilatum, conclamata esse omnia, & nisi subleventur militum onere, aut pereundum inedia, aut patriam deserendam extrema desperatione, Phocensium exemplo, quod averruncet Deus: tandem de Pacificatione serio cogitatum, cujus occasio fuit hæc. Nam cum Hispani passim turbas cierent tragicas, & facta conspiratione in exitium inferioris Belgii jurarent, nec seditionum modum nec finem facerent, Alostum occupant, & ob eam causam hostes patriæ renuntiati, & perduelles, Regis edicto. Et cum Germani milites stipendiis frustrati conspiratione & coitione facta in partes Hispanorum iverunt, opponentibus sese provinciarum Ordinibus quantum possent, & vim vi repellentibus. Cumque Hispanorum dissoluta licentia & audacia incrementa caperet indies majora, coacti tandem Brabantiæ & Flandriæ Ordines, cum Hollandiæ & Zeelandiæ proceribus, pacis Bredanæ fœdera renovare. Interim depopulantur Trajectum ad Mosam Hispani, Antverpia ex improviso oppressa, direpta, incensa, opitulantibus Germanis, non sine maxima civium clade, & pernicie. Interim Imperator Maximilianus, quem virtus, quem clementia, Pacis studium com-

Pacificationis Gandavens. occasio Anno 1576.

Anno 1576. Oct. 12. commendabant, fato concessit, translatus ad cælestia gaudia. Nihilominus statu Provinciarum id exigente, Comitia Gandavi habita, delegatis summis viris, ipsis regni proceribus, tam spiritualibus, quam sæcularibus, consentientibus Ordinibus Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ; nec non Hollandiæ & Zelandiæ: qui delegatos suos habuere, nobiles pariter & patritios, virtute, eruditione & eloquentia illustres. Ac pacta tandem fædera præmissâ stipulatione amnestiæ, obliteratâ injuriarum omnium memoria; Ita articuli concepti quæ ad pacem & concordiam facerent, quorum huc redit summa. *Hispanos è Belgio exigendos, commercia libera, relligionem Catholicam sartam tectam habendam, conscientiis hominum vim non inferendam, Ducis Albani abroganda trophea, statuas, inscriptiones: Principem Auriacum agnoscendum pro præfecto maris, nec non Hollandiæ & Zeelandiæ gubernatore.* Ita rata fœdera, approbante regia Majestate, consentiente Philippo II. Hispaniarum rege. hinc lætitia & plausus indigenarum, excusso jam servitutis jugo, occupatis castellis, Gandavi, Valencenæ, Groningæ, Lamaraci, & Trajecti: quibusdam eversis & solo æquatis. Verum aliquot annis post, sub adventum Joh. Austriaci, quamvis reclamantibus & obnitentibus aliis provinciis, rupta concordiæ fædera, pacis conditiones abolitæ. Circa hæc fere tempora, immo eodem anno quo hæc gesta, exarsit ingens flamma, incendium horribile & inexstinguibile. Cum milites Germani, qui illic in præsidiis erant ad Sparnam propè Rotam, in solita statione excubias agerent, & cespitum struem immanem struerent (dubium utrum per imprudentiam an contumaciam factum) eamque ad focum accenderent immissis carbonibus derepente incendium quale antehac nunquam visum; dum rumor spargitur, & incendii signum datur, strepente horrendum campana, flamma invalescit irresistibilis: statim domorum culmina superat, intactis vicinis ædibus, & transit in proximam plateam, à trajectu quæ nomen habet, versus libanotum: ibi tum maxima in urbe trepidatio, & mulierum lamentatio, earum præcipue, quæ incendio proximæ, utensilia, cimelia, supellectilem aut asportare, aut occultare non poterant, obvia quælibet depascente flamma, bacchante Euro-borea, tanta celeritate, ut intra paucarum horarum spatium, civitatis pars tertia conflagrarit, redacta in cineres:

Comitia Gandavi habita.

Incendium ingens, Anno 1576. Octob. 3.

Hæc

Hæc facies Trojæ cum caperetur erat, quæque ipse miserriam vidi, & quorum pars parva fui. Memini adhuc atque animus meminisse horret: cum pater meus architectus, condendis utensilibus & supellectile occupatus, atque omne instrumentum ad fabricam idoneum, in cella subterranea reconderet, juvante matre, me clam foras exisse in publicum, & constitisse in trivio quo recta ad Sparnam itur, & cum oculos in cœlum sustulissem, visa mihi elementa omnia conflagrare, cœlum, terram liquescere. Sed quod miserrimum, in vico nemorali, in vicinia nostra, Xenodochio incenso D. Elysabethæ sacro, cui appropinquare vix quisquam poterat, propter laminas ab igne candentes, Deus bone! quanta ibi trepidatio & ejulatio, senum & ægrorum, tam virorum quam fæminarum, qui aut lecto decumberent ægri, aut bacillis innixi vix pedibus insisterent! quidam enim sublati in humeros, quidam storea elati, alii humi repentes elapsi, ducente Deo. Invalescebat interim vis ignea & depascebat quævis obvia; nec restingui incendium potuit, nec tentatum quidem, quamdiu flamma fomitem inveniret. Incensa, & in cineres redacta circiter ædificia quingenta, præter fana, monasteria gerotrophia, templa: quippe S. Elysabethæ gerotrophium, S Gangolphi templum, & in proximo S. Martini & virginum discalceatarum cænobium. Sub id tempus milites præsidiarii (ut convenerat) discedere jussi, venit in Curiam armata manu Walonum Tribunus & gubernator, oblaturus claves portarum, cui nomen de Lamerselle, in eam audaciam prorupit, ut cameram ingressus secretiorem, Gijsbertum à Nesle, qui eo ipso tempore & consul & delegatus fuerat una cum Episcopo, ad satisfactionem accelerandam, ut eum impacto in tempora colapho in terram prostraverit, parum aberat quin pedibus eum conculcaret, nec causam habebat cur id faceret aliam, quam quod cum Episcopo delegatus fuisset. Mox secutus alius militum Dux Joh. Simeon, qui pari audacia in Senatum prorupit, importuna voce clamitans proditores omnes quotquot in Curia ordinis senatorii essent; minatus insuper priusquam urbe excederent, sibi cum suis in animo esse Magistratum jugulare & cives expilare, & ut magistratui terrorem incuteret majorem, simul adesse armatos milites jussit & officiales ad præsidia, cædem spirantes. In tanta rerum trepidatione,

Anno 1577. Mart. 1.

tione, & animorum consternatione, Magistatui acquiescendum erat, (quippe inter arma silere leges jam olim didicerant) qui satius rati tempori cedere, quam extrema tentare. Coss. ejus anni fuere Mr. Didericus à Bekesteyn, Mr. Gijsbertus à Nes, Gualterus à Rollandt, Nicolaus Joh. Capito.

Anno 1577. Auriacus gubernat. Anno insequenti mirabilis metamorphosis, in republica, in Ecclesia: Nam primo Martii regimen imperii ad Principem Auriacum devolutum, vi pacti, & conditionum in pacificatione contentarum. Rerum potitus Auriacus Senatum abdicavit & exauctoravit, novum elegit. Creati coss. Gijsbertus à Duvenvoorde D. & Toparcha in Opdam, Pet. Johannis Kies, Nicolaus Joh. Tinctor, Adrianus à Berckenroede; Scabini etiam & Senatores novi, dato utriusque relligionis tuendæ juramento: Et cum iis reformatio cœpit, tum relligio vera & orthodoxa, publice introducta, & recepta, non refragante Episcopo, qui 20. Martii, ex authoritate Coss. quos jam dixi, mandatum dedit ædituis templi in Bakenes, ut intra triduum Pontificiorum ornamenta & cimelia tollerent, & omnem supellectilem sacram amolirentur, & valvas templi reformatæ, Ecclesiæ patefacerent. Mos gestus imperatis: hinc zelus reformatis, & ardens studium propagandæ verę relligionis quæ est in Christo. Itaque nullo remorante obstaculo, die Dominico proximo 24. Martii habita concio, perorante Thoma Tilio, pio ac juxta erudito viro, sacrarum litterarum peritissimo, qui quondam S. Bernardi Abbas fuerat, ad Scaldam prope Antverpiam. *Reformatio 1.* Atque ut pietatis exercitia illustriora essent, die 7. Aprilis, ipso Paschatis festo, ab eodem sacrosancta Cæna Domini, ad institutum Christi, administrata, Ecclesiæ membris verbis vernaculis, *Accipite, hoc est corpus meum* &c. Dictus jam Tilius Delphis venerat, quasi ad tempus mutuo datus, verbi divini dispensator fidelissimus, & fidus interpres, qui Delphos ad suos reversus, in ministerio Evangelico perduravit, usque ad extremum vitæ spiritum. Hæc in pace omnia, & mutuo Magistratus politici, & Episcopi consensu, ita ut toto illo anno nulla commotio, nulla sacrorum profanatio subsecuta fuerit. Interim Amstelodamenses inter spem metumque positi, tandem cogente necessitate Pacis cum fæderatis ineundæ, 8. Februar. *Anno* 1578. transierunt quoque *Amsterodamenses in partes Principis venere.*

P in

in partes Principis Auriaci. Verum cum ad hostem inclinare adhuc viderentur, Ordines rem magni momenti, & periculi plenam rati; si forte Don Joh. Austriacus cum oppidanis occulta collusionis commercia haberet, facili negotio expugnari urbem posse: Ita D. Ordines per suos delegatos, & cives reformatæ religioni addictos, urbem in suam potestatem asseruerunt, & mutato rerum cardine, exauctorato Magistratu rempub. invasere, intromissis ad præsidia militibus; qui templa, cœnobia expilarunt: Et qui Magistratu abdicati, factiosi, plebei etiam, adhæc monachi, pontificii laici, una omnes civitate exire jussi. Hæc gesta fere I. maji, & postea in Augusto. Atque hæc impune omnia. Exemplum illud vicinæ civitatis, militibus qui Harlemi erant, stimulos subdidit similia patrandi: nec continere se diu potuere, qui in præsidiis erant cohortes tres, quorum præfectus Arnold. à Duvenvorde, Duces alii Teilingius & Reinaldus. Nam quatriduo post quam Amstelodamensium turbæ fuissent, 25. Maji ipso Sacramenti festo, quod summa veneratione Catholici colunt, similia tentavit militum factio, & successum habuit satis funestum. Nam cum templum augustum illud, pœne angustia laboraret propter hominum frequentiam, tam mulierum, quam virorum, puerorum etiam, atque inter eos cc. cives cum tædis qui hostiam consecratam anteirent, cum templo exire nec possent, nec auderent, intra templi sacraria se continuerunt, & processus sollennia adornarunt, instituta in orbem circuitione. Dum præparandis sollennibus intenti, nuntiatur cætui, armatos milites templi vestibula obsidere, paratos involare in sacra, quo nuntio non parum consternati omnium animi, unicum præsidium in fuga visum: Cum milites laxatis licentiæ frænis, peracto circa horam x. missæ sacrificio, & accensis jam tædis ad processum se pararent sacerdotes & clerus; Ecce ingenti strepitu in ipsis templi vestibulis ad terrorem excitato, in ædem sacram irruunt, & impetum in obvios quosvis faciunt, ita ut fæminæ pariter ac viri, pueri inprimis, metu exanimes promiscue in se mutuo caderent, & fugam caperent, quavis parte in præceps dati. Vidi ipse, vidi pueros & adolescentes scholasticos in choro lintea amictos tunica, ab altari sublimiori præcipites se dedisse, stillante ex naribus sanguine. Ego cum inno-

Sacrileg. Harlemi.

innocens & tenellus adhuc solus essem, derelictus ab omnibus, memini militem stricto gladio ad ipsa templi penetralia ingressum, sæviisse in ciboria, & thuribula, & terræ illisa pedibus conculcasse: puero pepercit latitanti, jam sexenni. Mox super venit mater pœne exanimis, quæ filiolum media inter oscula amplexus, manu prehensum sustulit citato cursu; *pedibus timor addidit alas.* Auxit timorem, quod quidam sacerdotes & cives, male mulctati, inter quos presbyter innocentiæ proximus, occisus dicitur: Præterea muto & pœne innocenti, Martino Michaelis nomine, sica transfossum latus, qui ex vulnere non exstinctus. Aliis presbyteris & sacerdotibus exutæ togæ, pallia & marsupia erepta: mulieribus erumpere conantibus in fuga deprehensis, pallæ detractæ, rapti digitis tenacibus annuli gemmati, quod testari possum oculatus testis. Episcopus autem Godefridus à Mierloo, qui eo tempore adhuc concionem habuerat, miraculose servatus à Quæsitore seu latrunculatore in cella subterranea, cui, cum aliis militibus fidis sibi, circiter L. florenos pro honorario dedit, pretium redemtionis. Cumque ad eum modum pulsi, fugatique essent ex æde sacra, & sacris prohibiti miseri cives, & templum vacuum, milites nondum contenti, casiolas holosericas & fimbriatas, amicula linea, & cujuscemodi generis ornamenta spoliarunt, & quæ cistarum thecis recondita in prædam verterunt. In altaria & simulacra tum minus sævitum. Interim Nicolaus Ruychaverius Prætor, & Petrus Kies consul, in templum tandem venerunt, qui tanquam Dioscuri mulieribus quibusdam, quibus adhuc lucta erat cum prædonibus, apparuerunt, quas liberarunt, & militibus exire jussis, claustra objecta templi foribus. Tum milites qui ex rapto viverent, præda inescati, statim ad Minoritas se contulerunt, qui mensæ accumbentes prandium sumebant, sed conspectu militum territis Monachis, & in fugam datis, obstante nemine totum cænobium spoliarunt, nec à sacris abstinuerunt. Post meridiem calentes adhuc à sacrilegio circa horam tertiam cœnobium Dominicanorum admotis cuneis vi effregerunt, & diripuerunt. Fana cætera, monasteria, intacta reliquerunt, præterquam quod virginum & fœminarum devotarum collegia visitarunt, prædæ duntaxat intenti lineæ aut laneæ, aut rei cibariæ, & si quæ reposita haberent ad

 victum,

victum, ea secum abstulere quasi cum bona venia. His perpetratis milites ad se tandem redeunt, & male conscii metuere cæpere ab exacerbatis civibus, tympanorum pulsu suos convocant, & in foro omnes in armis esse voluere. Tota illa nocte sequenti, nulla quies in urbe, suspecta omnia, frementibus frustra civibus, & vindictæ intentis. Hæc ita gesta accepimus; Ea sive effrænata militum licentia acciderint, seu Magistratus indulgentia, sive justo Dei judicio, ut excusso Hispanorum jugo in libertatem se vindicarent Belgæ, omitto dicere. Ita pertæsi tandem Hispanicæ tyrannidis Belgæ, Ordines, cives, acerrimi libertatis avitæ vindices, constituta jam aliquo modo repub. asserta religione, edicto publico notificarunt, Hispaniarum regem *Propter fidem non servatam* imperii, majestate excidisse, subditosque omni obedientiæ relligione exsolutos, ruptis simul sigillis, & rejectis insignibus regiis, publicata & divulgata jurisjurandi formula, qua se D. Ordinibus obstrinxerat: ac primum equestri ordinis nobilibus, Patribus patriæ, atque adeo omnibus Hollandiæ Rectoribus & præfectis, qui ad clavum Reipub. sederent. Juramenti formula hæc fuit ab una parte.

Philippus ego Hispaniarum Princeps, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Salburiæ, Flandriæ, &c. Iuro spondeoque me in Dominio & successione inferioris Belgii, & Comitatus provinciæ Hollandiæ. Westphrisiæ, nec non civitatis Harlemianæ, civibus atque oppidanis bonum, justumque Dominum & Principem futurum. Adhæc me omnia jura, privilegia, chirographa, statuta, immunitates, olim à majoribus nostris Hollandiæ Comitibus & Comitissis concessas & donatas defensurum pro virili, nec non laudabiles ritus patrios, & consuetudines, usurpationes antiquas, bene, fideliterque servaturum, & servandas mandaturum. Porro, facturum me, quod & bonum & justum Principem, & D. benignum facere justum & æquum erga fidos subditos: ita me amet & juvet Deus, atque omnes sancti. Amen Anno 1549.

Eandem illam juramenti formulam Princeps ipse verbis Latinis pronuntiavit manu tenens S. Evangelii Codicem.

His peractis ceremoniis prælecta fuit Oppidanis quoque Juramenti formula ad mutuam obligationem, in hanc fere sententiam.

Nos Coss. Scabini & Senatores, cæterique cives atque Oppidani civitatis nostræ Harlemianæ promittimus & juramus, nos post obitum Cæsareæ Majestatis clementiss. D. Nostri (qui ut diu beateq; nobis superstes sit Votorum nostrorum apex, Et diu lætus intersit populo Batavo, serus in cælum redeat) *illustrissimo Hispaniarum Principi, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Archiduci Austriæ*

Duci

Duci Burgundiæ. Comiti Salburiæ, Flandriæ, & qui jam dato fidei juramento Comes Hollandiæ & inauguratus, bonos & fideles futuros gratiosæ celsitudini vestræ, & dominiis subjectos, nos jura Comitum feudalia fideliter servaturos, & in honore habituros, nosque Gubernatori, Præsidi Hollandiæ Senatoribus, atque adeo omnibus Iustitiæ administris & officialibus, munus suum ex æquõ tuentibus, & exercentibus, obtemperaturos: Et porro fidos, bonos & officiosos futuros, ad defensionem nobilissimæ tuæ personæ, & celsitudinis clementissimæ, & dominiorum erga unumquemque, perinde ac exigente id ratione & jure debemus facere: Et porro facturos omnia, quæ bonos & fideles subditos legitimis suis Dominis æquum est facere, & tenentur etiam: Ita nos amet, juvet Deus, & omnes sancti ejus.

Quorum omnium prædicti Harlemenses acta publica petierunt sibi dari, quæ Principis celsitudo libens concescit, nempe præsentia hæc. Actum Harlemi Anno & die præscripto. Præsentibus Principe Piemontano, Duce Albano primario præfecto aulæ Cæsareæ majestatis, D. & toparcha à Beveren, Archithalasso & gubernatore Hollandiæ & Trajecti: Item D. & Toparcha à Molenbais, aurei velleris equitibus, Hornæ Comite & Megæ, D. Antonio de Toledo supremo equario Celsitudinis Principis. Item D. D. Viglio à Suuchem, Equite & Iuris D. qui caput & præses consiliorum arcanorum Cæsareæ Majestatis, aliisque compluribus. Infra subsignatum: Philippus. Inferius scriptum. Me *præsente,*

Verl en.

Interim hoc dabant operam Ordines ut Justitiam sartam tectam haberent. Nam militum unus qui presbyterum interfecerat, jubentibus Hollandiæ Ordinibus capite multatus, pœnas dedit. Et ne impunita transirent, iterata sacrilegia tres cohortes, quas supra memoravi aliorsum translatæ. Præfecti Duvenvordius, & Reinoii cum suis ire jussi XI. Iun. quorum alter Delphos, alter Lugdunum profectus. Et Dux Teilingius Hagam petiit XVII. Iun. quibus ante discessum imperatum, tympanorũ pulsu & campanæ sono, ut prædam restitnerent milites sub pœna ignominiæ, exauctorandos eos qui secus facerent. In quorum locum cohors nova in civitatem venit. Clauso igitur templo exclusa defunctorum corpora, sepulchri mullus honos. Cum interim Amstelodamenses ad sacrilegia aliquandiu intermissa redirent, utc anes ad vomitum: Et qui Harlemi erant milites ad exemplum eorum similia tentabant, in templi fores arietabant, perrumpere conati & in sacra involare, altaria demoliri, omnia in prædam vertere in animo habebant, sed inter veniente Ducis legato, prohibiti sed non pacati. Quocirca cum tranquillitatis publicæ cura ad Magistratum

P 3 per-

pertineret, convocato Senatu decretum tandem, & proclamatum de Curia, ut quisque domum suam asportarent quæcunque tam propria, quam hæreditaria in templo haberet, sive imagines sive Epitaphia, sive ornamenta sepulchralia, sive ea quæ in pretio haberent: Et ne quid in templo relinqueretur quod idololatriam saperet, edicto cautum. Præterea novum adhuc sacrarium, & altare sublime illud affabre sculptum, imaginibus ad vivum factis condecoratum, Magistratus demoliri jussit, cujus adhuc hodie relliquiæ, propter artis excellentiam, in aula Principis asservantur, & habentur in pretio. Ita idolis, & omni inveterata superstitione purgatum templum, cultui divino & reformatæ relligioni jam tum destinatum, & ministerio Evangelicæ doctrinæ consecratum, quod in nomine Domini occepit piæ memoriæ Ioh. Damius, ex Palatinatu, qui venerat reformatæ relligionis propagandæ causa, quam hodie adhuc puram & intemeratam per Dei gratiam habemus. Hinc Pontificiorum querelæ, inferentium, Pacificationis Gandavensis fædera, eo modo violata, quibus relligionis libertas, concessa & approbata sigillo Regio, Neque hoc mirum videri debuit, cum non diu inter Ordines servata concordia, cum in partes ierunt, moliente res novas Don Iohanne Austriaco; hinc clandestina consilia de Hispanis revocandis, Ita violato fædere bellum exarsit. Atque hæ Catholicorum (quo nomine gaudent, Pontificii) querelæ, privatæ primum inter cives, mox publicæ, exhibito libello supplice. Nam cum Amstelodami Comitia haberentur, ausi Principi Auriaco, libellum supplicem exhibere, quo Relligionis avitæ libertatem petebant, cui etiam subscripserant plures alii, cives primarii, inter quos etiam reformatos nonnullos fuisse perhibent pacis studio. Tres delegati, quibus id datum negotii, ut summa qua possent reverentia ac submissione Principi Auriaco exhiberent: Quibus indicatum dicto non scripto, responsum daturos Ordines Hagæ-Comitis, pollicitos datis litteris ad se vocaturos: quod & factum; sed nihil obtinuere, repulsam passi, quod in supplicatione illa à calumniis non abstinerent, & authoritatem D. D. Ordinum vilipendere viderentur. Quamobrem ad suos redire jussi, & quieti se dare; Deum provisurum, quippe incerta omnia adhuc fluctua-

Reformatio cæpit.

Pontificior. querelæ.

ctuabant, cum Pontificiorum & reformatorum odia invalescerent, indies magis. *Pacificatione Gandavensi* irrita jam, concordia Ordinum in simultates versa, Magnatum machinationes subdolæ, factiones civium periculosæ. Divisa respub. in partes, atque adeo omnia in pejus ruere videbantur. Positæ Principi Auriaco insidiæ, Antverpiæ primum, exonerante sclopum sicario Joh. Jauregni Hispano. Sed fatalis annus Principi fuit 1584, cum à Balthasaro Seraes Burgundo proditore interfectus est. Ita parricidio Principis turbata omnia. Cumque D. Ordines viribus suis non satis fiderent, de externo auxilio cogitare cæpere. Itaque statim post obitum Ducis d'Anjou Hendrico Galliarum regi supremam Belgii inferioris potestatem per legatos suos obtulerunt. Ille sumpto ad deliberandum spatio, tandem humanissime sese excusavit, & respondit, oblationem tam honorificam sibi perquam gratam esse, sed non consultum sibi videri, bellum movere Hispanis, propter motus Guisianos intestinos. Si commendari hoc negotium Reginæ Angliæ Ordines vellent, daturum sese operam pollicebatur, ut non difficilem se præbeat in hac causa.

Anno 1581. Iul. 26. Parricidium Principi.

Reversi in patriam Ordinum delegati, cum nihil obtinuissent, statim Comitiis habitis decretum, etiam Elysabethæ Angliæ reginæ deferre jus omne supremæ potestatis, justis & legittimis conditionibus, vel si id obtinere Ordines non possent, ut in tutelam & protectionem recipere Belgas miseros dignetur, vel subsidia & copias auxiliares mitteret, quibus resistere Hispanorum potentiæ possent. Serenissima Angliæ regina Elysabetha commiseratione tacta, benignis auribus excepit oblationem tam honorificam quam liberalem. Et cum ad rem ventum, nulla verborum circuitione usa imperii jus summum repudiavit, sed omnem opem pollicita si Vlissingam & Brielam maritimas civitates oppignoratas haberet. Acceperunt conditionem nostratium legati, mutui contractus signatæ tabulæ. Ita ad suos reversi voti compotes. Nec cessavit in officio regina Angliæ, quæ Robertum Dudlejum, Northumbriæ Ducem, Lycestriæ comitem, militiæ præfecit, & summum Ducem cohortibus suis auxiliaribus esse voluit: Quæ gesta ab illo in Belgio, carptim dicturus ad fidem historiæ ejus temporis. Robertus igitur Dudlejus titulo imperatoris ex Anglia

Lycestriana tempora

glia

glia ſolvit XIX Decembris. Is cum Vliſſingam appuliſſet, comitante comite Eſſexio, & magna Baronum & nobilium caterva, ſplendide ac honorifice exceptus, cum ſummo civium plauſu & congratulatione, exoneratis tormentis. Sed non diu illic commoratus, in Hollandiam profectus Dordracum appulit, ultimo Decemb. die: cui Magiſtratus venit in occurſum gratulandi cauſa: cives in armis erant, à quibus magnificè introductus in urbem, cum ſumma omnium gratulatione & plauſu: canentibus tubis, in hoſpitium heroicum deductus, epulo exceptus triumphali; ubi & pernoctavit. Die poſtero Hagam tendit, qua occaſione in via ab aliis civitatibus quæ tranſeundæ illi, omni pompa, & magnifico apparatu, ſtantibus in procinctu civibus, exceptus eſt, donec tandem Hagam delatus, occurrentibus in via quadrigis, à quibus exceptus, & introductus in aulam Principis triumphali pompa, clangentibus buccinis: ſub veſperam accenſi ignes lætitiæ teſtes, epulo inſtructo Pontificum potiore cœnis. Et die poſtero in pleno Ordinum conſeſſu, orationem habuit gravem, & omni humanitate ſtillantem Elbertus Leoninus Cancellarius, nomine Ordinum generalium unitarum provinciarum: qua delata illi plenaria authoritas, ſalvis privilegiis: abſolutum inſuper imperium in militiam & militares, terra, mari: & ſimul eum Gubernatorem renuntiarunt, & eam detulerunt ei poteſtatem, qua majorem non habuit Imperator Carolus, videlicet ſalvis privilegiis, contractibus, & receptis conſuetudinibus, dato etiam juramento. Verum ille arbitratus factam ſibi plenariam quidvis agendi poteſtatem, poſthabitis privilegiis, inconſultis Ordinibus, poſtea gubernationis ſuæ limitationem nullus admiſit: quod etiam regina Angliæ Elyſabetha indigne tulit, & vaſalli ſui arrogantiam reprehendit. Hæc gubernationis initia inauſpicata fuere. Nihilominus Harlemæi certiores facti de adventu Comitis Lyceſtriæ, omni modo in id ſibi incumbendum rati, ut ſummo quo poſſent honore & ſplendore excipere novitium Imperatorem poſſent. Quare vocatis ad ſe pictoribus, atque architectis, qui maxime celebres & artis nullius rudes, quibus aperuerunt conſilia ſua, videlicet propoſitum ſibi, in adventum Comitis Lyceſtriæ, theatra, amphitheatra, arcus triumphales erigere, Pyramidem etiam in foro in honorem reginæ Elyſabe-

Ian. 7. Anno 1586.

bethæ. Eos omnes dicto audientes Magistratus habuit, & nutu obsequentes. Evestigio totius urbis fabri, ad id operam contulerunt subitaneam; Cumque parata jam essent omnia, nuntiatum Lycestriæ Comitem novitium gubernatorem, adventare. Vbi ingens concursus populi & plausus, studia civium, Magistratus cura, ut honorem civitatis tuerentur. Hæc & plura alia quæ oculis vidi, narrare gestit animus. Adventante igitur Comite Lycestriæ, cumque jam in propinquo esset, stabant ante portam Coss. & Senatores habitu & ætate venerabiles, quibus aderat Orator, gratulationis munere functurus: Cives armati hinc inde in platea nemorali, qui turbam sisterent ruentis populi. Ante hortum pub. sagittariorum, primo urbis aditu, theatrum erectum in quo Albani tyrannidem repræsentabant mutis personis histriones: Alterum ad pontem nemoralem, prope fossam antiquam, in quo Belgica, virginali habitu, rectore destituta repræsentata. His ita ordinatis ad pompam, urbem ingressus est sospitator ille, clangentibus buccinis, præeunte Equitum turma, Ipse equo candido invectus, stipantibus latera satellitibus, omnibus se spectandum præbuit placido vultu, quem sequebantur Barones, & ex illustri familia nobiles, in quadrigis sublimes: ita medii inter cives ad forum tendebant, ubi ingens amphitheatrum & spatiosum, in quo heroinæ Elysabethæ, serenissimæ reginæ imaginem exhibebant, ad supplices Belgas manum tendentem. In foro erecta Pyramis modicæ altitudinis, in qua depicta Angliæ insignia & Lycestrianæ stirpis imagines gentilitiæ, adhæc inscripta Panegyrica in laudem Comitis. Ita in aulam deductus cum toto comitatu, triumphali pompa, exceptus magnifico & geniali Epulo, quale antehac nunquam; Harlemi aliquandiu moratus, ubi & comitia habuit, sive loci amænitate, sive civium humanitate illectus, incertum. Postea Amstelodamum petiit, & Boreales Hollandiæ civitates perlustravit, simili pompa exceptus, ut credibile. Trajectum venit. 1. Aprilis, ubi & aliquam diu commoratus. Lustratis civitatibus, & expensis omnibus ad gubernationis generalis munia quæ pertinere videbantur, nihil non sibi arrogavit, fixit leges, atque refixit, auctoritatis suæ fiducia. Ac primum disciplinam militarem innovavit. Edicto pub. prohibuit clandestina cum hoste commercia, credo quo Angli

Lycestriæ Comes Harl. venit.

Q tutius

tutius nova molirentur. Et belli quoque auſpicia facturus, ſubacto Gravio, quum D. & Toparcha in Hemert capite truncatus, cepit Apelen, Duſburgum armis ſubigit, & cum duce Parmenſi prope Zutphaniam, levi velitatione hoſtem provocavit. Propugnaculum Zutphanienſe circumvallatum cepit. Interim ſuborta in Britannia ſeditione, trajecit in Angliam, non ordinata repub. Interea æmulatio ſuborta inter Comitem Hohenloo, & D. Eduardum Norrits, & inter noſtratium milites & externos, hinc juſtę Ordinum querelæ. Trajecti quoque non parva diſcordia, quam fovere Lyceſtriæ Comitem conſtans erat rumor, in qua relegabant cives ſuos, de patria non male meritos. Inde ſuſpiciones ſiniſtræ; auxit ſuſpicionem prodita Daventria, authore Gul. Standley: Acceſſit alterum, quod propugnaculum Zutphanienſe, magnum Velaviæ caſtrum, tradidit in manus Ducis Parmenſis. Auxit dolorem ſeditio equitum Anglorum. Quibus ita exacerbati Ordinum & militum animi, ut Mauritio Principi Auriaco gubernationis Hollandiæ & Zeelandiæ delatus honos. Quid moverit Ordines id facere, litteris indicant querulis. Cumque DD. Ordines deliberarent de conſcribendo exercitu, in Hollandiam rediit gubernator Lyceſtriæ comes, indignatus ita proſtitui authoritatem ſuam, injuriam ſibi factam ſcripto publico divulgavit: Cui reſponſum ſolide ab Ordinibus auctoritatem Belgicam tueri ſolitis. Detecta tandem conſpiratione Leidenſi, nulla fides Dudleo habita, omnes ſibi adverſos habuit, inviſus omnibus. Itaque non diutius in Belgio ſibi commorandum ratus, collectis vaſis in Angliam rediit inglorius. Qui poſt tres menſes demum imperio renuntiavit, ut omnes qui juramento ſe obligaſſent obnoxios haberet. Libera jam repub. rectore ſuo jam deſtituta, Mauritio principi, qui Gulielmi Principis Auriaci filius, imago patris, & avitę virtutis hæres proximus, ſupremæ poteſtatis honorem Ordines detulerunt: ita Hollandiæ, Zeelandiæ, Friſiæ, Weſtphriſiæ, aliarumque finitimarum provinciarum gubernator renuntiatus, delata ei ſumma auctoritate, euntibus in eandem ſententiam omnibus civitatibus, & provinciis unanimi conſenſu. Ejus ductu, atque auſpiciis, coaluere iterum incolarum animi, gliſcente civium concordia, & quieta jam repub. in multos annos. Luſtris jam aliquot labentibus, prolatandis finibus imperii, com-

Diſceſſus Comitis Lyceſt.

commiſſis feliciter prælìis, expugnatis arcta obſidione mænibus, aut fortius defenſis; admirati exteri Ordinum prudentiam, & in repub. adminiſtranda virtutem ſingularem. Cumque princeps Mauritius æternam nominis ſui gloriam in re militari jam conſecutus eſſet, ut qui parem non haberet, ſummus Imperator audivit totius orbis. Quodque honorem auxit, reges confæderatos Belgæ habuimus. Anno enim 1597. facta unio, & pacta fædera inter Galliarum regem, & Angliæ reginam, & inter Ordines unitarum provinciarum. Ita creſcente potentia indies magis, commercia tandem in Indiam tranſtulere armorum fiducia. Ea occaſione amicitiæ cum regibus etiam Barbaris initæ, & longe diſſitis nationibus: inde tot regum legati, indies ad nos commeantes, qui Ordinum ſalutandorum cauſa, gratulabundi alio ab orbe venerunt, admirati Belgarum invictam fortitudinem, ut qui tot annos, cum potentiſſimo totius orbis Monarcha, Hiſpaniarum rege, bellum geſſerint ſemper felicius. Ita ut Dioſcurorum ſalutare ſydus Orbi Batavo affulſiſſe jam videretur, cum Archiduces Albertus & Iſabella, & ipſe Hiſpaniarum rex Philippus Philippi filius, paratos ſe oſtenderent Ordinum fæderatorum libertatem agnoſcere, & pro libero populo habere. Movit noſtratium animos (qui à multis retro annis perduelles & læſæ majeſtatis rei apud regem Hiſpaniarum) libertatis nomen: eo res deducta ut intercedentibus trium regum Galliæ, Britanniæ, Daniæ aliorumque Principum & Ducum legatis, in pacis commercia hinc inde conſenſerint. Cæpta tandem colloquia: Itaque Ordinum Comitia Bergis ad Zomam (oppidum Brabantiæ eſt) habita, in confinio utriuſque partis, ubi ex conſilii ſententia decretum eſt, ut Decemviri crearentur, mandatis inſtructi, & ampliſſima poteſtate conveniendi de longi temporis induciis, pro ut ex commodo reipub. fore indicarent. Locus colloquio deſtinatus fuit Antverpia, flos & ocellus urbium Belgicarum. Adfuere ibidem delegati Archiducum, una cum patre Ney, qui paulo ante ex Hiſpania reverſus, ſecum attulerat litteras regias fiduciarias, pacis ineundæ auſpices. Convenerunt aliquoties in Curiam, atque ibi conſiliis inter utramque partem collatis, & communicatis; quæ fideli ſilentio, tanquam ſacra arcanæ Cereris, aut magnæ matris, in occulto erant.

Induciæ cum Hiſpano.

Ita anno 1609. instituta colloquia ad amica Pacis commercia, in quibus cum multæ & graves difficultates moverentur hinc, inde, quæ pacem impedire viderentur intercedentibus regum legatis, assentientibus Ordinum deputatis, pacta tandem fœdera, initæ induciæ in XII. annos, præmissa declaratione & contestatione Archiducum, tam suo quam regis Philippi nomine, à quo procurationem & plenariam potestatem habebant, quod inducias inirent cum D. Ordinib. tanquam cum libero populo, suis legibus, moribus atque institutis utente, renuntiantes juri suo quod hactenus prætenderant. Articuli pacis tabulis publicis consignati, & per omnes civitates unitarum provinciarum promulgati voce fecialium, quos D. Baudius in latium transtulit, & Latinitate donavit. Deus bone quantus ibi tum populi plausus, & triumphus quanta jubila & gaudia, indictæ templis supplicationes: Totus Magistratus, ordo amplissimus, trabeata in veste sedebant, pro Curia in theatro peristromatis strato, quæ omnia summa gratulatione excepi, vidi etiam cum admiratione & gaudio. Exinde amica provinciarum commercia, ultroque citroque commeantium, tormenta hostilia in triumphum versa. *Induciarum Articuli* fere ejusmodi, quos superioribus subiiciam, verbis Baudii.

I.

PRimum Serenissimi Archiduces, tam suo, quam regis Hispaniarum nomine, declarant, se paratos esse, cum ordinibus unitarum Provinciarum agere, tanquam cum libero populo, suis legibus, moribus atque institutis utente, in quem nihil juris prætendunt, quemadmodum nunc præsentem Induciarum contractum cum iis inierunt, sub pactis, & conditionibus, quæ deinceps subiiciuntur.

II.

Ut per XII. proxime sequentes annos, firmæ, fidæ & inviolabiles sint, ac serventur Induciæ: quibus labentibus supersedebitur ab omni actu hostilitatis, terra marique, fluminibusque, inter subditos, incolas, & advenas Regis Hispaniarum, Archiducumque, & Ordin. confœderatorum, sine ulla exceptione locorum personarumve.

III.

Utraque pars placide pacificeque retineto, salvam & incolumem possessionem, regionum & urbium, locorum, terrarum

& Dominiorum quæ nunc detinet, absque ulla injuria & molestia. Quod & locum obtinebit in pagis, vicis, ac territoriis, quæ inde dependent.

IV.

Subditi, & inquilini utriusque partis, tam Regis & Archiducum, quam Ordinum fæderatorum, invicem colunto mutuam benevolentiam & amicitiam: nec fas jusque esto præteriti temporis damna, vel offensiones ulcisci atque exprobare, suntoque libera utrimque negotiandi commercia, per terras, per maria, per flumina. Quod tamen Rex Hispaniarum cupit restringi, ad regiones, terras ac provincias quas possidet in Europa: vel ad alia regna, dominiaque, quo regum ac Principum amicorum subditi, negotiandi causa commeare solent. Ab iis vero locis, urbibus, portubus atque insulis, quæ extra fines prædictos sub ejusdem regis imperio sitæ sunt, Ordines, eorumque subditi abstinento, nisi eo commerciorum causa proficiscantur, nisi impetrato Regis consensu, commeatuque. Quod vero attinet ad loca, quæ aliis Regibus, Proceribus aut populis subjecta sunt, etiam extra limites Europæos, liceto Ordinibus, eorumque subditis, iis in locis ac regionibus commercari, aut negotiari, dum id fiat permittentibus locorum dominis: nec ullam moram, aut impedimentum, tum objiciet Rex, ejusve administri, vicarii, aut officiarii, quominus Domini locorum, eam libertatem suo arbitratu concedant: nec ipsis Ordinum subditis, negotium, aut molestiam facesset, quo minus eo jure commeandi, commercandique libere utantur.

V.

Et quoniam longi temporis tractu opus est, priusquam certiores fieri possint, qui extra fines Europæ, cum instructu & navibus commercia exercent, ut ab omni hostilitate desistant, placuit ex communi sententia, initium Induciarum fore demum intra annum, ab hodierno die supputandum. Tamen si citius perveniat ad eos notitia pactorum conventorum, recte, & ordine, atque ex bonæ fidei præscripto facient, si ab eo tempore sese ab omni actu hostili contineant. Quod si post istud spatium ulla hostilitas admissa fuerit, damnum & injuria, continuo & sine tergiversatione reparabitur.

VI.

Subditi & incolæ regionum tam Regis Archiducumque,

quam Ordinum confœderatorum, ultro citroque negotiantes, ne gravioribus tributis, portoriis ac vectigalibus onerentur, quam ipsi earum regionum ubi illa solvuntur, subjecti amici, & fœderati, qui minimis oneribus astringuntur.

VII.

Subditi & incolæ D. Ordinum eadem securitate ac libertate fruuntor, in locis ac dominiis, Regi & Archiducum imperio subjectis, quæ concessa sunt subditis regis magnæ Britanniæ in tractatu pacis nuper cum ipsis conventæ, secundum arcanos articulos qui cum Connestabili Castiliæ pacti fuere.

VIII.

Non esto fas sistere, aut manum iniicere in mercatores, magistros navium, exercitores, nautas, nec in eorum naves, pecunias, merces, bona, quocunque prætextu id fiat, sive ex causa generalis, aut specialis mandati, sive per occasionem belli, sive quæsito colore conservandi, defendendique fines. Nec tamen una comprehenduntor, si quæ manus injectiones factæ sunt per legitimos Justitiæ tramites, ob debiti æris nexum, & obligationes rite contractas, quæ obtinebunt suum vigorem, & in iis servabuntur sollennes viæ ac formulæ judiciorum.

IX.

Et quod ad commercia attinet, quæ in Belgicis regionibus frequentabuntur, si ex justis querelis apparebit quædam vectigalia, propter belli erogationes, & necessitates introducta, modum excedere, ut inde mutua negotiatio plurimum capiat detrimenti, propositis ab alterutra parte rationibus gravaminum, delegabuntur continuo Judices, qui super ea re cognoscant, & ex communis consilii sententia, quo ad ejus fieri potest, omnia ad moderationem debitam reducentur, neque tamen si id obtineri non possit, ideo violatas inducias existimari debebit.

X.

Si quæ sententiæ, judiciaque reddita fuerint in contrariarum partium sequuturos, tanquam in contumaces, quorum defensionem nemo suscepit, tam in civili, quam criminali causa; non poterunt, pendentibus Induciis, mandari exsecutioni, nec adversus personas, nec adversus bona condemnatorum.

XI.

Litteræ pignerationis aut repræsaliarum, non obtinebuntur

pendente eo tempore, nisi ex dextro causa cognita, quibus casibus id per leges & constitutiones Cæsarii juris concedi solet.

XII.

Fas jusque ne esto appellendi ad portus, plagas, promontoria alterutrius partis, cum tali numero navium, aut armatorum, ut justi timoris suspicio generari posset, vim parari, nisi ex permissu ejus, sub cujus ditione loca illa sita sunt, aut nisi tempestatibus, aliaque necessitate delati illuc fuerint, ad majorem vim, aut naufragii periculum effugiendum.

XIII.

Hi, horumve hęredes, aut successores, vel mandatarii, quorum bona belli, vel partium odio per manus injectionem capta, aut fisco addicta fuerint, durantibus Induciis, ac privatæ authoritatis arbitrio, non implorato legum ac Magistratuum auxilio, vindicanto à quibuscunque possessoribus, eisque utuntor, fruuntor, vi & vigore præsentis tractatus, etiam si in fisci jus & naturam transierint, aut per oppignerationes, donationes, pacta, conventa, transactiones, aut quascumque renuntiationum clausulas alienata fuerint, ad excludendos eos, quibus jure competunt. Ita tamen, ut de iis non sit libera disponendi potestas, alienandive, aut oppignerandi, nisi impetrata venia ab Archiducibus vel Ordinibus.

XIV.

Quod & locum obtineto, in hæredibus Principis Arausionensis, ex causa juris, quod ipsis competit in Salinas Burgundici comitatus, quarum usus fructus ipsi restituitor, cum sylvis & saltibus inde dependentibus. Et quod ad litem Castellobelini attinet, jam vivo Principe intentatam in supremo Senatu Curiæ Machliniensis, contra fisci procuratorem regis Catholici, promittunt & spondent Archiduces se bona fide daturos operam, omnique studio ac diligentia curaturos, ut sententia rite feratur intra anni spatium, ex quo lis contestata fuerit, sine ulla longinquiori mora, vel comperendinatione.

XV.

Si à fisco distracta fuerint utrimque bona, contenti esse debebunt ii ad quos ea jure & ex vi præsentis tractatus pertinebunt, usuris sex nummorum cum quadrante, in singulos centum constitutis, quæ fideliter solventur à possessoribus dictorum bonorum pendentibus Induciis, si autem

autem illi in mora fuerint, tunc proprietariis è fundo prædiorum, & ex capite, & ex ſorte, ſatis fiet.

XVI.

Sed ſi ejuſmodi bonorum diſtractio in judicio facta fuerit ſervatis ſollennibus, ob expungenda nomina juſta & legittima eorum, ad quos ea bona pertinebant antequam fiſco addicerentur, licebit ipſis, aut eorum hæredibus vel ſucceſſoribus, ea redimere ſolvendo pretium, intra anni ſpatium numerandum à die præſentis tractatus, poſt quod tempus non amplius competet talis facultas. De redemptis vero ſtatuere ac diſponere pro ſuo arbitratu poterunt ſine impetratione commeatus, aut ullius indulti.

XVII.

Hujuſmodi tamen redemptio ſeu redhibitio, non extenditur ad ædes, ſive domos, quæ in urbibus atque oppidis ſitæ ſunt, ſi quæ ex ea cauſa venditæ diſtractæque fuerint, propter maxima incommoda, ac detrimenta, quæ inde poſſint oriri contra poſſeſſores talium locorum, qui inſtaurandis iis aut reficiendis ingentes ſumptus impendiſſe potuerunt, quorum ratio futura eſſet, & ſpatio longinqua, & factu minime expedita.

XVIII.

Quod vero, ad refectiones & meliorationes attinet in aliis bonis divenditis, quorum retractus ſeu redhibitio vi præſentis tractatus permittitur, ſi quis eo jure ſe munitum putat, idonei & competentes judices in rem præſentem venient, & cognita cauſa decretum interponent, manebuntque prædia de quibus controverſia eſt, hypothecæ nomine obligata pro dictis meliorationibus, ita tamen ut emtoribus non ſit fas, jure retentionis uti, quo illis ſolvatur, aut ſatis fiat.

XIX.

Si quæ propugnacula, aut opera publica fuerint utrimque ædificata permiſſu & authoritate ſupremi Magiſtratus in iis locis, quæ ſecundum formulam hujus conventionis reſtitui debent, proprietarii contenti eſſe debebunt, pretio & æſtimatione facta per eos qui juriſdictioni præſunt, niſi ex mutuo conſenſu partes inter ſe conveniant.

XX.

Quod ad Eccleſiaſtica bona, Collegia, Cænobia & id generis pia loca attinet, quæ ſita in provinciis unitis, ſpectantque ad Eccleſias, beneficia & collegia ditioni Archiducum ſubjecta, quæ non venierunt ante Calendas

das Januarias anni cIↃ.IↃ.CVII, redduntor & restituuntor, idque privata authoritate, sine ministerio apparitoris, aut ordine judiciorum, ut iis utantur, fruantur, quamdiu durabunt Induciæ, non tamen ut habeant alienandi, minuendive facultatem, quemadmodum antea dictum est. Quæ vero ante dictum diem vendita erunt, aut ab Ordinibus quarundam provinciarum in solutum data, reditus annui ex ea causa solventur, redactis usuris ad decimum sextum quemque nummum, à provincia quæ hujusmodi bona vendiderit. Si dirempta lex, jus, causa esto ex parte Archiducum.

XXI.

Quibus confiscata bona restituenda sunt, non tenentur solvere reditus retrolapsos, onera & officia prædiis aut hęrediis annexa pro eo tempore, quo talia jura non perceperunt, ac si quid molestiæ ipsis utrimque hoc nomine exhibeatur, absolvuntor, indemnesque demittuntor.

XXII.

Siremps lex esto, si quæ bona distracta concessave fuerint, sub conditione meliorationis refectionisve, nec alia jura, vel onera vindicantor, quam quibus se devinxerunt possessores ex lege venditionis, aut concessionis, cum usuris nummorum in antecessum datorum, redactis ad eum modum quem supra duximus.

XXIII.

Res judicatæ, judiciaque ob eam causam confiscatorum bonorum pronuntiata contra eos, qui subjecti fuerunt jurisdictioni, aut ultro concesserunt in judicem, quique recte & ordine defensi sunt, rata, firma, & immota sunto, nec alio pacto rescinduntor, quam per usitatas juris vias.

XXIV.

Serenissimi Archiduces & fœderati Ordines deleganto Magistratus & administros, aptos, atque idoneos, qui jura, judiciaque reddant, ordinemque constituant iis in locis, oppidis & castellis, quæ proprietariis restitui debent utenda, fruenda, durante tempore Induciarum.

XXV.

Mobilia bona fisco adiudicata & fructus, quorum dies ante hunc contractum initum cessit, ne reposcuntor, neu restitutioni obnoxia sunto.

XXVI.

Rerum mobilium actiones quę ab Archiducibus & Ordinibus ante Cal. Januar. cIↃ IↃ CVII.

remissæ fuerint in gratiam & commodum privatorum utrimque, ne reviviscunto, sed exstinctæ manento.

XXVII.

Tempora quæ ab exordio bellicorum motuum, hoc, est ab anno cIↃ. IↃ LXVII. ad hunc usque diem præterfluxere, ne numerantor aut imputantor ad inducendam præscriptionem, aut usucapionem, inter eos qui à diversis partibus stetere.

XXVIII.

Qui durante bello concessere in regiones neutrarum partium, hujus quoque conventionis fructu ac beneficio potiuntor, iisque liberum ac licitum esto sedem deligere, quibus in locis placuerit, aut ad antiquum domicilium reverti, ut ibi habitent secure, pacificeque, dum tamen secundum leges, mores, atque instituta cujusque regionis vitam instituant, nec ob causam delecti pro arbitrio domicilii bona eorum conveniri poterunt, aut ipsi excidere dominio rerum suarum.

XXIX.

Nulla nova castella, vel propugnacula pendentibus induciis ab ambobus populis in omni Belgio exstruuntor.

XXX.

Proceres ex familia domoque Nassovica, durantibus Induciis, nec quoad bona, nec quoad personas, conveniuntor aut inquietantor, vel ob debita ab Arausionensi Principe ab Anno cIↃ. IↃ.LXVII. usque ad obitum ipsius contracta, vel ob reditus non solutos ex quo bona fuerunt annotata, & iis regia manus injecta.

XXXI.

Si quid adversus hanc conventionem fraude vel temeritate privatorum sine publico consilio Regis Archiducumque, vel Ordinum admissum fuerit, damnum ibidem resarciunto, ubi noxa facta fuerit, si tamen injuriæ vel maleficii authores ibi deprehendantur: vel in loco domicilii, nec alibi liceto, adversus eorum corpora, seu bona, litem aut actionem intentare. Nec ad eam rem ad arma veniendum erit, aut violandæ induciæ, sed si Iustitiæ asylum intercludatur, ad usitata remedia, literarum pignoratione, seu repræsaliarum procedere jus fasque esto.

XXXII.

Omnes exhæredationes, & dispositiones partium aut belli odio factæ, nullius momenti sunto; ruptæque & irritæ manento, perinde ac si nunquam factæ essent.

XXXIII. Sub-

XXXIII.

Subditi & incolæ, tam Archiducum, quam ſub Ordinum imperio, cujuſcunqne ſtatus aut conditionis ſint, apti & idonei ſunto, ad ſuccedendum invicem ſive ex teſtamento, ſive lege ab inteſtato, juxta mores & inſtituta locorum: ac ſi qua forte hæreditas vel bonorum poſſeſſio ante hoc tempus cuipiam obveniſſet, juſque cuique ſalvum & inviolatum permaneto.

XXXIV.

Omnes utrimque bello capti, ſine redemptionis pretio liberi dimittuntor.

XXXV.

Et ut hic tractatus Induciarum melius atque exactius obſervetur, tam Regia Majeſtas, & Archiduces, quam, Ordines pro ſe quiſque promittunt ac ſpondent, ſe omnem curam atque diligentiam adhibituros, ut itinera, maria, flumina ſint libera, tuta ab incurſionibus & graſſaturis turbidorum hominum, prædonum, piratarum, latronum, adverſus quos, ſi deprehendi queant, ſeveriter animadvertetur.

XXXVI.

Iidem pollicentur inſuper ſe nihil contra præſentem tractatum, aut in fraudem ac præjudicium eſſe facturos, aut ab aliis fieri paſſuros directe vel indirecte: ſi quid ſecus admiſſum fuerit, id ſine cunctatione aut moleſtia reparatum iri. Cujus rei ut ſit certior fides & authoritas, Rex, & Archiduces, ſe & ſucceſſores ſuos eo nomine obligavere, omnibuſque legibus, moribus ac ſtatutis huic contractui repugnantibus atque contrariis renuntiavere.

XXXVII.

Præſens hic tractatus ab iiſdem, nimirum à Rege Hiſpaniarum Archiducibuſque, itemque ab Ordinibus, confirmator & approbator: litteræque ratihabitionis, in debita, ſollennique forma expediuntor intra quatriduum ab Archiducibus atque Ordinibus, & ab una parte alteri traduntor. Quod autem regiam Majeſtat. attinet, Archiduces fidem ſuam devinxere, intra trimeſtre ſpatium ratihabitionem, debito itidem more rituque conceptam ab Hiſpano rege adfuturam, quæ & Ordinibus tradatur, ut ipſi & eorum ſubditi placide ac pacifice beneficio conventionis hujus frui poſſint.

XXXVIII.

Contractus hic omnibus locis, ubi de more ſolet & expedire videbitur, ſtatim poſt rati habitionem

nem utrinque datam & acceptam publice proclamator & promulgator, jamque nunc decretum, & constitutum esto, ut ab omni hostilitate absistatur.

HÆ sunt conditiones quibus pactę fuerunt Inducię cum fæderatis Ordinibus post bella per annos XL. continenter gesta, cum maximo Regnatore terrarum, qui latius imperitat, quam unquam Romanæ potentiæ Majestas se propagavit.

Proclamatis induciis, cessante omni hostilitate, Alcedonia videbantur, & orbi Batavico affulsisse jam visum salutare Dioscourorum sydus, quippe armorum requies, at non animorum. Remoto belli motu & metu, certamen inter Ecclesiasticos variantibus sententiis. Nam cum destructis idolis lux illa Euangelii Belgis primum affulsit, & veritas non adumbrata illa, quæ est in Christo, propagari in propatulo cæpit: Pastores & ministri, ex quavis reformati orbis parte, quasi instinctu divino, & puro relligionis reformatæ Zelo, ex Germania, Silesia, Helvetia, ex Palatinatu, ex agro Emdano, Groningano, aliisque orbis partibus, pulsi patria, extorres, tanquam ex diversis elementis conflatum ecclesiæ corpus, qui jam inde ab initio reformationis inter se non nihil discrepabant, non quidem in articulis fidei sed Ecclesiæ regimine, salva tamen caritate. Et cum nec ordinem à summo Magistratu approbatum, nec unanimes inter se fratres essent, erupit tandem in nervum quorundam impatientia. Dissensionis diu sopiti ignes, & occultati intra presbyterii subsellia tandem exarsit ingens flamma, quæ restingui non potuit, nisi Ordinum salutari refrigerio. Interim cum libera suffragia, & partium studia invalescerent indies magis, & quidam etiam nonnihil à doctrina quæ secundum pietatem est declinare viderentur, & insanire circa quæstiones & verborum pugnas: ex hisce tandem nata hæc mala, invidia, & æmulatio, suspiciones sinistræ, dictitantes usque & usque latere anguem in herba, atque adeo omnis generis mala, reipublicæ & Ecclesiæ perniciosa. Nam & quæstio incidit plena odii & invidiæ, de summi Magistratus jure, & potestate circa sacra; Subnatæ etiam circa annum 1597. variis in locis quæstiones, Goudæ inprimis, Hornæ, Medenblici, de æterna Dei prædestinatione, de vocatione hominum ad salutem. Adhæc gravamina semper nova, statim à primo reformationis tempore;

Reformationis initia.

de

de Catechiſmo & Confeſſione, quæ authoritas tribuenda ejuſmodi ſcriptis in Eccleſia reformata, quæ pro fundamento habet S. Scripturam, & unicam fidei regulam: quæ in utramque partem diſputata, in Claſſibus, & Synodis provincialibus primum, tam Borealis quam Auſtralis Hollandiæ: Ita controverſiarum in multos annos nec finis, nec modus. Adverſus hæc mala diu quæſita remedia, nequicquam: aliis Ordinum authoritatem; aliis poteſtatem Eccleſiaſticam tuentibus. Ita duo articuli potiſſimum controverſi in Belgio fuere. Quorum prior inter Ordines & ſupremas poteſtates, & perſonas Eccleſiaſticas, hic fuit: An legitimo Chriſtiano Magiſtratui conveniat in rebus Eccleſiaſticis ordinem præſcribere, in iis quæ relligionem, aut doctrinam aut regimen Eccleſiæ tangunt, ut vera & Chriſtiana relligio ſubditis, & Eccleſiæ nutritiis, in omni puritate, quæ S. Scripturę conformis doceatur, utque in rebus Eccleſiaſticis ſecundum ordinem ad ædificationem omnia adminiſtrentur, ad averruncanda ſchiſmata & ſcandala? Articulus alter an ſententia de divina Prædeſtinatione jam recepta cum annexis tolerari poſſint. Indicat illud Synodus Harlemi habita Anno 1582 Provincionalis, in qua quæſitum inter alia fuit, quatenus difficultates quas nonnulli Miniſtri in doctrina de Prædeſtinatione haberent, tolerari poſſint aut debeant. Hinc controverſiarum moderatio aliqua, hinc Eccleſiarum aliquandiu pax fuit. Verum intervenere alia atque alia quæ excogitavit hominum curioſitas, immoderato relligionis tuendæ zelo: Ita ceſſante pace, & fratrum amabili concordia, ivere tandem in partes, & ſtudia contraria, qui ſe reformatos profitebantur; Adhæc mala averruncanda proximum remedium viſa eſt Synodus. Itaque frequentes habitæ Synodi initio reformationis, Embdæ primum *Anno* 1571. triennio poſt Dordraci, & ſequentibus annis; Roterodami, Middelburgi, aliiſque in locis. Unanimi conſenſu, quod ad concordiam & unionem facere quam maxime videretur, decretum, ut Confeſſionem Belgicarum Eccleſiarum, pro formula ſanæ fidei & unionis in ea acciperent, quotquot eſſent paſtores ſervi Dei: & in hoc ordine habendos quoque Seniores, Diaconos, Ludimagiſtros cenſuere. Neque his acquievere fratres in Chriſto, ſed Theologiæ Profeſſores, ut idem facerent, ſollicitarunt,

Controverſa inter Eccleſiaſt.

runt, ad testandam sanitatem in doctrina & concordiam *An.*1586 biennio post, Hagę comitis Synodus habita Nationalis, idque gubernationis Lycestrianæ tempore, ubi aliquot difficultates sopitæ, sed postea resuscitatæ, cum Pastores, Professores subscribere jussi omnes, sub pœna abdicationis, refragantibus multis. In Classe Leidensi, quidam etiam ad id difficiles se præbuere; Et ante Delphenses in id præcipue incumbendum rati, ut subscriptio passim obtineret, sed frustra. Denique impetrata Synodi convocandæ potestate ab Ordinibus, sanxerunt ut Confessio & Catechesis recenserentur. Exstat etiam Synodale decretum, quo Professoribus Theologiæ, cæterisque pastoribus & ministris injunctum, ut in timore Dei observarent in Confessione, & Catechesi, si quid heterodoxum, ut omnibus accurate expensis difficultatibus, eas ad Classes respectivas mitterent: Quod Ordinum interdicto prohibitum, veriti, ne inter Theologos & symmistas dissensionis æstus in flammam abiret: Ita mora & dilatio Nationalis Synodi, multarum incommoditatum causa fuit, quæ promissa *Anno* 1597, habita demum Anno 1618. Laborabant interim D. Ordines, & de iis quæ ad pacem Ecclesiarum facerent serio cogitabant, nec videbant quæ ad conciliandos animos remedia, salva pace. Fuere eo tempore, qui, rebus Ecclesiarum nostrarum inusitato more fluctuantibus, salutaribus consiliis succurrere conati, &, ne vehementior animorum collisio, & gliscens indies, magis magisque disputationum fervor, Ecclesiam tandem, & florentissimam totius Europæ rempub. funestissimis malis involveret, studiose & anxie cavebant; quippe perdifficile visum fuit rerum Dominis, & periculosæ plenum opus aleæ, supremam authoritatem, & pacem simul Ecclesiasticam tueri. Primum itaque instituta secreta & amica colloquia (neque enim eliminari voluerunt arcana reipub. tanquam Magnæ matris sacra) Anno 1611, intra domesticos parietes. Collatio habita inter Gomarũ & Arminium, & præsentibus aliis Theologis non è multis, in ædibus D. Douzę Nortvici domini, qui vir magnæ autoritatis, & subacti judicii, primarius Academiæ Curator. Dein collatio altera in conventu Ordinum, inter Arminium & Gomarum, remotis arbitris, in qua *Remonstrantes* sententiam suam aperuerunt. Tertia denique collatio, cum seni hinc inde ali-

Ordinum sollicitudo.

quot

quot ſeptimanis in conſeſſu eorundem Ordinum de controverſis dogmatibus ex ſcripturis diſſeruerunt, rationum ſuarum pondera excuſſerunt, & diſputationum ſummas ſcripto conſignatas, in Ordinum manus depoſuerunt. Interlocutores à parte Remonſtrantium fuere Joh. Wtenbogardus, Adrianus vanden Borre, Eduardus Poppius, Joh. Arnoldus, Nicolaus Grevinchovius, Simon Epiſcopius: A parte Contraremonſtrantium Ruardus Acronius, Iubertus Fraxinus, Joh. Becius, Joh. Bogardus, Petrus Plancius, Feſtus Hommius. Exſtant Scripta illa adverſaria collationis Hagienſis, de divina Prædeſtinatione & capitibus ei annexis, authoritate Ordinum Illuſt. Hollandiæ & Weſtphriſiæ edita *Anno* 1611. Edito hoc ſcripto, acquieſcendum in eo nonnulli exiſtimabant, & Tolerantiam ſuadebant in articulis controverſis, & captum humanæ mentis excedentibus, ſic enim loquebantur. Nec abhorruiſſe videtur ab ea ſententia magnæ Britanniæ rex Jacobus, qui iteratis litteris Tolerantiam commendavit. *Anno* 1616. Quod etiam perſuadere conatus eſt vir magnus, in oratione illa, quam ex mandato D. Ordinum Amſtelodami habuit in Senatu, deputatis ad id negotium D. Adriano à Mathenes toparcha Rivir, Opmeer, Doezæ, & D. Hugone Muſio ab Holy prætore Dordraceno, D. Gerardo ab Eyck conſule Delphenſi: D. Hugone Grotio reipub. Roterodam. Syndico, qui orator; D. Gulielmo Petri Haſe conſule Hornano. Hinc Decretum Ordinum, ne quis ſupra ſententiam urgeretur: ſaperet quiſque pro menſura fidei. Alii etiam viri magni, cum inter Politicos & Eccleſiaſticos hæc controverſia agitata, ex utroque ordine tam Politico quam Eccleſiaſtico delegatos quoſdam nominari voluerunt, quibus authoritas, & poteſtas plenaria daretur hanc litem dirimendi. Alii rurſũ ſtudiũ pacis ex verbo Dei commendabant: quodque ad placandos hominum animos maxime facere videbatur, expendere Dei ſervos etiam atque etiam voluere quamſerio à contentionibus & rixis inteſtinis Spiritus S. omnes Chriſtianos paſſim dehortetur. Hæc ſapientiſſimi quique prius adhibenda remedia exiſtimarunt præſentibus malis: verum non ſatis efficax amuletum, adverſus hæc mala; quippe Remonſtrantibus fiducia, in authoritate Supremi Magiſtratus, provocabant ad Ordines. Contraremonſtrantibus fiducia in cauſa, qui provocabant

bant ad Synodum. Remonstrantes tandem causam apud Deos Tutelares deponere coacti: Contra-remonstrantes Deum judicem poscunt mediante Synodo Nationali. Interim Harlemi turbata Ecclesia: Inter Ecclesiastas, & primaria Ecclesiæ membra, de articulis fidei, vix ulla controversia fuit, & in doctrinæ puritate mens una: de vocatione ministrorum, electione Seniorum difficultas aliqua; cujus occasio fuit hæc. Cum D. Johannes Bogardus piæ memoriæ ὁ μακαρίτης fato functus, qui multis flebilis occidit, & D. Gulielmus de Haes paralysi laboraret jam emeritus, quasi civiliter mortuus: & destituta jam Ecclesia pastoribus suis esset: D. Coss. Ecclesiæ nutritii, eam curam ad se pertinere existimantes, ne quid Respublica, ne quid Ecclesia detrimenti caperet, duos ex Ordine amplissimo delegarunt, qui se presbyterio sisterent: quorum alter (ni fallor) Pharmacopœus Hendricus Vechteri: alter Jacobus Johannis à prima reformatione æditiuus, bonorum sacrorum quæstor: illi ipsi quos jam dixi, referre ista ad Senatum Ecclesiasticum in mandatis habebant: nimirum ab aliquot retro septimanis observatum à Coss. Ministerii Ecclesiastici onus ingravescere in dies magis, ac proinde commiseratione ductos Coss. hortari, monere, ut habito Senatu Ecclesiastico, in id imcumberent fratres, ut de vocandis, surrogandisque in locum defunctorum ministris, serio cogitarent, nominarent pios ac eruditos, &, quod maxime commendabant, pacificos, & moderatos. Mox convocato Synedrio, itum est ad suffragia, & habito delectu ex pluribus denominati tandem IV. duos elegit Magistratus, qui, id ne ægre ferrent fratres, aut in sequiorem partem acciperent, etiam atque etiam petebant, dictitantes graves sibi subesse causas cur id facerent. Illi contra monere, instare, urgere, denominatos admitterent, & dicere, Acronium apprime doctum, professione Theologica functum, & gravem concionatorem, & rei Ecclesiasticę peritissimum. Persistebat in sententia Magistratus, nec exorari se passus. Ita animo exulcerato discessere fratres Ecclesiastici, cum id in præjudicium Ecclesiæ factum arbitrarentur. Sed cum obtinere non possent quod vellent delegati, ad Classem provocat Ecclesia. Verum actis classicis, obnitente Senatu, & tuente jus suum, observatum à primo reformationis tempore, Magistratu Politico: Synedrio renun-

Harlemi dissensio.

renuntiabant, Seniores quasi divortium jam ab Ecclesia facturi. Magistratus non parum commotus, & rei novitate redactus ad incitas, ad desperata consilia se vertit, cum novum Presbyterium institui mandavit. Ita electi seniores novi, qui & confirmati pro more in Ecclesiis usitato, sollenni ritu. Ex eo rursus aliud malum: nam restituto Synedrio, de vocandis ministris prima propositio, ut laboranti Ecclesiæ succurrerent. Et cum vocatio ordinaria successum non haberet optatum, de novo vocationis modo & inusitato consilia ineunt inominata. Placuit ordo, qui Anno 1591. in Synodali conventu conceptus, non receptus ab omnibus, nimirum ut VIII. Viri crearentur, IV. Politici qui Ecclesiæ membra omnes essent, & totidem Ecclesiastici, qui servatis ceremoniis, invocato Dei nomine, ad electionem sollenni more convenerunt, electos vocarunt. Ad hunc modum vocatus Dionysius, quem cum illegittime vocatum pars offensa diceret, omnium pœne gratia excidit, cum adversa fortuna, cum afflicta valetudine diu est quod luctatus fuerit, multis indignantibus & condolentibus. Interim sacrorum nullus honos. Sed cum forte sacra Paschalia jam instarent, quibus administrare Cænam Domini sollenne erat, iidem illi qui ad pacem inclinare tum videbantur, redeundum in gratiam cum fratribus authores fuere, quæ ad Classem relata illico. Quare in conventu Classico quæsitum seposito omni partium studio, ecquid remedii fratres Classici haberent, quo cessante omni simultate, res eo perduci posset, ut Ecclesiæ Harlemianæ membra, quæ divisa in partes, ad pacem & concordiam redeant, ut communione corporis & sanguinis Christi, animi denuo coalescerent, & ad se redirent. Proposita quæstione fratres Classici, collatis suffragiis, consilia sua aperuerunt, ad pacem quæ facerent: illud in primis à Magistratu petendum cum omni submissione censuere, prout in vocatione Dionysii promissum fuit, ut eorum delegati, una cum delegatis Senatus Ecclesiastici, ad denominationem tam ministrorum, quam seniorum, diaconorum etiam, qui deinceps vocandi, primum omnes Ecclesiæ membra sint; dein ut secundum eam qualitatem, omnes actiones suas instituant. Tertio ut nihil se facturos promittant spondeantque, quam ex placito & unanimi consensu Senatus Ecclesiastici. Quibus si prima vice totum Synedrium,

drium, etiam ſecunda vice ſi pars altera Synedrii innovetur, vetus presbyterium his ſeſe adiungat, ad declarandam ſuam quoque ſententiam de perſonis nominatis. Nec eorum nomina Conſulibus offerantur, niſi approbante, tam novo quam veteri Senatu Eccleſiaſtico. Atque ut omnis dubitationis ſcrupulus eximatur, ſtipulationem iſtam in acta publica referri voluere fratres Claſſici. Et deinceps hujuſce civitatis & Eccleſiæ fratres unanimiter ſe obligabunt, non introducturos ſe, aut introduci paſſuros, ullos paſtores, aut Eccleſiæ miniſtros, qui ſe Eccleſiæ non probaſſent in vita & doctrina, niſi prius facta plenaria ſatisfactione. Atque hæc omnia per modum proviſionis, uſque dum hic nodus legittime deciſus fuerit, data mutua obligatione ſe ſubmittendi priori Synodo; ad quam iſtius rei juſta cognitio deferetur. hoc pro certo & indubitato ſtatuentes, nullum in doctrina ſalutari diſcrimen eſſe aut futurum. Quod ſi ſecus deprehendatur, & forte aliquis in ſuſpicionem hæreſios veniat, ut quicunque ille fuerit Claſſi ſe ſubmittere polliceatur. Præterea hoc volumus, ne quis hæc ita facta interpretetur, quaſi in præjudicium aliarum Eccleſiarum: abſit, ſed in bonum finem, ut periculo occurratur, ne plura & graviora ſchiſmata interveniant. Quibus conditionibus ab utraque parte ſtipulatis, addita hac promiſſione id ſe effecturos, Cœnam Domini per univerſam Eccleſiam adminiſtrare licebit, & fratribus, in bona pace communionem habere, ut Paſtores & membra ejuſdem Eccleſiæ decebit. Dato conſilio, quod fratres Claſſici ad conciliandos & placandos animos in medium attuliſſent; placuit, ut medium illud ad pacem conceptum tam veteranis quam novitiis Senioribus & Diaconis prælegeretur, ſcripto mandaretur, periculum fieret, an ejuſmodi medio diu exoptata Pax ſtabiliri ſemel poſſit Quo facto D. Adrianus Tettrode cum ſuis declaravit, ſe medium illud ad pacem conciliandam idoneum lubenti animo accipere; placuit quoque reliquis fratribus, & ſymmiſtis, nec abhorruere novitii Seniores, polliciti ſe primo quoque tempore à MagiſtratuActum prædictum exacturos. *Anno 1617. April.* 29. Atque hæc quidem relata illico ad Coll. & Senatores, qui expenſis rationum momentis, declararunt & declarant præſenti ſcripto, hac formula: Cum controverſia & quæſtio in Eccleſia ſuborta eſſet, ex vocatione

Senatus Politici reſponſum.

catione Dionysii Spranchuysii verbi divini ministri ; & novissima mutatione & electione Seniorum & Diaconorum ad præscriptum Ordinis Ecclesiastici *Anno* 1591. quique à Magistratu & senatu ejusdem civitatis ita approbatus, ut servari eum velint: ita prædictos Coss. in id consentire, ut personæ istæ quas in posterum deputabunt, ad præscriptum Ordinis Ecclesiastici, ut quãdo ad denominationem & electionem Ecclesiasticarum personarum procedent, membra Ecclesiæ reformatæ sint, quæ una cum aliis Ecclesiæ deputatis, ad denominationem & electionem jam dictam admitti volumus, idque per mutuam communicationem, deliberationem, atque assensum, cum aliis Synedrii Symmistis & membris, qui deinde ad præscriptum Ordinis Ecclesiastici, apud deputatos jam dictos, collegio Coss. & Senatorum propositi, vel admittantur vel prætereantur ad placitum Coss. pro re nata. Et ut prima & altera vice seniores jam proxime abdicati (modo id petant) quoque admittantur justas ob causas ad communicationem & deliberationem jam dictam, ut denominationem qualemcunque approbent, & in ea acquiescant.

Hoc responso à Coss. dato gavisi fratres, omnia bona sibi polliceri, atque adeo pacem jam sperare ausi, delegatis ad eam rem ministris idoneis.

Itaque Adrianus Jacobi, Egbertus Verhoeven mandatis instructi in Curiam veniunt, ubi tum præsentes aderant. Bartholdus à Nyenburg & Fredericus Deyman Coss. nec non Hendricus Vechteri & Petrus Schout consulares, qui in Coss. cameram admissi, declararunt sese Acta ad pacem instituta accepisse, vidisse, & comperto eo sententiam senatus Ecclesiastici in iis perspicue atque evidenter expressam, eaque pari fide, in conformitate rei gestæ admittere ad præscriptum Synedrii, ita habita inter nos consultatione permisimus ea in omni sinceritate observari, parati ea exsequi per modum provisionis, fratres in omni concordia & sinceritate conversationem sanctam habituros, & ad communionem corporis & sanguinis Christi venturos, & quod Pastores decet operam enixam daturos, ut quies, pax & unitas Ecclesiæ conservetur. Ea quæ inter Magistratum politicum & senatum Ecclesiasticum gesta sunt & approbata utriusque partis parili consensu, publice quoque de suggesto pronuntiata conceptis verbis exultante prægaudio

Senatus Ecclesiastici approbatio.

S 2 Ec-

Ecclesia, in hanc fere sententiam.

Acta autem Senatu Politico & Ecclesiast. approbata, Ecclesiæ indicantur recitata de suggesto.

Difficultates in Ecclesiæ subortas occasione vocationis Dionysianæ, & electionis seniorum & diaconorum nemo nescit, quod malum ne latius serperet, intercedente Classe, interveniente gratia divina, placuit fratribus senioribus & symmystis Ecclesiæ indicare dissensionibus & controversiis modum impositum, inclinare jam ad pacem omnes, adstipulante veteri & novo Synedrio, idque secundum acta Classis, approbata ab amplissimo ordine Coss. & Senatoribus hujus urbis, quæ Ecclesiæ indicantur præsentibus hisce, idque in eum finem, ut si forte quis, scandalum dederit aut sumpserit, in bonam partem accipere dignetur, æqui, bonique consulant fraterno amore, qui est vinculum perfectionis; & unusquisque cum animi tranquillitate, præparare se possit ad Cœnam Domini, ad communionem corporis & sanguinis Christi, quæ celebrabitur abhinc 14. diebus per Dei gratiam, ipso Paschatis festo, ad declarandum amorem mutuum & fovendam unionem, quæ est in Christo. Denique faxit Deus, ut hæc omnia cedant in honorem Dei, & nominis ejus gloriam, & simul ad incrementum Ecclesiæ, in obedientia veræ & sinceræ fidei, & in conversatione quæ est coram Deo. Idem ille Sospitator Deus opt. max. servare nos porro dignetur ab omni inquietudine, & animorum dissensione. Hæc ad majorem fidem faciendam in conventu Classico subsignarunt, Adrianus Jacobi Tetrode, Hendricus Geesteranus, Daniel Zouterius, Egbertus Verhoeven, Isaacus Junius, Dionysius Spranchuysen, novissime vocatus. Ita pace tandem inita Cœnam Domini celebrarunt ad ædificationem unanimi consensu fratres, & tota Ecclesia cum iis. Cessantibus turbis, & semoto omni partium studio, bene de Ecclesia & repub. sperare jam cœperant illi qui pacem amabant; sed breve gaudium: quippe resuscitatis controversiis, quorundam non parum exacerbati animi, indignatio fere versa in rabiem. Hinc Magistratus Politici querelæ, & scripta apologetica, subditorum ad supremam Curiam provocatio, malorum Ilias proh dolor. Ut his atque aliis difficultatibus obviam iret Auriacus, unitarum provinciarum gubernator, decumanis fluctibus sese objecit, Harlemum primum venit, magna Procerum comitante caterva, præmissa cohorte prætoria, & tribus aliis in antecessum, videlicet Comitis Ernesti, Johannis de Nassou, & Cha-

Novæ controversiæ in Ecclesia.

Adventus Principis Auriaci Harlem.

Chatillon, ducente Famaa ad averruncanda pericula & incommoda. Die postero illustrissimus Princeps, immortalis memoriæ, Ordinem amplissimum hujus urbis, & universum Senatum convocari jussit in Curiam hora matutina VIII. Convocatos salutat, & adventus sui causas exponit, prægnantes satis, quem in hanc fere sententiam locutum adhuc memini, præsens ipse.

Principis Mauritii oratio ad Coss. & Senator.

PAtres conscripti, Coss. & Senatores, & quotquot hic adestis ordinis amplissimi viri. Nemo vestrum nescit, (quippe pervulgatà res illa) quam afflictus & miserandus patriæ nostræ status sit, cui nisi prompto & expedito consilio & remedio occurratur, periculum est, ne totum reipub. corpus & pœne universus Belgii status in flammam abeat & ruinam irreparabilem. Quapropter Ordinum generalium supremæ auctoritas, hoc negotium tam arduum quam periculosum mihi injunxit additis mandatis, ut gliscentibus indies malis obviam irem, quibuscunque possem modis. Cogitare vos etiam atque etiam velim, quam invitus hanc provinciam susceperim, & hoc credere vos pervelim, me non alio animo ad vos venire, quam amico & benigno: nec est quod arma vobis terrori sint, quæ ad hujus urbis præsidia. Diu est quod animum cura salutis publicæ torserit, nec expedire me potui, nec cogitare remedium magis idoneum, quam ut Magistratus, qui in multos annos Harlemianæ reipub. præfuit salvo honore, exauctoretur, novus eligatur, ut seposito omni partium studio, pax reipub. & Ecclesiæ conservetur, quod bene vortat Deus, cujus tutelæ vos omnes committo, & simul salvere omnes jubeo, atque exire.

Ita habita oratione dimisit omnes, & exauctoravit fama atque existimatione integris. Illico alios atque alios Patres conscriptos convocari jussit, novo instituto collegio. Creat coss. novos, & Scabinos, & Senatores, tam ex veteranis quam novitiis qui numero prævalebant, qui reipub. Harlemianæ præessent: creatos confirmavit, dato ad fidem juramento. Eodem ipso die quo exauctoratus Magistratus, edictum publicari jussit Auriacus ad demulcendos civium animos, in hanc fere sententiam:

Coss. & Senatores exauctorati.

Edictum Principis.

QVoniam Principis Mauritii excellentia Harlemum venit, in Curia, in Senatu comparuit Ordinum generalium mandato, ut inclytæ hujus urbis cives nonn ihil inter se dissentientes, ad pacem & concordiam mutuam revocaret, omnibus & singulis interdictum voluit præsenti hoc edicto, nequis antenactorum memoria, ullam violentiam, aut irreverentiam committat erga cives hujus urbis, nec quemquam civium, aliqua injuria aut contumelia afficiat, aut damnum inferat personis, ædibus aut possessionibus, quacunque de causa, aut prætextu; verum ut in plateis & in publico, cum omni modestia, & ea civilitate quæ par est sese gerat, sub pœna, qui aliter ac secus facere deprehensi in alicujus ignominiam, damnum aut offendiculum, aut facere etiam conati factis,

dictis, pro gravitate delicti in exemplum pœnas luant in cute, aut mulcta imponatur arbitraria, absque ulla mora, aut conniventia. Actum & proclamatum de Curia præsente Auriaco, aliisque Ordinis amplissimi viris. Anno 1618. Octob. 25.

Præterea eodem ipso die Excellentiæ Nassovicæ placuit, omnes officiales, & civium præfectos, qui arma gerere sueti ad urbis tutelam, & exigente id rei necessitate pro aris & focis pugnare obstricti, quos circa vesperam vocari, & adesse omnes jussit, & in præsentia consulum novitiorum interrogavit eos, an juramentum, quod D. Ordinibus potestatibus superioribus, & Coss. hujus civitatis dedissent servare parati essent, & præstare, id candide & sincere declarare eos jussit & vovere: Et cum omnes annuissent, data ad fidem dextera; cumque Auriacus Pacis ac concordiæ bonum salutare collaudasset, idque etiam atque etiam bonis civibus commendasset, exire omnes jussit, atque avere. Cumque pacata jam omnia viderentur, exultantibus præ gaudio civibus patriæ amantibus, & Ecclesiæ nutritiis. Principis excellentia ordinata repub. Hagam petiit. 26. Octob. classe milites secuti, qui ad pompam & tutelam urbis missi cum Principe Auriaco advenerant. Post discessum Principis (proh dolor) nondum coaluerant fratrum animi, invalescebant indies civium odia, scripta mordacia, injuriosa, & plura id genus mala. Sed quoniam interea multæ privatæ injuriæ fuere, eas, cum ad ædificationem parum facere videantur, omitto dicere. In Ecclesia partium adversarum studia, fratrum odia invalescebant indies magis, cum nonnulli vocationem D. Spranchuisii, illegittimam palam dicerent, in foro, in templo, obnitentibus frustra aliis, dissensione plane schismatica. Tandem cum reconciliationis spes nulla, nisi causa prius cognita, & dijudicata lite, submisere se fratres rei, Dionysius & cum eo Junius, judicio Synodi, quæ Enchuysæ tunc congregata: ita disputatio tota de cõtroversiis ad Synodum delata, & dijudicata in hunc fere modum.

Synodus ita censuit, auditis hinc inde partibus, diu multumque lectis tabulis atque actis hinc inde, & in timore Domini accurate expensis & ponderatis difficultatibus, sui officii esse, & ad se pertinere existimavit, super his sententiam dicere, & declarare ex æquo & bono, quod ad ædificationem facere quam maxime videbatur. Quocirca pronuntiavit & declaravit sententiam hunc fere in modum Synodus. *Synodus Enchuysæ habita.*

dus.

dus. Ante omnia respiciendum rati ad honorem Dei, ad ædificationem Ecclesiæ laborantis, denique ad propagationem regni Christi. Verum manifeste videntes, judicantes etiam, ad optatam illam requiem & pacem Ecclesiæ Harlemianæ, per viam accommodationis, & mutui consensus (quæ omnibus modis tentata, sed infelici successu) restitui non potuisse, nec stabiliri. Ut Ecclesiæ nonnihil damus, ita judicamus ex authoritate Synodi legittime congregatæ, ut uterque D. Isacus Junius, & D. Dionysius Spranchusius, ministri, quoniam compertum nobis, eos ipsos, cum ædificatione, manere ibi diutius non posse, propter incurabilem alienationem animorum Ecclesiæ ab illis, quæ inter alia præcipuè incidit, edendis libellis famosis, honestissimo procedendi modo, & mediis accommodatissimis, præcedente reconciliatione cũ Presbyterio & Ecclesia, in alium locum honorifice transferantur, nominis fama atque existimatione integris, idque ea conditione, ut interea fatres præsentes, quieti se dent, & animi tranquillitati, & ad Patientiæ aram se conferant, conscientia freti. Pollicemur omnes quotquot in hac Synodo congregati, daturos nos operam, ut nihilominus salaria deferantur justa, usque dum alibi vocationẽ habeant fratres, ad quam tota Synodus & membra singula promovere vos paratos se dixere. Eo magis, cum ex omnibus accusationibus adversus illos ad nos delatis, non potuit animad verti, eos in aliquo articulo reformatæ relligionis discrepare à doctrina orthodoxa, & recepta à nostratibus theologis. Ponderatis insuper causis alienationis schismaticæ adversus Hendricum Geesteranum, minus gravem, quam adversus ministros jam dictos, quodque spes aliqua sit eundem illum Geesteranum justa satisfactione cum Ecclesia conciliari posse, placuit Synodo, ut jam dictus Geesteranus in ministerio Ecclesiastico continuetur una cum D. Zouterio præstita primum satisfactione, & culpæ deprecatione, & simul petendo ut æqui, bonique consulant fratres. Agnovit Hendricus, quod actionibus suis sufficientes causas dederit alienationis, promittens porro, se in doctrina & Ecclesiæ regimine, ita se gesturum, ut fidum & sincerum pastorem decebit: Et per consequens ut formula illa ad agnitionem quam facere diximus, ad exemplar hujus instituatur, & totidem verbis, & Ecclesiæ publicè proponatur. Et obser-

observato eo quod in Ecclesia quæ est Harlemi, inter alia non parva difficultas suborta sit, ex introductione novi Senatus Ecclesiastici, & Diaconorum, nec quies aut ædificatio ulla in Ecclesia speranda sit, manentibus illis: Synodus quoque una eademque opera ita censuit, ut quidam ex hoc Ordine deputentur, ut veteri Senatui Ecclesiastico, Diaconis, pro tam fideli opera gratiæ agantur, novitii exauctorentur: Et ut porro, ex universo Ecclesiæ corpore, alii Seniores & Diaconi eligantur ad arbitrium eorum quibus id demandabitur. Et quod Souterium attinet, judicat Synodus, ut in S. ministerio perseverans, Harlemi maneat, utque propter delicta qualiacunque, de quibus Synodus judicavit, coram nobis palinodiam canat. atque ita satisfactum sibi judicabit Synodus. Atque hæc fere sunt, quæ in causa Harlemianæ controversiæ pronuntiata & cōclusa in Synodali conventu Enchuysæ habito. *Anno* 1618. Novemb. 2. Quod attestor Abrahamus Dorenslae Scriba Synodi. Ita laborante repub. molientibus semper nova Ecclesiasticis, cessantibus jam omnibus mediis & remediis humanis, tanquam ad sacram anchoram confugere coacti Ordines, imperata Synodo nationali, cum citrà ullam disputationem, aut moram, actum de modo habendi Synodum, de loco, de tempore: convocatis atque invitatis extra provinciam ministris & pastoribus totius orbis celeberrimis. Habita tandem Synodus Dordra. in antiquissimo totius Hollandiæ oppido. Interfuere plurimi insignes Theologi reformatarum Ecclesiarum, magnæ Britanniæ Georgius Episcopus Landavensis, Palatinatus Electoralis, Hassię, Helvetiæ, Genevensis, Bremensis, & Emdanæ. Ubi ponderatis in utramque partem sententiis, & ad amussim revocatis, Remonstrantium damnata sententia est: Victrix causa Deo placuit, sed victa Catoni. Exauctorati omnes Remonstrantes, & ministerio abdicati; quorum qui acquiescerent placitis synodi, quique se submitterent judicio Ecclesiæ recepti in gratiam, quibus & concessa ex parte salaria: Qui verò obstinati in sententia persistebant relegati. Hinc persecutio in refractarios. Inde multa mala in repub. in Ecclesia, fratrum odia Vatiniana, consilia desperata, & passim schismata, excommunicationes, & quod abominandum maximè, conspiratio in caput Principis Auriaci, sublato è medio Joh. Barneveld. Ita Ecclesiam tandem condidere Or-

Habita Anno 1618. & 1619. Synodus Dordrac.

Ordines, titulo Reformationis illustrē, toto fere terrarum orbe celebrē, mundo contemptibilē, in oculis Dei speciosam. Exstant Acta Synodalia in utramque partem, ad quæ Lectorem remitto, & plura de his dicere supersedeo. Habita Synodo reformationis, circa Scholas cura proxima. Itaque deputati Synodi fratribus & symmystis commendarunt gymnasiorum reformationem. Authoritate Synodi subnixi fratres Classici & seniores qui Harlemi erant, in id sibi incumbendum rati, ut Synodi placitis parerent. E vestigio à Coss. veniam petunt, totius civitatis gymnasia lustrandi, convocandi ludimagistros, & pueritiæ formatores, & simul explorandi sententiam de articulis fidei, & an sani omnes in doctrina jam recepta & approbata Synodi authoritate essent; porro omnia exsequendi, quæ ad reformationem litterariam pertinere viderentur, præsertim ad Ecclesiæ ædificationem quæ facerent. In eum finem D. Coss. 21. Ianua. *Anno* 1620. per viatores suos insinuarunt primum Ludimagistris Scholæ Latialis, Rectori cum omnibus collegis, ut coram Classe se sisterent hora tertia pomeridiana: Iam dicti Ludimagistri mandatis Consulum obsecuti comparuerunt coram Classe una omnes: quibus prælecta est formula, ad unionem quæ facere videbatur & concordiam. Lecta formula Collegii Præses interrogationem instituit, qua quæsivit, an Rector, & cum eo collegæ ejus, salva conscientia, non obstrepente voluntate, subscribere possent receptæ formulæ, cujus hoc ferè argumentum.

Scholarum reformatio

Nos infrà Rectores & Ludimagistri declaramus fide integra, & salva conscientia coram Domino, hac subscriptione, nos cum animi πληροφορίᾳ sentire & credere, omnes articulos & Canones doctrinæ Orthodoxæ, quę in confessione & Catechesi reformatarum Ecclesiarum, quæ in Belgio sunt, continentur, quęque ad interpretationem faciunt quorundam articulorum prædictæ doctrinæ, in Synodo nationali receptæ & approbatæ Anno 1619, in omnibus consentire cum verbo Dei: ac proinde promittere & spondere, nos supradictę doctrinæ capita defensuros, & juventuti pro captu inculcaturos, ad præscriptum vocationis nostræ, sub pæna, qui aliter aut secus faxit, munere Scholastico destituatur. Petente Rectore gymnasii, tempo-

ris ſpatium ad deliberandum, neque enim legendi Canones data copia, judicavit ſatius eſſe Prædeſtinationis myſteria reverenter habere, quam curioſè ea ſcrutari, aut illotis manibus recipere, item meliorem eſſe humilem ignorantiam, quam temerariam ſcientiam: quo reſponſo dato, ſtatim in ſuſpicionem ἑτεροδοξίας venit, qui Orthodoxam doctrinam profeſſus tota vita. Verum cum juſta viſa eſt petitio, dato ad deliberandum ſpatio VI. ſeptimanarum, tandem coram Claſſe comparuit, paratus rationem fidei dare & ſubſcribere actis Synodalibus. Sed fratres Synodi ſuſpicati (credo) latere anguem in herba, cauſam ſynedrio commendant. Triduo poſt intellecto eo, ſynedrio non factum ſatis, vocatuſq; in Curiam tandem exauctoratus multorum annorum Rector, de republic., de Eccleſia non male meritus, qui tantum abeſt ut indigne tulerit, ut dimiſſionem ſuam multoties petitam initium libertatis dixerit. Conrector, qui concionator fuerat inauditus, tanquam hæreſios reus condemnatus. Denique Magiſtellus Alphabetarius, qui ad Pontificios inclinabat, Synagogis ejectus eſt. Ita itum ad omnes ſemipaganos Ludimagiſtros, ad quos Scholarum reformatio pertinebat. De conjuratione in Principem pauca dicturus. Sublato e medio Ioh. ab Oldenbarnevelt, exacerbati multorum civium animi de vindicta cogitantium, facta conſpiratione in caput Principis Auriaci. Exſecrandæ iſtius conjurationis capita fuere Barneveld filii, Gulielmus inprimis, qui aſſumpto audaciæ clypeo Reynerum fratrem in ſocietatem parricidii traxit, detecta conjuratione profugus. Socii conſpirationis proximi David Coorewinder, Adrianus van Dijck, quorum hic Bleyſvici, alter Berckeliæ à ſecretis fuerat; Hagæ-comitis in judicio damnati, capitali ſupplicio affecti. Et ſequente Majo 5. die Slatius Bleiſvicenſis ille, omnium ſcelerum architectus, patriæ & fratrum ſuorum proditor, & qui à nutu ejus pendebant Iohannes & Abrahamus Blanſardt, fratres ambo & textores: Item Gulielmus Parthy Atrebatenſis, Cornelius Woerdanus ſcriniarius, Hermannus Hermanni Embdæ natus, & Didericus Leonardi, Catvici ad Rhenum natus, Epibata uterque & ſocii navales; hi omnes Hagæ damnati, capitis ſupplicio affecti omnes. Exſtant præterea Leydenſium quorundam civium nomi-

Conjuratio in Princip.

Anno 1623. Martii 29.

nomina, Joh. Petri Restio, Samuel de Plecker gossyphii textor; Gerardus Cornelii sarcinator Friso, Lugduni citati, sceleris conscii, convicti etiam, capite damnati pænas dederunt 21. Iun. Ita pæna ad paucos, metus ad omnes pervenit. Harlemi proditor non est inventus, qui in caput Principis conjurasset. Tamen non immunis à malo nostra Civitas: nam cum illustres & præpotentes D. Ordines in sollenni conventu decrevissent tributum butyri vasculis imponendum, & cum ejus decreti fama pervulgata est, idq; multis onerosum atq; intolerandum videretur, rusticis inprimis & colonis, qui tacitè obmurmurabant primum, mox diris & exsecrationibus authores ejus devoverunt, ingravescebat indies magis civium & pariter rusticorum furor, stimulante Erynnide, per pleraque Hollandiæ oppida, & compita. Harlemi in primis ubi extrema minabantur factiosi quidam cives, & tumultuarii. Nec dormitabant Coss. & civium duces, ad quos hæc cura pertinebat tuendæ urbis periclitante patria. Non obstante eo introducta vectigalia fremẽte plebe, exactoribus constitutis per singulas Civitates. Harlemi exactionem tributi butyracei conduxerat Cornelius Luyten manceps veteranus, ac ob id multis invisus: id cum percrebuit, omnium odia in se concitavit; nec jam mulieres à convitiis abstinebant: Inter eas rustica quædam e pago proximo, palam ad pontem piscatorium aliis audaciæ signum sustulit, debacchata in Hollandiæ Ordines, in Coss. & Senatores hujus urbis, nulli parcens, eos ærarii expilatores sanguisugas clamitans, & minis spirans omnium ora in se converterat. Percrebuit rumor stimulante Erynnide ad extremos urbis ambitus, usque ad compages palorum, extentorium vulgo vocant: hinc mercenariorum & textorum manus undique confluentium, qui extrema minabãtur, & non ferendam injuriam rati, in exitium ejus conjuravere qui tributa exigenda conduxerat; etiam domum ejus obsederant, eam funditus evertere parati erant; effractis primum vitris lapidum grandine. Præfecti civiũ militares, venienti malo occurrendũ rati, duplicarunt primum excubias; & postero die, civibus per tympanistas suos clam turba significarunt, quo in discrimine versaretur omnium salus, qui ferociter excepti, civium ductoribus renunciarunt vim publicam. Clausæ interim portæ civitatis, & templi fores. Die autem lunæ

Anno 1626.

Βουτυρομαχία, seditio rusticana. Anno 1624 Ian. 4.

proximo sequenti, cum infrequentes adhuc adessent cives, canente campanę buccina omnes advolarunt, distributi in vicos tota urbe: quibus statio in Curia, statim disponunt Ordines: Et Tribunus civium militarium Gulielmus Voocht, vir fortis ac juxta prudens, consulatu sæpe functus, transitum per arenam faciens, incidit in ferocissimos, qui struem lateritiam pro vallo habebant; quibus nihil territi cives, fecere impetum in turbam inermem; quam movere loco nō potuere, donec factionis antesignanus glande plumbea vulneratus in femore, concidit, reliquis in fugam datis: ad campanarum domicilium seu septum vires recolligunt magis efferati. Verum cum templo inclusi cives aliquot, qui per ostium subsolanum observassent quasi è specula, qui factionis istius flabella & antesignani erant, missa per fenestellam glande plumbea, graviter vulnerarunt vietorem quendam; qui ex vulnere concidit, atque exspiravit: inde fuga & trepidatio; dispersi tota urbe, & dissipati illico evanuere. A parte altera ductor Iohan. Damius jam consulatui destinatus, expugnato plaustrorum præsidio, contumaces in fugam vertit, ingruente à latere Duce vander Mey, ad quorum conspectum territi ardeliones, scurræ, ac sanniones, in fugam dati, ad portam Crucis confertim se receperunt: & cum clausam portam comperissent, tanquam oves erroneæ, per urbis mænia palātes, latibula quærebant, male sibi conscii. Ita furor phanaticus tandem evanuit & deferbuit, prævalente civium virtute militari, & pax reipubl. restituta in summa rerum tranquillitate.

Anno 1628. 12. Martii ipso Bacchanaliorum die dominico, sub vesperam hora VII nescio quo casu nova calamitas exorta per terribile incendium in Schalcvico ante portam, quod tempestate Septentrionali excitatum & inflammatum impediri nulla vi potuit aut restingui, ita ut brevissimo temporis spatio, totus ille vicus suburbanus conflagrarit mansionibus pæne XC. redactis in cineres. Verum interlabentibus annis aliquot Pestilentia grassari cœpit excita erebo, & morbus contagiosus serpere indies latius, occultè primum, mox apertè. Nam observatum *Anno* 1635. mense Octobri, qui primus feralis fuit, cadavera peste exstincta CVII. in Novembri CLXXXIX. & plura in singulos menses proxime sequentes. Observato eo pestem ingravescere indies magis, Magi-

Anno 1635. in Octo. Pestis cepit.

Magiſtratus Coſſ. & Senatores, quibus cura populi incumbit, venienti malo occurrendum rati; ut contagia minus nocerent, ſtatuta quædam politica conceperunt & publicarunt ſollemni ritu, cum inſcriptione:

Peſtilentiæ averruncandæ cauſa Statuta quædam Politica.

CVm luem ſacram, quæ peſtilentia vulgo dicitur, in civitate noſtra & noſtra juriſdictione, vicinis pagis, ingraveſcere indies magis videamus, nec immunes eſſe à peſte finitimas civitates, neceſſarium duximus, & ex communi commodo futurum exiſtimamus, (quamquam effugere manum DEI homini non datum) ut ordo politicus ſtatuatur ad averruncanda & declinanda hęc mala, quatenus homini cautela fas uti, ex verbo Dei. Itaque D. Prætor, & Senatus hujus urbis ordo ampliſſimus, reſumptis & penſiculatis, temporis anteacti ſtatutis in ſimili malo, ſuper ea re vulgatis, quę ut eo tempore ſtatuimus, decrevimus, mandavimus, & rata deſſe voluimus, ita decernimus, ordinamus & mandamus, & pręſentibus hiſce rata eſſe volumus. Ac primum quidem:

I.

Ut cujſluibet domus, in qua lue ſacra, aut morbo peſtilentiali exſtinctus quis fuerit, aut poſtmodum exſtinguetur, ad tempus ſex ſeptimanarum ab ipſo fatali die proxime defuncti januas & pariter feneſtras occludant, & occluſas ſervent, relicta duntaxat libertate exeundi, & introeundi intra prædictum tempus, ſub pæna 12. librarum, hoc eſt, florenorum.

II.

Cadavera peſte exſtincta ne in feretrum exponuntor, aut efferuntor à vicinis, aut aliis quibuſcunque, niſi à veſpillonibus ad id negotium deſtinatis pretio conductis, ſub pæna trium librarum æquivalentium.

III.

Vt omnia cadavera quæ eo quo dictum eſt morbo exſtincta, terræ mandentur, Martis aut Veneris diebus, idque ante horam ſeptimam, aliis vero diebus ſub octavam antemeridionalem, nec fas erit aliis horis diei quemquã ſepelire, aut ſepeliendum dare, ſub pæna 10. librarum. Verum ſi neceſſe erit ob juſtas cauſas defunctorum corpora ad ſepulturam efferri, in eo à Prætore aut Coſſ. diſpenſabitur pro re nata,

IV.

Ad hæc ſtramenta, lecti, cul-

citra, ſtragulæ, aliave ſupellex, tum veſtimenta lintea, tegumenta lanea, intra ſpatium ſeptimanarum ſex noviſſime defuncti, extra domum, in plateam ne efferuntor, ſive ante ædes proprias ſive alienas, aut alio quovis modo, quo Solibus exponantur aut ventorum flabris, ſub pœna itidem 10. librarum.

V.

Similiter ſtramenta nondum exactis ſeptimanis 6. ex domo contagioſa ne aſportantor ad quiſquilias in plateis, aut alibi intra urbis mænia, ſed deportanda ea ſaccis incluſa extra portam ad publicum colluviei receptaculum, injecto ſtatim igne ſub pęna librarum VI.

VI.

Cloacæ domeſticæ non purgantor niſi poſt ſeptimanas ſex proxime defuncti, ſub pæna X. librarum, tam in eos, qui latrinas purgant, quam quorum juſſu purgantur.

VII.

Nec quiſquam qui aut propola ſit, aut inſtitor, qui aut officinas habent, aut commercia agitant, morbo jam dicto correpti, bona aut merces, aut vendere aut permutatione alienare pręſumat intra ſex ſeptimanas proxime defuncti, aut domi aut foris ſub pæna X. librarum.

VIII.

In domo contagioſa habitans, ne accedito, aut intrato alienas ædes, mercandi cauſa, aut emendi ea quæ ad vitæ uſum, ſed exeſto, foris ſtato in plateis: ita eminus declarato mentem quid velit, ſub pæna III. librarum.

IX.

Similiter pueri ex domo contagioſa venientes intra VI. ſeptimanarum ſpatium, à proxime defuncto, aut ſcholas aut officinas mechanicas ne frequentanto aut adeunto, ſub eadem mulcta, quæ à parentibus aut conſanguineis aut à tutoribus perſolvetur.

X.

Decretum inſuper, ne ulla perſona cujuſcunque ætatis aut ſexus, ſi puer aut ſenex, ſi vir aut mulier, habitantes aut commorati in ædibus contagioſis præſumat procedere in funus intra VI. ſeptimanas à noviſſime defuncto, ſub pæna VI. librarum.

XI.

Præterea ne ejuſmodi perſonæ ullo tempore diei ad forum piſcarium, aut macellum, niſi mane circa horam XII, aut veſperi circa VII, ſub pæna quoque VI. librarum veniunto.

XII. Por-

XII.

Porro prædicti vespillones, pollinctores, tam mares quam fęminæ, qui cadavera curant, visitatores, parabolani, aliique ejusdem farinæ homines, quorum munus est ægros invisère, & domos contagiosas frequentare, abstinento à communi hominum commercio & cætu divino, sub pœna VI. libr. Similiter jam dictæ personæ, quibus addimus libitinarios, prohibentur in civitate diversoria frequentare, conventicula ad compotationes habere, idque sub eadem mulcta.

XIII.

Atque ut domus istæ morbo contagioso infectæ dignosci possint atque evitari, ad postes superliminares in ipso vestibulo, ubi quis morbo jam dicto exstinctus fuerit, affigetur nigrum P. ex bractea formatum, quod & ibi manebit usque dum sex septimanæ exspiraverint à novissime defuncto, sub pœna XII. librarum.

XIV.

Nemo quoque pignora aut bona, ex ædium contagione, ad danistam aut mensam usurariam hujus urbis oppignerare præsumat, nisi post VI. septimanas à funere ultimo, eaque bene purgata & ventilata, sub pœna itidem XII. librarum.

XV.

Et quoniam observatum quoque & compertum, quod rusticos & colonos qui in hac urbe tumulantur, fæminarum pompa & muliebris comitetur, contra intentionem antecedentium statutorum: Ita statutum & ordinatum volumus, ut in posterum nulla mulier sive ex consanguineis, sive ex vicinis, sive aliis quibuscunque, funus comitetur, quocunque tandem morbo summum diem obierit, sub pœna VI. librarum, quæ à singulis mulieribus exigentur.

XVI.

Prohibent porro P.C. per modum provisionis, pro hoc tempore, ut nemo in posterum præsumat cadaveribus, virginum, juvenum, senum etiam, sive ea contagioso morbo, aut alio quovis fato exstincta, corollas texere ex herbis odoriferis, floribus, aut laminis crepitantibus, aliisq; ornamentis, eaque de capulis, aut velo funebri, sive domi, sive foris aut alio quovis modo id fiat, suspendere, sub pœna VI librarum.

XVII.

Ita etiam interdicitur & prohibetur, ne in posterum ulla cadavera civium nostratium & oppidanorum, qui extra civitatem peste

peste sublati introducantur intra urbis mænia. quando XLVII. horas jam depositi fuerunt, excesse eos jubemus sub pœna XX. librar. Et, si cadavera civium aliqua aut oppidanorũ morbo contagioso defuncti intra præscriptum tempus XLVII. horarum post obitum deportentur, ex navi aut ex curru quibus advecti, efferentur & terræ mandabuntur, ita ut nullam subeant domum, sub pœna XXV. librarum.

XVIII.

Interdictum porro, nequis, cujuscunque conditionis aut qualitatis fuerit præsumat aliquam supellectilem, mobilia, vestimenta aut alia quævis bona in contagiosis ædibus asservata, quæ in civitate, aut ejusdem jurisdictione, quæ ad modum præscriptum non accurate satis purgata & Solibus exposita, ventilata, aut etiam ex habitaculis & locis extra civitatem sitis, ubi pestis, aliique cõtagiosi morbi grassantur, aut antehac grassati, intra urbis mænia venalia exponere, nec venundari, nec pretio redimi ullo modo volumus, nec clam, nec palam, sub pæna confiscationis eorundem bonorum, nulla habita venditoris aut latoris, aut emptoris ratione.

XIX.

Atque ut omnis occasio præscripti morbi, qui fætore tetro & infecto aëre, & vaporibus graveolentibus, hoc tempore dissipari & propagari posset, tollatur, & his malis occurratur; Etiamnum mandatur, ut unusquisque ante ædes suas, canalem, alveos, plateas, aquarum colluviem, purganda curet, ad præscriptum priorum statutorum, quæ super ea re promulgata, sub pæna in iis comprehensa.

XX.

Ne quis etiam canum aut felium cadavera, intestina aut exta, aut interanea similia, abjiciat in plateas, aut aquas, aut in triviis relinquat, verum ut in fundo suo sepeliat, aut extra urbis mænia, suffossa trium pedum in profunditatem fovea, sub pæna III. librarum.

XXI.

Ad hæc nautæ, aut portitores, aurigæ, mercenarii, non præsumant ullos ægros, qui oppidani non sunt, nec in civitate domicilium habent, extraneos ex aliis finitimis aut longiuscule remotis civitatibus, pagis, & locis aliis, in hanc civitatem aut ejusdem jurisdictionem, multo minus in domum atræ luis publicã hujus civitatis in urbem inferre; sub pæna dimissionis & privatione nauticæ functionis & nauli, reserva-

servata insuper arbitraria correctione.

XXII.

Prohibetur insuper atque interdicitur per modū provisionis, usque dum aliter ordinatum & statutum, ne quis lugubria pallia demissa in terram proditurus in funus induat, aut iis indutus cadavera humeris portet, aut feretrum subeat, nec ullam domum funebrem panno aut levidensa, aut alio velamento parietes tegat, sub pœna xxv. librarum.

XXIII.

Tandem omnes præscriptæ mulctæ pecuniariæ redactæ ad libras xx stuferorum aut xl. semistuferorum trifariam applicādæ, ad usum Prætoris, Civitatis & delatoris, tripartita singulis portione.

Ita acta hæc, statuta atque ordinata: pręscripta Anno 1636. April. 23. ex mandato Ordinis amplissimi, D. Cornelio Teylingio prætore, Nicolao vander Meer, Gerardo Teilingio, Bartholomæo Joh. Veer Cōsulibus. Itē Iohanne Damio, Iohanne Colterman, Cornelio Guldenwagen, Andrea vander Horn, Arnoldo Fabricio Scabinis. Promulgata de Curia hujus civitatis XXVI. Aprilis Anno 1636. Præsentibus & suffragantibus Dominis Cornelio Teilingio Prætore, Ioh. Colterman & Cornel. Guldenwagen Scabinis. Præterea servari hunc ordinem in efferendis funeribus Magistratus voluit, ut funera peste absumpta Vespillones, intaminata vicini cives efferrent.

Grassabatur interim atra lues tota urbe, obvia quælibet depascebat; Nec sexus aut ætatis discrimen ullum: mares, fœminæ, pueri, senes, divites, pauperes promiscue è medio sublati: Ita *Sortitur insignes & imos, Omne capax movet urna nomen.* Verum Anno 1636. menses ferales maxime Augustus, September, October, November, cum tot fere funera fuerunt, quot in silvis folia caduca Autumni tempore, cum spatio IV. mensium 5723. homines peste exstincti, quos morbi sæva vis perculit: ita ut cœmeteria non sufficerent, quibus tumulari cadavera consueverant. Ut de plebe jam nihil dicam, sublati è medio innumerabiles alii, primum, qui ad ægrorum solatia electi domos frequentabant peste laborantium. In hoc ordine pręcipui Iohannes & Nicolaus uterque Arnoldi filius, qui collegæ fuerant ab aliquot retro annis. In quorum locum surrogati Ioh. Iohannis à Doorne Spinola Diaconus olim, & in locum Nic. Arnoldi jam *Decēb. 3. An. 1636.*

dicti Hendricus de Soest qui adhuc in vivis ad ægrorum solatia. Defuncto autem Ioh. Spinola sub finem Aprilis successit in locum ejus Livius Laurentii Verbeeck, & cum eo Isacus Gulielmi per modum provisionis, ad duos aut tres menses primũ; deinde in Iulio ad duos annos: & eodem tempore Doctor Medicinæ Matthias Damius, & Simon Reineri chirurgus admissi ad curandos ægros, & peste laborantium solatia & refrigeria. Item Ioh. Iohãnis ter Keuse premente necessitate, propter morbum Livii Verbeeck jam dicti ad tempus duntaxat trium mensium. At Livio Laurentii & Ioh. Iohannis jam dicti pestifero morbo laborantibus & decumbentibus, electi in semiannum ad supplementum Salomon Colvenier in Augusto, & Iacobus Cool & Iohannes Carre 18. Septembris: qui ambo non ita multo post morbo pestilẽtiali exstincti, v. Idus Aug. quibus ad ægrorũ solatia surrogatus Gerardus Everardi, qui Deo fretus, securus periculi provinciam accepit. Sed cum ingravesceret pestilentia indies magis, & cessarent omnia remedia humana, nec ullum daretur antidotum adversus hæc mala, Magistratus, Coss. & Scabini, cælo intenti & cœlorum motori Deo, (quibus hęc cura incumbit, Ne quid respub. detrimẽti capiat) communicatis consiliis, supplicationes decreverũt, & diem integrum precibus & jejuniis consecrarũt in antecessum.

Anno 1636. in Iul.

Postea diei Mercurii horas vespertinas habendis concionibus sacris, & concipiendis precibus, (quæ ad placandum Deum facerent) destinarunt, idque v. Aug. die in tribus templis, Bavonis, D. Iohannis & D. Annæ. Non obstante eo singulis diebus elata funera cõplura, atq; adeo innumera hinc lamẽta, ululatus, suspiria exaudita per vicos & compita. Quot è plebe exstincti homines, eorum haud facile numerũ subducere; rapti à matrum uberibus pueri lactantes, à sponsarum amplexibus iuvenes rapti in flore ætatis. Orbatæ Ecclesiæ pastoribus suis; Gallica Ioh. de Seins, maritum secuta Magdalena de Ray; Belgica D. Nicolao de Planques. Boveritius Sibema, pestis tempore non peste sublatus, pastor brevis vitæ, 25. Decemb. ipso natali Domini ac Salvatoris nostri. Item Mr. Ioh. à Teilingen Sacellanus fato concessit, nec non sacrorum custos Cornelius à Schalcke. Magistratum autem & ordinem ampliss. miraculose à Deo servatum nonnulli credebant, quod nullus durante peste exi-

exſtinctus diceretur, ſed peſte ſublatos poſtea compertũ Cam. Graveſteyn & Ioh. Beelt. Ita miſeranda urbis facies toto illo tẽpore cum invaleſceret indies peſtilentia ſublatis è medio viris ad conſolandum idoneis: extremo ſpiritu animam agentibus ſolatia deerant, & quod graviſſimũ prægnantibus obſtetrices. Ejus rei exemplo fidẽ faciam, quod memorabile, quod Harlemi peſtis tempore accidit; cum forte fortuna Belgicæ Eccleſiæ paſtor deambulatum exiſſet comitante amico extra portam D. Iohannis, incidit in turbam frequentẽ, virorum, mulierum, puerorum, lamentantium & opem implorantium mulierum vicinarũ. Quærente paſtore quid ſibi vellet hæc turba & lamenta, reſponderunt, quod in tugurio proximo mulier paupercula, & cum ea puerulus peſte decumberet, jam prægnans Lucinæ opẽ imploraret nequicquam, quæ deſtituta omni ope humana, deſperationi proxima Deum invocabat: quippe tantus omnes invaſerat timor, ut vicinæ mulierculæ caſam ruſticam ſubire auſæ non fuerint. Paſtor in tanta omnium trepidatione & conſternatione ſerio cohortatus mulieres vicinas & conſanguineas ut ad ægram intrarent, ſolarentur, parturienti opem ferrent, nequicquam; & ut iis animum adderet, ipſe ingreſſus ad ægram fiducia Dei ſoſpitatoris in partu laborantem, & juxta maritum invenit; quos ſolatus ex verbo Dei bene ſperare eos iuſſit, & ſpopondit proviſurum Deum. Ita reverſus ad turbã redintegratis precibus ſollicitat, ut graviſſime laborãti & parturienti opem ferrent, Deo & hominibus gratam. Verum ille cum ſurdis caneret; nec quicquam proficeret, hortãdo, precãdo, Deum atq; homines obteſtando ecce ex improviſo quaſi Deus è machina apparuit. Iam porta egreſſus D. Conſul Gul. à Teylingen, hortum petens ſuburbanum, in turbam incidit lamentabilẽ, qui intellecta Paſtoris cura & confidentia, & parturientis anguſtia, iuſſit illico civitatis obſtetricem juratam vocari; quæ cum acceſſit, officio non defuit. Poſtero die puerpera, cum fætu recens nato & puerulo altero, lethali peſte exſtincta, nec ita multo poſt maritus ejus. Hæc atq; alia acciderũt graſſante peſte, quæ cœpit An. 1635. menſe Octob. deſiit Anno 1637, in Iul. Ita intra biennium octo hominum millia peſte exſtincti. Tandem commiſeratione Dei, deſæviente paulatim peſte, Ordo ampliſſimus, petente id ſynedrio, decrevit diem eu-

charisticum & agendis gratiis sacrum primo tempore; utque in omnibus templis DeoSospitatori gratias agerent, hymnum canerent *Te Deum laudamus*, pomeridiano duntaxat tempore, quod verbi divini præcones aliquot in Domino obdormierant. De pestilitate plura dicere supersedeo, hactenus tragica omnia & funesta; Restat jam ut Floram gentilem illam introducā quasi in scenam ludicrā, quæ grassante maxime peste caput extulit, cum florum & Tuliparum commercia maxime vigerēt, supra quam credibile est. Ficta ea credet sera posteritas; vereor, quæ porro dicturus sum, fidem non habitura. Tanta enim hominū insania fuit, ut incantati iis viderentur quibus mens sana, & recta constaret ratio. Quod ut liquido constet, de Ortu ejus & Occasu dicere instituti bona fide. Nostra adhuc & parentum memoria ignotæ Tulipæ exoticæ, flores barbari, in silvis primum nati, dumeta inter & vepres. Ita nescio quo fato peregrini flores ex Gallia Narbonensi in has partes delati, & crescente paulatim populi insania, in honore habiti. Nostra quidem memoria Carolus Clusius Atrebatensis, rei Botanicæ peritissimus, æstimare Tulipas hic primū cæpit, & colere & disseminare per Belgium universum. Cæpere illico flores vilescere, rosarum tū nullus honos: Coronæ imperiales sceptra Tulipis submisere; violæ jam alga viliores. Solæ Tulipæ fęcundi seminis flores in infinitum propagatæ, multitudine stellas jam superabant vel campi gramina. Et ut Tulipis decus accederet, nescio quis malus Genius ab inferis excitus afflavit orbem, & hominum multorum animos, qui Floræ amore capti Tulipas æstimarent, iisque titulos darent speciosos, & cum ascendere altius non possent, *Semper Augustus*. Toleranda hæc fuere in magnatibus, & locupletibus, qui Tulipas sererent, alerent, colerent, atque æstimarent, pretium tandem ponerent, ad voluptatem, sine ullo quæstu, ad ostentationem tantum, ut gloriolam inde caperēt æmulatione quadam tam ludicra, quam iocosa. Sed cum voluptates istæ, & hortenses delitiæ quæstuosæ fieri cæpere, ab honesto paulatim declinarūt qui lucro intenti. Nam cum rumor primū percrebuisset incerto authore, Tulipas distrahi in vicinas provincias & regiones, & quæstum facere cultores luculentum, illico Tuliparum amore cōplures capti, hortos conducere, emere alii, & flores mercari, plantare, & propaga cærepere:

Floræ ortus & occasus, Anno 1636.

inde

inde florum meſſis inuſitata. Acceſſit curioſitas, & certare inter ſe jam cæpere, & de palma contendere, & ex ea adoream quęrere, opulentiores primum, dein paſtinatores, & topiarii, mox textores etiam radio & tela relictis totos ſe Floræ manciparunt, aliique de plebe cives. Ad hæc cerdones, fullones, & fabri ſandapilarum, circulatores ex infima fęce Lemi conditoris in hanc tribum veniunt, & quod cenſura dignum, quibus ad reſtim res venerant, qui divenditis rebus ſuis atque omni inſtrumento textorio per compita oberrant, fora adeunt: ad novum mercatum, in circulis & tabernis librariis, florum pretia diſcũt tirones adhuc: collegia in diverſoriis frequentant: emunt, vendunt quod non habent, præſente ſcriba, qui venditionis & emptionis cõtractus refert in tabulas pub. data in ſumptus pecunia collatitia, pro florum pretio, numero & pondere. Illic gaudia & plauſus, & riſus Sardonii. Et tum demum Floræ litare ſe ſtrenue putant, *cum multo libant carcheſia Baccho*. Ita primũ initiari ſoliti Florę cultores. Nec una domus aut hoſpitium capere omnes jam poteſt advenas ab omni parte: complura inſtituta collegia, & comparitiones ſtatæ complures, cauponibus ut gratificentur, & vigeat mercatus. Sedere illic ſoliti in ſellis tanquã Patres conſcripti, qui mercimoniis emundis vendundiſque præſunt, & commerciorum floralium arbitri, figunt leges atque refigunt. Provocant alii ſe mutuo ſtudio mercandi, permutandi, pretia extollendi, audacia illic pro muro habetur. Flores vix coemptos, denuo vendunt; & quas habẽt actiones, in alios trãſferunt, & ſemper cum lucro imaginario, *hic pauper cornua ſumit*: Et quotquot in eodem contubernio, *Cœlum ipſum ſtultitia petunt*. Et dum hæc agunt, difficile dictu quanta Tuliparum pretia incrementa ceperant, creſcente videlicet indies ementium & vẽdentium inſania. Aureos quiſque montes ſibi polliceri, & tentare fortunam cœpere aliis invidendam: Floræ indies vota facere, & cum jam diteſcerent ex quæſtu, parvi Craſſi ſibi videbãtur. Crevit cum opulentia luxuria, & artes malæ. Hinc illæ lachrymæ, & Floræ calamitas. Irrepſere interim veteratores occulti, qui tãquam in aliena caſtra ſpeculatores collegia obibãt, floribus pretium ponebant indies maius Floralium buccinatores. Fuere & emiſſarii, qui aliorum ſermones quaſi aliud agẽtes aucupabantur. Subornati etiam venere, qui ſeſe

insinuarunt subdole in collegia Floristarum, in quos non caderet fraudis ulla suspicio, qui apud novitios & Floræ sacris vix initiatos, merces floreas extollebant, & florum pretia & incrementa promovebant supra fidem. Eo magis accēdebantur novitiorum animi, ardebant cupiditate florūm proximi insaniæ. Neque jam operæ pretium singulos bulbos venales habere, sed pondere æstimari, & libris integris eos divendi, usu jam receptum erat, sed censu & æstimatione semper maiori. De meliore nota Tulipæ, & è nobili stirpe flores, inæstimabiles habiti, & vix ullo pretio mercabiles, quos granorum numero ac pondere, perinde ac Adamantes, & lapides pretiosos, divēdi placuit summis Floræ Dictatoribus. Qui mercatus brevi tanta incremēta cepit, ut unius flosculi bulbus octo granorum florenis, DCC, alius IV aut amplius millibus æstimatus & divenditus fuerit, pluris etiam si constet fides. Ridebunt posteri & nostratium hominum insaniam, & dubitabunt de fide florum amatores; tanto in ęstimio nostra memoria flores fuere. Altius ascendere non potuit Floræ honos, quę ruinæ proxima, nihilominus verticem adhuc in cælum sustulit, cum inter sidera referri jam ambiret, sublata in altum, ut lapsu graviore tandem caderet. Ita subito cecidit quasi tacta de cœlo Flora nostratium, & derepente evanuit Floræ omnis gloria, & collapsa humi florum caduca mater, pauca cum mandasset suis cultoribus, animam exhalasse eam ferunt, & relicta inedia, valere suos iussit & plangere. Perculit quorundam animos tanta calamitas & ruina. Quoquo te verteres, consternatio, luctus & mæror. Hortorum tū nullus honos, & statim squallent municipia, deserta fora, silent diversoria, alcedonia tum erant, cessante omni commercio. Hærebant attoniti omnes consilii inopes, quique iam redacti ad incitas, quibus nihil reliquum, præter miseram animam, communem sortem miserabantur omnes; cum nec ad aras, nec ad leges esset refugium, malum omni remedio maius. De his latius in orat. publice habita Lugd. Batavor. Anno 1640.

LIB.

LIBER IV.

Continens

DUCUM ET COMITUM

Hollandiæ Statuta, jura, Privileg. &c.



Tque hæc fere ſunt quæ ab urbe condita, uſque ad hæc tempora, domi, militiæque tam proſpera quam adverſa, ſacra, profana, geſta comperio, certante ſemper cum Fortuna virtute. Deinceps dicturus, quæ Lemi urbem magis illuſtrem reddent, leges, atque inſtituta, privilegia, donativa, delata ob merita, fidemque ſupra fidem; tum qui præfuerint urbi noſtræ, qui mos creandi Magiſtratus, quæ nobilium ſtemmata, qui ſtirpe, qui virtute bellica nobiles: quæ incolarum ſtudia & negotia, quæ civium induſtria; & artes cujuſcemodi generis.

Ac primum quidem totius orbis Chriſtiani Proceres, Duces, Comites, gentem Harlemianam, propter res terra marique fortiter geſtas, & præclara in rempub. merita, præcipue propter fidem inſignem, in honore habuiſſe, teſtantur Annales veterum: quos & in delitiis habuiſſe videntur, tanquam albæ gallinæ filios noſtratium Comites, cum de iis bene mereri ſemper ſtuduerint. Id indicant tot tamq; ampla privilegia, donativa, tot immunitates datæ, à Gulielmo primum, qui in ordine Comitum Hollandiæ viceſimus: Anno M.CCCXLV. Alii annum ponunt MCCCLVI. idque die Dominico poſt annuntiationem Mariæ. Privilegia cõplura Harlemianæ civitati conceſſit, donavitque, & inſtituta poſuit plena juris, & favoris, & affectus omnino benigni: quæ recenſere ad annalium fidem conabor. Statuta reipub. conſtituendæ ſemper alia atq; alia fuiſſe, mutata & innovata ad Principũ, Comitum arbitria, teſtantur annales veterum, Ea recenſere omnia, immenſi operis eſſet. Nos Gulielmi Comitis aliorumq; ſtatuta pauca dũtaxat referemus politica; qui ſtatutis ſuis teſtandæ benevolentiæ cauſa privilegium præmittit his verbis.

I. Notum ſit univerſis & ſingulis, præſentibus, & in poſterum futuris, quod ego Gulielmus Hollandiæ Comes, ex ſingulari amore & affectu, eo me ſubmiſerim, ad vota civium & incolarum, *Gulielmi Comitis ſtatuta.*

larum, ut iis remiſerim & indulſerim omnia onera, & liberos eos fecerim ab omni telonio. Et ſi forte inciderit lis aliqua aut controverſia, aut ſi forte minus placebit aliis cõmiſſum quid ab oppidanis, nihil obtinebit aliud adverſa pars, quam ut vocentur ad judicem ſuum.

I I. *Edictum Prætorium adverſus eos qui oppidanis vim inferet.*

Quod ſi quis, qui in propinquo urbis, non ita procul à porta civi aut municipi injuriam fecerit, aut vim intulerit bonis aut poſſeſſionibus, quas juſte & abſque querela poſſedit, Prætor illico urbanus, comitante civium caterva, tam divitum, quã pauperum, eo ſe conferet, ad vindicandam injuriam, aut vim propulſandam, idque ſine ulla mea, aut meorum offenſione, aut indignatione.

I I I. *De eo qui jus civitatis affectabit.*

Si quis undecunque veniat in urbem prædictam, & jus Civitatis petat, portarum limina patere ei volumus, jubemus etiam, dato prius juramento fidelitatis Hollandiæ Comiti, & hæredibus ejus: dabitque Prætori urbis obolos IV. & viatori obolum unum, Scabinis autem ſolidos tres: id cum fecerit, uſurpabit ius Civitatis.

I V. *De eo, quod Civitatis jus habenti* XL. *diebus abeſſe ab urbe licebit, ſalvo jure municipali.*

Unicuique exigente id neceſſitate liberum erit XL. dies commorari extra urbis portas, aut fænilecii aut meſſis tẽpore, ad cogendas fruges: ad ſementem etiam tempore autumni, ad diem præſcriptum àb urbe abeſſe municipi licebit. Et XL. dierum tẽpore exacto, intra portas ſe recipiat, ibidemque manſionem habeat.

V. *De eo qui recens admiſſus in ordinem civium novitius. Negotiorum cauſa ei impune abeſſe ab urbe licebit* XL. *dies.*

V I. *De vocando aliquo in jus.*

Quando aliquem in civitatem adſcitũ in judicium vocare quis velit, citabitur à Iudice aut viatore ejus ad judicium, poſt dies XIV à citatione.

V I I. *De eo quod Civis citatus diem poſſit anticipare.*

Oppidanus civitatis, poteſt citationis diem accelerare, ſed de jure ultra duas ſeptimanas differre non poteſt. Hic mos citationis, tantum locum habet in cauſa quæ vertitur inter oppidanos.

V I I I. *De alienigena qui civem in jus vocabit.*

Quod ſi alienigena qui civem in jus trahat, Judex peregrino illi

jus dicet intra triduum, ad expediendam causam hospitis & peregrini.

IX. *De eo qui aut oppidanus aut extraneus esset innocentiam suam in judicio probare velit.*

Quando aut civis aut peregrinus purgabit se crimine in judicio, una & propria manu id fecerit.

X. *De eo qui purgare se velit adductis in judicium testibus.*

Quod si testimonii dictione purgare se quis velit, cedent ei induciæ deliberatoriæ, sumptis ad deliberãdum duabus septimanis: Ita tamen ut solus municeps aut oppidanus, adversus oppidanum testimonium perhibebit. Simplex autem oppidanus addito juramento testimonium perhibebit, verum Scabinus aut juratus absque juramento testimonium perhibere potest.

XI. *De eo qui citandus in re pecuniaria: id in duorum civium præsentia fiat.*

Quando quis citandus in re pecuniaria, citabitur ad iudicem, aut ad viatorem præsentibus ad minimum oppidanis duobus indigenis: atque ea ipsa citatione taxari pecuniæ summa debet. Et si citatus ad diem præscriptum non veniat in judicium, accusatori dicta pecunia cedat in solidum. Adhæc citatus si non compareat, Prætori tres solidos, accusatori duos pendet in satisdationem.

XII. *De eo quod præfectus territorii, seu toparcha suos subtrahere judicio possit.*

Quod si homines censuales alieno Domino obnoxii, à me aut Prætore meo vocati in jus fuerint, Domino seu Toparchæ licebit eos judicio subtrahere, interposita fide, se intra XIV. noctes, jus se dicturum in eum, quem judicio subtraxerit; id si non fecerit, illi in posterũ reum judicio subtrahendi potestas nulla erit.

XIII. *De eo quod civis aut municeps purgare se possit in renummaria.*

Quod si civis aliquis aut municeps, vocatus in judicium (quicunque is fuerit) in re pecuniaria, & data ad fidem dextera promissa pecunia, & eo nomine civem accusabit, in potestate partis adversæ erit, manu una sese excusare, nisi eum Scabinorũ judicio cõvincere possit.

XIV. *De eo, quando de herciscunda hæreditate controversia erit.*

Quando quis aliquem in jus vocabit, in materia hæreditaria, nisi primo die se sistat in judicio, secunda citatione citabitur, & si ne altero quidẽ die in judicium veniat, tertia vice citabitur, si ne tertio quidem die, Prætori

pendet singulis vicibus duos solidos. Et si ne quarta quidem vice veniat in judicium, causa cadet, & hæreditate privabitur. Quod si itidem accusator trium dierum istorum aliquo non compareat in judicio, querela injusta censebitur.

XV. *De eo, quod causa cadere quis potest, qui juramentum totidem conceptis verbis non faciet.*

Quando jurabit aliquis in re pecuniaria, causa potest cadere, & frustrari hæreditate, si verbo tenus male juraverit: aut si contra usitatam jurandi formulam primo juramento peccaverit, ad alterum juramentum non admittendus. Verum si tertio juramento delirabit, impingendo injurisjurandi formulam, causa excidet, & hæreditate sua destituetur, ob quam in judicium vocatus erat, & accusatori adjudicabitur. Et quoties male aut subdole deprehensus jurare, toties Iudici duos solidos Hollandicos pendet.

XVI. *De tribus statis diebus annuis in templo Bavonis proclamãdis.*

Porro intra urbis mœnia instituta tria atque annua judicia: quorum primum à XIII. Ian. feria proxima post Epiphaniam: alterum post festum Paschatis octavo die qui est lunæ: tertium feria secunda post D. Iohannis Baptistæ festum, die lunæ proximo: qui Iudiciorum stati dies in eum finem instituti sunt, ut oppidanus quilibet adscriptus in numerum civium, qui in hæreditariam possessionem venisset, stato judiciorum die prodeat in judicium, hæreditatis propalandæ causa. Quod si nemo interpellabit in posterum quieta possessione, hæreditariam portionem occupabit, etiam Scabinorum judicio. Adhæc tres isti judiciorum dies, & dicta judicia, observabuntur etiã Ecclesiæ indicenda, quæ fide non alia firmari aut ratificari possunt, quam ab ipsis Scabinis, aut juratis.

XVII. *De eo qui pacem violat, & mulcta eorum qui detrectabunt pacem.*

Suborta lite in civitate, si Prætor urbis superveniat, jubeatque Comitis nomine, ab utraque parte servare pacem quatuordecim atque iterum XIV. noctes, & tertia vice noctes totidem, & quarta vice in annum & diem unum, & quinta & sexta vice in annum & diem unum; & Iudex Comitis nomine, & ratione officii sui pacem altercãtibus commendaret, & servare etiam juberet, & recusante id facere alterutro, aut utroq;, Comiti x. libras pẽdent.

XVIII. *De Pacis violatione & mulcta solita.*

Unus-

Unusquisque qui pacis initæ fœdera violabit, Comiti pendet libras x: vulnerato libras totidē, aut manu truncabitur, si duorum aut plurium sententia convincatur, & condemnetur.

XIX. *De mulcta si quis alium acuto telo vulneraverit.*

Si quis oppidanum aut municipem suum vulneraverit, etsi in eo crimine convictus fuerit duorum aut plurium Scabinorum judicio, Comiti x libras pēdet, & totidem saucio, aut manu truncabitur.

XX. *De eo si quis quærat aliquem in sua ipsius domo, eumque occideret, aut vulnerareta, aut si peregrinum in ædibus occidendi causa quæreret.*

Porro si quis alium in sua ipsius domo aut mansione, aut solus, aut cum aliis quæreret, occideretve, sicarius ille cum factionis illius sociis (si in judicio Scabinorum convinci possunt) venient in meam aut hæredum meorum potestatem, qui imperium meæ jurisdictionis obtinebunt: quod si sicarius aut grassator ille violētus quempiam vulneraret, in ipsius domo, aut solus aut cum aliis, non lethaliter, & eo nomine convictus fuerit à Scabinis, pēdet libras x. & quotquot cum eo socii, pendent singuli XLV. solidos Hollandicos, mihi, aut posteris hæredibus, vulnerati damnum reparabit ex judicio Scabinorum. Si quis in aliqua domo patrē familias quæret, corrigetur x. libris, & totidem pendet mihi. Si porro quis quærat aliquem armata manu domi alienæ, ille ædium investigator, vim reparabit domus domino x. libris, & adversario quem quærebat, etiam libris x. & totidem Comiti, si in Scabinorum judicio convincatur.

XXI. *De hospite aliquo qui debiti fidem interponet.*

Quicunq; hospes coram Scabinis debiti fidem fecerit, & admonitus æris alieni solvere recusabit, vocandus in judicium quod est Harlemi à XIV. diebus, & ad dies totidem XIV. alios atque alios: etsi se judicio non sistat, mittendus in exilium, nec ab exilio remittendus, usq; dum mihi pendat III libras, & creditori suo pecunias debitas solvat cum fænore ex sententia Iudicis. Et, si relegatus ille intra portarum mænia redeat, judex cum Scabinis, cæterisque urbis incolis, relegato manus injicient, debiti & damni causa ex ista relegatione, & in vincula eum conjicient arctiora, usque in eum diem, dum & debitum & damnum, & jus exilii reparabit in totum.

XXII. *De eo qui propter æs alienum urbe exire jussus, non obstante eo in urbem redeat.*

Porro si relegatus spreto interdicto, intra portas veniat urbem ingressus, & solvendo sit, Iudici & civibus ex bonis relegati persolvetur debitũ damnũ, exilium. Sin vero solvendo non fuerit, aut media defuerint, proximo meo in urbẽ adventu constringã eum ad reparandũ debitum damnum & meliorationem.

XXIII. *De civibus convocandis ad signum campanæ.*

Si quis non venerit dato campanæ signo, pendet mihi xx. solidos.

XXIV. *De eo si quis dato campanæ signo vulnerabit aliquem.*

Si quis intra territorium Harlemæum vulneret aliquem, Cãpanæ signo dato, ad commune civium commodum, aut triduo etiam post sonum campanæ pendet fisco x. libras, totidem saucio, si convictus à duobus Scabinis fuerit.

XXV. *De eo si quis municipem aut Scabinum aut intra parietes domesticos, aut extra occidat.*

Civis si occisus fuerit, homicidæ propinqui & consanguinei pendent xxxij libras, ad hæc omnia homicidæ bona mea erunt, & in potestatem meam ventura. Quod si in propriis ædibus quæsitus & interfectus aliquis fuerit, pendent lxiiij. Scabino autem interfecto xlij. Si v. in propriis ædibus quæsitus & occisus fuerit, pendent libras lxxxiiij.

XXVI. *De eo qui intra urbis Harlemi mænia provocabit ad pugnam, aut pugnabit.*

Si quis intra Harlemianæ urbis mænia pugnabit, cogetur ibidem loci, damnum reparare, aut urbe excedere.

XXVII. *De eo qui domi suæ quæsitus & fortiter se defendendo homicidium committat.*

Si quis etiam domi suæ & in ædibus propriis impetitus viriliter se defenderet & insidiatorem illum aut socios assEclas interficeret, pro singulis cadaveribus pendet mihi & posteris hæredibus obolos iv. Atque ego aut posthæredes mei tenebimur eum adversus omnem vim defendere, & conciliare firmam pacem adversus defunctorum consanguineos & affines.

XXVIII. *De quovis violento malefico valebit jus talionis.*

Unusquisque maleficus violentus, maleficii convictus, Scabinorum judicio, caput pro capite, oculum pro oculo, & mẽbrum pro simili membro, sui corporis obnoxium reddet.

XXIX. *De eo qui pugionem aut sicam, cumque serio animo evaginabit,*

ginabit, aut si eo quempiam læserit aut occiderit.

Qui sicam aut pugionem geret, pendet libras x. qui animo exacerbato stringet, pendet xv libras, Quod si quis ea sica læserit aliquem, amittet manum. Si quis occidat aliquem, si captus fuerit, mortis supplicio afficietur.

XXX. *De furto, de incendio, de rapina, veneno porrigendo, aut lethali aliquo poculo.*

Porro si quis grave & magnum maleficium committeret, sive in furto, aut incendio clandestino, aut in raptu, aut veneno propinando, aut in aliqua qualicunque lethali re, & si in eo deprehensus fuerit, & Scabinorum judicio convictus, judicio mortis obnoxius erit. Si quis etiam ejusmodi sceleris conscius, aut suspectus, & non convictus in judicio, excusare se poterit, & purgare, sublata ad juramentum manu altera.

XXXI. *De fure deprehenso à quoquam in suis ædibus.*

Si quis furem deprehensum in suis ædibus inveniet, injiciet ei manum, & detinebit eum si poterit: ille septem vicinos vocabit in auxilium, & furem vinctum & colligatum habebit cum suis vicinis, usque dum claro die Iudici tradat, suspensis post tergũ iis rebus, quas furto abstulit, ibique judex compellabit, & aget cum eo ex judicio Scabinorum.

XXXII. *De eo qui convictus in judicio propter debitum, & solvendo non sit, quomodo tractandus.*

Si quis alteri obæratus solvendo non sit, etsi ex debito convictus, Iudex viatori mandabit, ut duabus septimanis detineatur apud eum in convictu, dato toto eo tempore alimento. Et post duas septimanas Iudex debitorem tradet in potestatem creditoris, ita ut debitorem alat, intacto corpore, & eo usque detinebit dum conveniat inter eos, aut solvat debitum, aut remittatur, si supplicem sese abjiciat.

XXXIII. *De iis in quos Iudex actionẽ habet mulctæ pecuniariæ, & si mulcta illa liberare se non possit, non solvendo.*

Si quis in judicium veniat, & Iudici actio cõpetat mulctæ pecuniariæ, Iudex ille quisquis fuerit, postulabit fidejussorem prima & altera vice, tertiaque, atque is dicat fidejussorem constituere se non posse, hic Iudici non tenetur quicquam pẽdere pro relegatione: verum si ad postulata Iudicis obmutescat, nec fidejussorem offerat, eum judex cum Scabinis detinebit captivum, & viatori mandabit ut eum in certo loco detineat, & de eo Iudici respondeat.

xxxiv. De cive aliquo ad vadimonium substituendo mulctæ pecuniariæ.

Quod si civis aliquis aut municeps in judicium vocetur, & actionem haberet judex, aut jus prætenderet mulctæ pecuniariæ, & civis ille tantum in bonis haberet jure muuicipali, quantum valeret Iudicis prætensio mulctæ pecuniariæ: civis ille absque vadimonio & sine fidejussoribus à Iudice recedere potest. Verum si civis ille aut municeps, tantum in bonis non haberet, eo modo quo jam dictum, sponsorem constituere tenebitur.

xxxv. De eo qui in judicio Scabinis contradicit, & judicio eorum reclamitat.

Si quis in judicio Scabinis contradicit, aut judicium communi omnium suffragio pronunciatum ex jure civium repudiat, mihi aut posteris hæredibus pendet libras x. Hollandicas, & singulis Scabinis libram unam.

xxxvj. De eo qui alapam alteri impegerit.

Quod si quis alicui colaphum impegerit, si convincatur duorum Scabinorum judicio, Iudici pendet libram unam, nisi collegio Scabinorum videatur majori eum mulcta mulctandum.

xxxvij. De eo qui tabernam vinariam ingressus ad symposium, symbolam persolvere detrectaret.

Si quis in tabernam veniret ad symposia, & œnopola vini amphoram porrigat justa mensura, & ubi civis ille aut municeps, hauserit vini quantum satis, & subducta fuerit ratio: quod si in promptu tantũ pecuniæ non habeat, abeat in crastinum, ita ut & oinopolæ vinũ persolvat ante meridiem, etsi ante dictum tempus promo condo vinum non persolvat, & ad judicem querela deferatur non solutæ pecunię, debitor ille œnopolæ vinum persolveret, & iudici solidos tres, œnopolæ præterea solidos duos ad satisfaciendum ei.

xxxviij. De eo qui suspectus inæqualis mensuræ.

Si quis inæqualis mensuræ suspectus, & duorum Scabinorum calculo convictus fuerit, pendet Iudici libras tres.

xxxix. De hæreditatis jure, quæ est Harlemi.

De hæreditate quæ est Harlemi inter cives consuetudo usitata servabitur, hoc superaddito, si hæreditas, sive extra, sive intra territorium ea fuerit, in proximum cognationis hæredẽ devolvetur, sive filius, sive filia ea fuerit.

xl. De iis qui intra territorium Harlemianæ urbis agros conductitios habet.

Si

Si quis intra territorium Harlemi agros habet conductitios, & in singulos annos pecunias pẽdat, servabit ad vitam conductor. Et venundare etiam licebit ei, si possessori agrorum, conductionis pretium conduplicet. Quod si etiam vir aut fæmina agrum cõductitium possideret, & fato functi moriantur, hæredes proximi in perpetuum servabũt, si modo agrorum Domino conductionis pretium conduplicet, durante jure proprietatis à sæculo in sæculum.

XLI. De eo qui Iuris aliquid judici debitum violenter adimat.

Quicunque juris aliquid judici debitum per vim adimit, si convictus fuerit duorum Scabinorum judicio, ad satisfaciendum judici pendet mihi libras XV, aut posteris hæredibus.

XLII. De eo quod mulier, quæ panem pinsere aut cerevisiam coquere solita, marito non jubente, non ultra credere, aut jacturam facere poterit creditor, quam unam panis aut cerevisiæ cocturam.

Si quis civis uxorem habebit, quæ panem pinsere aut coquere cerevisiam consuevit, ea jacturam facere poterit duntaxat cocturę panis aut cerevisię unius, quoniam maritus prohibere non potuit. Ita ad eundem modum mulier, quæ lanificio, aut telis lineis negotiatur, unum duntaxat fasciculum X aut XII librarum amittere poterit. Quod si etiam alicujus mariti uxor non assueta palam negotiari, aut commercia exercere publice, maritus ejus non majorẽ ex cõmercio, quam IV. obolorum jacturam fecerit.

XLIII. De re quam furto ablatam præsumi possit.

Quod si res aliqua quæ furto ablata præsumeretur, & possessor esset: Ea res apud quem inventa, testimonii dictione purgare ibi se poterit cum altero tertioque; ita tamen, ut civis ille in posterum non daturus sit testimonii dictionem, aut jusjurandum ulla in re. Et qui rem amissam invenerit, latori dabit duos solidos, & obolos IV.

XLIV. De eo, quod nullus civem aliquem Harlemi natum, provocare ad monomachiã aut cõpellare poterit.

Præterea prædictis civibus eam prærogativam donavimus, quod nullus hospes aut advena, aut vicinus equestris ordinis vir, aut alius quispiam cujuscunque conditionis fuerit, civem ullũ Harlemi natum, nulla ratione quocunque prætextu ad monomachiam provocare aut compellare præsumet intra urbis mœnia: nec laturos, qui aut nos antecessere, aut qui sequentur: Nec civis civem.

XLV. *De eo quod si quis telo acuto interfecerit aliquē, idque abjecerit.*

Quod si quis aliquem intra territorium prædicti civis, acuto ferro, aut alio quovis telo percutiat, aut mox abjiciat ferrum, aut telum, potest se purgare, nisi convincatur duorum Scabinorum judicio, aut si querela etiam deferatur, ter XIV dies & triduum ante petitionem in judicio dabitur: & si ne in hunc quidem diem determinatum prodibit, condemnabitur & relegabitur. Verum si citatus ille intra determinatum tempus, salvum conductum peteret à Iudice, & non daretur salvus conductus, condemnari non poterit.

XLVI. *De eo quod peregrinus testimonium perhibere non poterit adversus civem vel oppidanum.*

Hospes aut peregrinus testimonium perhibere non potest adversus civem.

XLVII. *Quod si virgo vim passa querula fuerit.*

Si virgo stuprum passa, & de eo queratur, non admittenda, nisi ad querelā habeat VII. testes, aut viros, aut fæminas, bonæ fidei homines, & veraces.

XLVIII. *De eo quod si quis bona possideret tanquam pignus, & non repetatur toto anno.*

Quod si quis bona possederit tanquam pignus, nec repetita ea fuerint toto anno aut quod excedit, & si quis ex eo injuriam ei facere contendat, purgare se poterit sacramento manu altera, si quid in ea re juris habeat.

XLIX. *De duobus qui coram judice vocati, unam eandemque causam defenderent.*

Quod si duæ personæ à judice citati unam eandemque caussam sustinerent, ille qui caussa caderet victus in judicio, victori sumptus pendet, ita tamen ut qui in caussa triumpharet, interposito juramento, assentientibus Scabinis, sumptus ponat.

L. *De eo quod viator nullum civem citabit, nisi domi suæ.*

Viator nullum civem citabit ad judicium, quam domi suæ, duobus aut pluribus præsentibus.

LI. De *eo, quod nemini fas erit, in Senatum Scabinorum venire.*

Nemo in Senatum Scabinorum veniat, nisi vocatus.

LII. De *eo, quod nemo Scabinorum judicium abolere poterit.*

Nemo judicium Scabinorum communibus aliorum suffragiis pronuntiatum, poterit abolere.

LIII. De *eo quod monachorum filii aut sacerdotum illegitimi, testimonium perhibere non possint.*

Porro scire interest, quod Sacerdotum filii, aliorum etiam qui illegitimi sunt, non tenentur nec possunt testimonium perhibere,

bere, de bonis, aut de vita cujusquam civis.

LIV. *De eo quod virgo convincat virum aliquẽ de stupro vij. testibus.*

Quod si virgo aliqua de vi conquesta convincat virum aliquem septem testibus, seu viris seu fæminis probatæ virtutis hominibus & veracibus, ille qui vim fecit, capitis supplicio afficiatur.

LV. *De eo qui agrum aut fundum emerit, eumque possederit sine ullo murmure aut contradictione.*

Si quis paternos agros aut fundum emisset & possederit in annum aut amplius, sine querela aut contradictione, possessor ille fundi paterni aut agrorum post exactum illum terminum, de eo non respondebit, etsi compelletur.

LVI. *De eo qui detentus absque venia, ex detentione se subduceret.*

Si quis detentus à Prætore, aut à satellite in porta à duobus civibus, & absque venia Iudicis porta exiret, de eo convictus fuerit Scabinorum judicio, pendet Iudici ad correctionem xlv. solidos.

LVII. *De eo qui alium monebit æris alieni, & testes habeat.*

Si quis æris alieni alium in judicio commonefecerit, adhibitis testibus, testes illi tenentur jurejurando testimonium perhibere, verum accusator, non tenebitur præstare juramentum.

LVIII. *De eo qui in numerum civium receptus, servitio cujusquam non tenetur.*

Postquam aliquis in numerũ civium receptus, non tenetur alicui se mancipare alieno servitio, sed libertate fruetur, quæ civibus jure civili concessa.

LIX. *De eo quod unusquisque civis, alterius jus & prærogativam tuebitur.*

Donavimus & mandavimus prædictis oppidanis, ut dato juramento promittant spondeantque, ut unusquisque alterius jus municipale pro viribus tueatur.

LX. *De cive, qui in hospitium suum exceperit, qui civi alicui pecuniam debet.*

Si quis civis, virum aliquem hospitio exceperit, qui concivi suo pecunias deberet, sub debiti nomine contra concivis sui voluntatem aut contradictionem, caupo ille, qui virum istum exceperat, tenebitur rationem dare ejus debiti, quod hospes ille debebat.

LXI. *De omnibus bonis quæ oppignorata, quomodo ea servanda.*

Omnia pignora & pignori exposita, sive in sicco, sive in madido, sive in decimis, sive in aliis bonis, omni fidelitate tuebitur jus civium secundum consuetudinem Harlemiorum: & unusquisque concivem suum fideliter

juvabit in asservandis bonis pignori expositis, quæ possidet, in id tempus quo liberata fuerint ad nutum ejus &arbitrium, cui credita sunt & pignori exposita, idque jam dicti cives jurejurando confirmabunt.

LXII. *De eo qui debitum solvere nollet, legitime monitus.*

Porro si quis de conductione domus, qui Harlemi civis, debitum solvere nollet, Prætor cum civibus, tantum de bonis eius sumet, ut creditori, quantum ratio permittat, fiat satis.

lxiij. De cive aliquo aut municipe, cuius bona occupata à nobili aliquo.

Quod si civis aliquis Harlemi natus, relegatus, aut bona ejus occupata à nobili aliquo aut officiali; eo loco eum habiturus, ut civem & bona ejus remittat, aut tantum de ipsius bonis sumpturus, ut civi meo facere possit satis.

lxiv. De cive aliquo qui plebem non juvaret adversus aliquẽ extraneũ.

Si quicunque civis ille plebem non iuvaret contra extraneum, si non prohiberet eum aliquid cõtra jus civitatis committere, pendet mihi libram unam, relegabitur, & porta civitatis excludetur in annum unum.

lxv. De eo, qui Harlemi civis esset, in singulos annos pendet libras xx.

Cives Harlemii, mihi aut hæredi Hollandiæ legitimo pendẽt in perpetuum libras decem, pridie natalem Domini, & libras totidem ipso D. Ioh. Baptistæ annuas.

lxvj. Quod si forte acciderit ut Comitatus Hollandiæ ad aulam Cæsaris proficiscatur, aut uxorem ducat, cives pendent xx. libras.

Porro insuper si mihi aut legittimo Hollandiæ Dom. in animo esset aut propositum proficisci ad aulam Cæsaris, aut uxorem ducere, aut in ordinem equestrem inseri vellet, ad singula horum cives Harlemei pendent xx. libras. Aut si sororum mearum aliqua, aut legittimus Hollandiæ Dom. matrimonium contraherent, prædicti cives Harlemei pendent libras xv. Præterea, si forte frater meus, aut legittimi Hollandiæ Domini frater, eques crearetur, & in ordinem equestrem admitteretur, aut uxorem ducat, cives Harlemei, pendent ad singula horum libras *xv.*

lxvij. De eo quod cives Harlemiani, in exercitu stipendia merebunt cum lxiv. viris.

Cives Harlemiani mihi, aut legittimo Hollandiæ Domino in exercitu stipendia merebunt cum lxiv. viris.

lxviij. De eo quod Scabinis jus erit, leges novas & statuta condendi, consulto prius Prætore.

Præte-

Præterea veniam indulſimus Scabinis Harlemeis novas leges & ſtatuta condendi, idque conſilio Prætoris mei in ſemiannum aut etiam integrum, dato juramento id populo aut pleriſque civibus utile eſſe atque expedire, ſalvo dũtaxat in ea re iure noſtro.

Atque ut immunitas iſta quæ his litteris comprehenſa à me Gulielmo Hollãdiæ Comite voluntarie, & nobilium meorum conſilio, & amicorum fidelium, civibus Harlemeis, data in perpetuum & nulli revocabilis: Ita præſentes haſce litteras prædictis civibus dono dedimus, præſidio ſigilli mei conſignatas, quas nec teſtimonio ad fidẽ deſtitutas volui. Teſtes fuere D. Lubbertus Abbas Egmondanus, Nic. Perſiin, Didericus Burchgravius, Magiſter Daniel. D. Didericus Teilingius, Symon Harlemæus, *Anno* M. CC. XLV. *D. Clementis feſto.*

DE CHOMARCHIS

Sive aggerum præfectis, qui vernacula lingua HEIMRADEN dicuntur.

I. QUoniam regio hæc noſtra, quæ natura paluſtris, & eluvionibus obnoxia, uti cogitur aggerũ obicibus, idcirco ab aliquot retro ſæculis Chomarchi inſtituti, ſive aggerum præfecti. *H*orum præſes Dijckgravius Aggerum Comes dicitur, quibus cura incumbit reficiendorum aggerum, qui Caninefates interſecant Amſtelodamo Velſenum uſque pagum. Qui ad hoc munus creati ſunt, præcipue ex omnibus dignitatis, ſpendidiſque orti natalibus viri, qui Gul. Romanorum regis, aliorumq; Hollandiæ principum privilegiis donati, & aucti fuere. Horum immutabile arbitrium, ſancta authoritas, regio diplomate non uno communita; quo inſuper ſibi ipſi & poſteris, revocandæ aut retractandæ voluntatis aut ſententiæ arbitrium adimit. Illi numero primum ſeptenario inſtituti. Hujus collegii præſes Dijckgravius, reliqui aſſeſſores *H*eimradii dicuntur pari poteſtate; huic rei ut fidem faciam, ſubjiciam diploma regium.

Gulielmus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus, omnibus qui has litteras inſpecturi & lecturi, S. dicit & gratiam offert.

Nos quibus ea ſemper cura

fuit, ut subditorum nostrorum utilitatem & commoditatem publicam, quantum in nobis, procuremus, promoveamus & conservemus, secundum dignationem nostram statuimus & decrevimus, secundum tenorem præsentium litterarum, contestantes & promittentes nos non permissuros ullum emissariũ aut aquarũ obicem, præter eum qui Sparendami est, aut fundari aut trãsferri, inconsultis Heimradiis cõmunibus terræ consiliariis, tam præsentibus quam futuris. Ad faciendam fidem, & perpetuam rei memoriam, ut rata ea sint & habeantur in posterum, præsentes hasce litteras exarandas mandavimus, & appenso sigillo cõfirmandas; datas Leidæ v. Idus Octob. indictione XIV. An. 1255. Eadem potestas data & concessa authoritas Heimradiis, hoc est, domesticis consultoribus, à Florentio Holland. Comite Anno 1282. Hag. Maji 16. Rursum An. 1407. à Gulielmo Dei gratia Comite Palatino ad Rhenũ, Bavariæ duce, Comite etiã Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ & Frisiæ Domino; à Carolo Duce Burgundiæ ejus Ordinis confirmata; Anno 1462.

II. *De eo quod dissensionis componendæ jus datum de plebe civibus, sed honestis & bene natis.*

Florentius Hollandiæ Comes, &c. notificamus universis & singulis, qui has litteras visuri aut lecturi, (salutem dicimus,) veritatis testandæ causa paratos nos esse, ad præstanda officia quæ amicę civitatis Harlemianæ cives præstitere, & præstare adhuc hodie, enixam eos operam dare certo scimus. Ita promittimus, nos servaturos, & servandas mandabimus litteras & chirographa legittimæ immunitatis Harlemeæ civitati concessæ à patre nostro reverendo D. Gulielmo Romanor. rege, & volumus præter plenariam & ordinariam gratiam conferre in hunc modum. Si forte lis aliqua aut dissensio suborta sit inter oppidanos sive intra portas, sive extra urbis mœnia; eo casu duo aut plures oppidani, quorum fides integra, & legittime nati, quamvis Scabini non sint, jus habebunt altercantes & dissidẽtes convincendi, dato juramento, & testimonio perhibendo in simili casu. Qui autem testimonium perhibebunt, ad minimum in ære habebũt decem libras Hollãdicas, jure proprio. Cæterum qui testimonium perhibebunt de pugna & manu conserta, aut de levi vulneris inflictione, in ære habebũt aut in bonis ad minimum XL. libras Hollandicas. Ad fidẽ faciendam, & ad

& ad rei evidentiam:, sigillo nostro hasce litteras consignandas mandavimus, datas Alberti-collis postridie festum Dionysii, Anno Dom. 1273.

III. *De eo quod tenuioris fortunæ homines cives jus Civitatis obtinebũt, extra urbis mœnia habitantes.*

Iohannes Comes Hollandiæ, Zeelandiæ, & Dom. Frisiæ, universis & singulis, qui has litteras visuri aut lecturi, salutem dicimus, & manifestum facimus, quod civibus nostris & oppidanis Harlemeæ civitatis fidis atq; amicis, propter complura merita, quæ majoribus nostris præstitere, & etiamnum præstituros confidimus, donamus, & potestatem facimus, ut ex infima plebe homines, qui extra urbis Harlemæ mœnia habitant in Rijtzebort ponte discreti, Scotam versus ad Septentrionem, & ab altera parte versus meridiẽ in nemore, qui habitant extra murorũ ambitum, jus civitatis obtineant, quos in numerum civium recenseri & manere volumus, usque ad edictum contrarium. Ad fidem faciendam litteras hasce sigillo nostro obsignavimus. Datum Xiericzæ An. 1296. ipso D. Valencini festo, cera viridi.

IV. *De Præfectis Silvarum.*

De Chomarchis sive aggerum præfectis supra jam diximus. De præfectis silvarũ dicũ hoc obiter quod ex archivis Comitatus Zelandię observavit D. Boxhornius; adsitam Harlemo sylvam, ejus fuisse dignationis, ut peculiares ejus custodes & saltuarii fuerint ex præcipua nobilitate viri delecti, *Houtvesters* vernacule dicti: Teilingios fere eo munere ornatos fuisse, ex vetustissimis Comitum litteris, quæ in Zelandia adhuc observantur, idem colligit. Saltuariis limitata semper jurisdictio, nec civium quemquã judices saltuarii citare potuerunt, petente etiam D. de lata virga Brederodio, & frustra obnitente Adriano de Treslong, An. 1556. Ita interdicto prohibitum Keinheimeriæ Nomarchis (Balivos vocant) cives pro tribunali vocatos sistere Anno, 1557. Mart. 8.

Diversorum Hollandiæ Comitum, ac primum Florentii, Chirographa, Privilegia, Donationes.

I. *De eo quod omnes cives Harlemei immunes à portorio erunt in quovis Holland. tractu.*

FLorentius Hollãdiæ Comes, omnibus suæ ditionis telonis, salutem dicit. Certiores vos faci-

facimus, & jubemus, ut amicis nostris civibus Harlemæis promiscue patiamini sub nostro telonio eodem jure navigare, quo navigare soliti patrum nostrorum memoria, & majorum temporibus: atque ad id ratificandum, litteras nostras sigillo obsignatas damus, datas An. Dom. MCC.XC. die Sabbathi, octiduo post festum Paschatis, Dordraci.

II. *A Comite Gulielmo privilegium datum concessumque, ut Scabini Harlemii una cum Prætore, statuta & leges condere possint in cives.*

Nos Gulielmus Comes Hannoviæ, Hollandiæ, & Zeelandiæ; D. & toparcha Frisiæ, sic Albertus Comitis filius in ordine Comitum XXIII; notificamus universis & singulis, nos propter amicas petitiones civium nostrorum Harlemensium cŏcedere & velle quæcunque statuta aut decreta condiderint, sanxerint aut decreverint Scabini & Senatores urbis Harlemianæ una cum Prætore nostro, in cives utriusque sexus, tam mares quam fæminas, aut civium filios, qui Harlemi jam cives sunt, aut postmodum futuri, atque adeo in omnia ipsorum bona, quæ rata esse volumus & servari etiam à posteris, perinde ac si ea instituta & condita à nobis essent, salvo tamen nostro dominio. Ad testimonium perhibendum litteras præsentes sigillo nostro obsignavimus, datas Hagæ-Comitis die Sabbathi postridie festum Pontiani An. Dom. MCCC. & LV.

III. *De foro nundinario instituto pridie festum D. Lucæ, quod Comitatus Hollandiæ in civitatem Harlemæam contulit.*

Gulielmus dux Bavariæ, Comes Hollandiæ & Zeelandiæ, D. & toparcha Frisiæ, & expectans Comitatus Hannovię, Notū facimus universis & singulis, quod donavimus & donamus in perpetuum amicæ nostræ civitati, propter præclara in nos merita, & fidem in multis spectatam; quam etiam in posteris non defuturam confidimus; forum nundinarium intra urbis Harlemianæ nostræ pomeria: ubi Crucis signum erigendum, singulis annis pridie D. Lucę festum, cum omni apparatu, qualis fere in omnibus nostræ ditionis civitatibus & pagis, salvo jure nostro in exigendis tributis, aliisque emolumentis, qualia in aliis civitatibus & pagis habemus, in quibus fora nundinaria observari solent. Ad id ratificandum, litteras sigillo nostro obsignatas damus, datas Hagæ-Comitis ipsis Kalendis Septemb. An. D. MCCCLV.

IV. *De cive aut municipe Harlemensi, qui mortis reus mulctari gravius*

nius non potest, quam dimidia parte bonorum suorum. Item si Harlemiana civitas privilegia casu aliqua mitteret aut inveterascerent, spondemus & promittimus, ea nos renovaturos sine sumptibus civitatis.

Dux Bavariæ Gulielmus, Comes *H*ollandiæ & Zeelandiæ, D. & Toparcha Frisiæ, exspectans Comitatus *H*annoviæ, Notum facimus universis & singulis pro nobis & posteris etiã, quod amicis nostris & fidelibus *H*arlemianæ civitatis civibus plerisq; eam gratiam fecimus, qualis his litteris continetur: Ac primo quidẽ donavimus nostris bonis civibus prædictis, ut quicunque civis hujus urbis, secundum jus, reus mortis esset, non incurrere majorem mulctã possit adversus me, quam ad dimidiam bonorũ suorum partem, & pars altera uxori cedet, aut liberis legittimis, aut hæredibus ejus proximis. Porro si contingat amicam nostram civitatem jam dictam orbatã suis privilegiis, quæ vetustate consumpta, aut submersa aut casu aliquo amissa, cujus apographo dato fidem facere possint, sigillo addito homlnum, qui fidem merentur, illi ipsi defectum supplebunt appresso sigillo, absque eorum sumptu. Porro donavimus & præsentibus hisce donamus, amicis civibus prædictis, ejusmodi jus libertatis, quale hoc tempore mœnibus & portis sumpserunt, reservato eo, ut unicuique fiat satis, qui aut bona habeant, aut juris aliquid prætendant, & assensum eorum obtineant, & nullum libertatis jus habebunt extra pomæria, aut aquæ ductus. Porro in nos recipimus omnem relevationem, & relevamus bonos cives *H*arlemenses in commune, & remittimus omnia homicidia, latrocinia, incendia, vectigalia, judicia capitalia, incarcerationes, dejectiones ædium aut murorum, quæ hoc bello & hujus belli causa acciderunt; & quæ fuere inter uxorem unice dilectam & matrem, & adjutores earum, & nostros etiam, absque ulla reparatione præstanda. Donavimus insuper & juravimus amicis & fidelibus civibus nostris *H*arlemensibus in commune nos servaturos jus omne, quod per gratiam Comitis Gulielmi obtinuerunt avunculi nostri multum delecti, (qui apud Frisones in acie cecidit, cujus animam & majorum Comitum etiam animas, divinæ tutelæ commendo;) privilegia & donativa & immunitates, quatenus probari ea possunt, ea intemerata servaturos pro nobis & posteris. Et quia volumus prædicti articuli & capita, prędictis oppidanis in perpetuum obser-

observentur & rata sint extra omnem dubitationis aleam pro nobis & posteris; hasce litteras & placita donativa appenso sigillo stabilivimus, datas Hagæ-Comitis XI die Maii: Anno D. MCCCLV.

Alberti Comitis privilegia complura.

V. *Promissa Albertus dux Bavariæ fecit civitatibus Hollandiæ, cum Satrapa Hollandiæ renuntiatus, & provinciæ gubernator declaratus.*

Dux Albertus, Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavarię, Notum facimus universis & singulis, ob causas evidentes & prægnantes, dilecti fratris Gulielmi Bavari Comitis Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ & D. toparchæ Frisiæ (quem divinæ tutelæ committo) ad cõmunem salutem & pacem publicam ac ditionis suæ & subditorum commodum, petente id à me atque exigente dilecto fratre, sororis meæ Machtildæ unice dilectæ Dominæ Lanchastriæ, comitissę earundem provinciarum, & qui à consiliis ipsi in Hollandiæ ditionem venerint, nos adsciverunt & quasi adoptarunt, & transtulerunt Hollandiæ Satrapiam, & protectorem me voluerunt omnium fraternorum bonorum, provinciarum, subditorum Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, & Frisiæ, iis conditionibus & stipulationibus, quæ infra scripto continentur.

Ac primo quidem, quod spopondimus & spondemus bona fide, dilecti fratris dominia & subditos ejus prædictos, regere, administrare, tueri unumquemque in suis civitatibus & territorio, & consiliariis eorum, quos ad id eligemus, approbante Magistratu, ad honorem ejus & ad publicam civitatum & provinciarum utilitatem & commodum, ut unicuique tam pauperi, quam diviti jus suum tribuatur æquis suffragiis, decernere & rationem dare, ad bonas & receptas consuetudines, & jura, qualia chari parẽtes nostri olim provincias regere & dirigere soliti, & justum & æquum judicamus ad felicem provinciarum statum, Ac proinde hoc animo propositum habemus, ita ut nulla vis unquam nos separabit, ab equitibus, ministris, civitatibus ditionibus prædictis. Quod pro virili nos servaturos, damus obsidem fidem.

Porro spondemus suffragante concilio sanctiore, & assentientibus amicis civitatibus jam dictis, debita fratris nostri dilecti, tam extra provinciam, quã intra, transferre & persolvere pro virili, ut mercatores suæ provinciæ, omni securitate absque omni periculo navigare & commeare possint.

Porro

Porro, de qualibet relitigiosa, de cõtroversiis cujuscemodi generis, quæ in provinciis fuerint inter toparchas & dominia & civitates, & bonæ fidei homines, de bonis aut possessionibus, promittimus spondemusque bona fide, assentiente senatorio ordine, & bonis civitatibus approbantibus, pro virili ad pacem reducturos & composituros absque partium studio, quod mediatorem & provinciarum Satrapã decet. Atque omnes illos articulos & stipulationes jã dictas, iustas ratasque facimus, Ducis Gulielmi fratris mei prædicti salvo dominiorum & emolumẽtorum jure, & heroinæ Machthildæ Dominæ in Lancastre, sororis meæ unice dilectæ, cum toto ejus comitatu, & equitibus jus dicentibus, ministris aulicis & civitatibus, relicto unicuique jure suo & prærogativa, quamdiu frater meus jam dictus in vitæ periculo æger decumbet. Atque hæc quidem acta intra pomæria urbis Harlemianæ, præsentibus cognatis nostris peramandis Engelberto Comite Marcionis, & Hendrico amico meo fideli Godefrido D. & Toparcha in Brunegen, Henrico Everardi Stoynfre, Hẽdrico ab Eenrepach, Hend. Conradi à Cracselaer & Vollesteyn. Ad fidẽ faciendam jussimus Ducem Albertum appendere sigillum nostrum, hisce præsentibus litteris, Martii nono die. An. D. M. CCC. LVII.

VI. *De eo quod nullus ludum tesserarium, aut alveum lusorium exercere, aut domi suæ habere possit, nec proxenetarum contubernia admittere.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Satrapa Hannoviæ, *H*ollandiæ, Zeelandiæ & Frisiæ, notum facimus universis & singulis civibus *H*arlemi incolis, propter multa & præclara merita, quæ majoribus nostris, & nobis etiam sæpenumero præstitere, & adhuc præstituros confidimus, eam gratiam iis factam, præsentibus hisce, nos posterosque nostros non admissuros, ut ludus aleatoribus, aut alveus lusorius, aut proxenetarum contubernia, nullo unquam tempore aut tolerentur, aut exerceantur intra pomæria civitatis nostræ, aut extra ad primum urbis lapidem. Ad hæc bonos cives *H*arlemeos, ludos aleatorum, aut alveos lusorios non admissuros, nec exerceri illos passuros. Quod si non facerent, in nostra potestate reservabimus, eos rursum tolerare, & licentiam novam dare alea ludendi. Verum connivere ad illa poterunt, si cives boni & in-

corruptæ vitę homines in diversoriis modeste aleam exerceant, aut quando civium sagittariis liberum est ad symposia venire, viris bonis & civibus aleam modeste tractare, ut ex consuetudine ab omni memoria obtinuit, pro ut Prætori & Senatui Harlemiano expedire videbitur. Porro remittimus & veniam damus omnibus iis, qui ibidem aderant & eo tempore Iohanni Bartholdi litteras nostras extorserāt, quibus nulla mulcta pecuniaria imposita est, & in urbe manserunt. Et cum eam gratiam amicę civitati nostræ libentes lubentesque fecerimus, propter merita eorum præclara, quæ agnoscimus memori animo, litteras hasce obsignavimus, posteris ad fidem, consueto sigillo, Hagæ-Comitis datas, die Iovis proximo à festo D. Martini in æstate Anno M. CCC. LXXIV.

VII. *De eo quod provinciarum ipse Dominus, Prætorem, Scabinos constituet, servata sibi ea potestate, ut intra anni spatium exauctorare & loco movere Scabinos possit, quotiescunque voluerit. Scabini autem in Scabinatu esse diutius non possunt, quam in unum annum.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, dux Bavariæ, Satrapa Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ & Frisiæ, Notum facimus universis & singulis, quod ob complura & fida merita, quæ amica & fida civitas & cives Harlemiani sæpenumero præstitere, & præstare adhuc in posterum paratos confido, donavimus ejusmodi articulos juris, quales infra scripti.

Ac primum, quod nulli potestatem hanc dabimus, nulli hanc curam cōmittemus creandi Harlemi Prætorem, aut Scabinos, verum eam potestatem penes nos reservabimus, & hęredes nostros.

Porro in nostra potestate erit Prætorem & Scabinos exauctorare & removere pro arbitrio nostro. Verum si quem Scabinum eligimus aut statuimus, non diutius in Scabinatu erit quam in unum annum continuum, servata tamen ea potestate, ut exauctorare eum quolibet tempore, anno nondum exacto, possimus.

Item quemcunque Scabinum creabimus, & is postea abdicetur, ut dictum supra, eum postea intra annum sequētem creare Scabinum non poterimus. Verum exacto eo anno, creare denuo Scabinum poterimus, quod arbitrii nostri erit: Et si forte cōmorari extra Hollandiæ ditionem nos contigerit; in nostra erit potestate Prætorem, Scabinos innovare, ut scriptum supra, & eorum nomina ad Prætorē trāsferenda

ferenda curabimus, ut intelligat qui ſint illi, qui electi Scabini à nobis; eoſque Prætor juramento obſtringet, & cum iis jus dicturus, perinde ac ſi à nobis juramento confirmati eſſent.

Porro remiſimus & miſſum fecimus omnibus Harlemianis, qui Civitatis ſigna non ſecuti, cum inceptum tumultuoſum erat ante ædes & fores Simonis à Saenden, eas mulctas, de quibus Civitas & qui in judicio erant, ſententiam tuliſſent, exceptis duntaxat iis, qui partes ſecuti ipſi Iudices fuiſſent, & de eo ſive ab una ſive ab altera parte, accuſati aut delati eſſent. Et quoniam volumus ut illud firmum ratumque ſit, & in perpetuum obſervetur à nobis, & poſteris noſtris, & à civitate noſtra, & urbis Harlemianæ civibus & poſteris eorum, litteras haſce apertas ſigillo noſtro conſignavimus, Datas Hagæ-Comitis proximo die Dominico à feſto S. Agathæ. An. Dom. M.CCC.LXXX.

VIII. *De eo quod nullus civis aut municeps qui agros habet in jurisdictione Sparendamenſi nihil pendant ad munitionem aggerum inter Pettemiam & Ogben.*

Albertus gratia Dei Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Satrapa Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Friſiæque, Notum facimus univerſis & ſingulis, quod policiti ſumus bona fide & pollicemur præſentibus hiſce, pro nobis & pro poſteris noſtris, civitati noſtræ Harlemianæ, omnes agros & latifundia ubicunque ſita ſint in Noortḣollandia, Schielandia, ſive in Delflandia, Rijnlandia, quæ ſubjecta luſtrationi Sparendamēſi, & ante hæc tempora, petitione noſtra & interceſſione objecto aggere circumvallata, & reducta ad cenſum jugerum Zijpenſium, quod civitas noſtra præſcripta, nec non eius poſteri, nunquam deinceps præſcriptos jam aggeres aut novos jacient aut collapſos reſtaurabunt, ſitos etiam inter Pettemiā & Ogham, & adhuc jaciendos inter Ogham & vicinum Schagæ aggerem. Et deinceps civitatem noſtram Harlemianam nec precabimur, nec obſtringemus ad aggerum ſtructuram, & immunes erunt ab omni opere quod aggeribus ſtruendis impenditur, idque in perpetuum. Et porro omnes cives noſtri agrorum ſuorum jacturam facient & fundo ſuo renuntiabunt, qui extra Sparendami obices ſiti ſunt, & intra Sparendamum aquas nō exonerant, verum in ſingula jugera florenos IX. pendent, quos accepimus parata pecunia. Ad ratificandum ea, has litteras conſigna-

ſignavimus ſigillo noſtro, datas Hagæ-Comitis die Iovis ab aſſumptione Mariæ. An. Dom. M.CCC. LXXXVIII. Aug. XV.

IX. *De Campo, qui extra portam nemoralem ſitus, Civitati Harlemianæ proprius donatus ſit ad exercitia & ludos. Et de eo quod Comitatus nullum Prætorem conſtituet Harlemi niſi qui rationem muneris ſui habebit, & ſemper uſque ad contradictionem.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, & Friſiæ Dominus; Notum facimus univerſis & ſingulis, conſideratis & expenſis compluribus & fidelibus meritis & officiis, quæ amica & fida civitas Harlemiana præſtiterunt, & præſtituros deinceps cõfidimus, quod amicæ Civitati eã munificentiam tribuimus in vicem gratiæ, ut donare ei viſum nobis fuerit Campum ſuburbanum extra portam nemoralem & nemori proximum, quod erit paſcuum publicum non ad alios uſus, quam ad luſus & exercitia deſtinatum, ſine ullo privati alicujus emolumento, idque in perpetuum, ea longitudine & latitudine, qua hoc tempore ſitus.

Porro civitati noſtræ præſcriptæ dedimus & conceſſimus, quod nullum Prætorem conſtituemus intra urbis noſtræ pomœria jam dictæ, alium quam qui ipſe ſua perſona prætura fungatur, & nullum mandatum ultra concedere, quã ad revocationẽ. Et quoniam volumus, ut articuli præſcripti obſerventur, in gratiam civitatis noſtræ Harlemianæ, à nobis, poſteriſque noſtris in perpetuum, obſignavimus has litteras ſigillo noſtro, datas Hagæ-Comitis, die XX. Februar. An.Dom. M.CCC.LXXXIX. ad modum aulæ noſtræ.

X. *De eo qui relegatur ex civitate Harlemiana, quod intra CCC. decempedas propius ad urbẽ non accedet: extra urbẽ nemo ædificabit propius quam ad* XL. *decempedas in terra firma, & decempedas* C. *in aqua. Item quod jus Scholæ adminiſtrandæ datum.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, & Friſiæ D. Univerſis & ſingulis notum facimus, quod conſideratis & expenſis compluribus & fidelibus meritis, quæ amica & fida civitas Harlemiana præſtitit, & adhuc præſtituros confidimus, ei ex ſincero & liberali affectu dedimus damuſq; præſentibus hiſce, ejuſmodi juris articulos, quales hoc ſcripto continentur.

Ac primum quidem, qui relegatus aut in exilium miſſus, ne propius

propius ad urbem prædictam accedat quam ad ccc. decempedas, ſub pœna capitis & confiſcatione bonorum.

Porro nemini permittimus, ut intra xl. decempedas terra, & intra decempedas centum aqua ſecundum juriſdictionem Harlemianam ad habitandum accedet; ita nemo etiam intra hos terminos domicilia ædificabit inhabitanda. Verum domicilia illa quæ hoc tempore in fundo Arnoldi Iohannis exſtructa, ea loco ſuo manebunt nemine prohibente, niſi forte civitas noſtra ſublata ea vellet, & eo caſu id pretii perſolveret, quod juſtum videretur concilii noſtri proceribus, quos ad id deputabimus, quorum arbitrio res decidetur.

Porro civitati noſtræ Harlemianæ Scholæ aperiendæ & inſtituendæ jus dedimus, ut civitas noſtra conferat Scholæ regimen in Clericum qui jam eſt aut poſtmodum venturus idoneus juventutis regendæ & formandæ magiſter: ille ipſe ſcholam moderabitur, nemo alius pro eo: vicarium non habebit, & ſemper ad ſemeſtre tempus poſt contradictionem, & non diutius: ſi forte minus idoneus erit ad operam ſcholaſticã, ut alius ſubſtituatur in locum ejus ex clero, qui idoneus ad munia ſcholaſtica obeunda. Atque hos omnes articulos præſcriptos promiſimus nos ſervaturos ſine ulla interruptione conſtanter pro noſtra parte, & poſteris ſervãdos dabimus & præſtandos civitati noſtræ Harlemianæ & poſteritati ejus, abſque dolo malo, bona fide. Ad illud ratificandum litteras haſce conſignavimus ſigillo noſtro, datas Hagæ-Comitis ipſo D. Nicolai feſto Anno Dom. 1389.

XI. *De vento molario civitatis Harlemianæ, qui oppidanis promiſcue competit ſine ulla contributione.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Friſiæ Dominus, Notum facimus univerſis & ſingulis, quod donavimus, donamuſque pro nobis & poſteris noſtris in perpetuum, civitati noſtræ Harlemianæ & promiſcue oppidanis ejuſdẽ civitatis, propter cõplura & fida merita, quæ nobis præſtiterunt, & adhuc præſtituros confidimus, ventum molarium à parte auſtrali civitatis noſtræ præſcriptæ, Heemſtadium verſus, inter Pacis-foſſam & Sparnã, abſq; ulla contributione, qualiſcunque illa fuerit. Ad illud ratificandũ litteras haſce conſignavimus ſigillo noſtro, datas Hagę-Comitis, die VI. Februarii An. Dom. M. CCC. XCIV.

XII. *De eo quod civis sive mas aut fœmina sit, pænam capitis incurrere potest bonorum non ultra* LX. *libras. Sed quicunque aut quæcunque civis, homicidium committeret, capitis pænam incurreret, non autem bonorum mulctam amplius quam* LXXX. *librarum. Item quicunque fuerit Prætor, Scabinus, & Senator, Harlemi domicilium habebit ad annos decē, & census erit C. librarum ad bonorum æstimationem, quæ in possessione ædium aut fundi habet; qui vero censum & vectigalia contribuerit, annos* XI. *Item omnes infractiones & commissa contra jus, fasque, decidentur intra anni spatium, aut prætentioni excident.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Frisiæ Dominus, universis & singulis notum facimus, quod fidelibus civibus nostris Harlemianæ civitatis nutritiis, propter complura & fida merita, quæ illi & majores ipsorum à multis retro annis, nobis majoribusque nostris prȩstiterūt, eosq; ipsos, & posteros eorū, nobis, posterisq; nostris juvāte Deo præstituros adhuc confidimus, quod iis donavimus, & donamus hisce litteris, pro nobis, & posteris nostris in perpetuum ejusmodi privilegia & immunitates, quales hoc scripto continentur, videlicet hoc primum, quod unusquisque aut unaquæque civis nostræ civitatis, capitis pœnam incurrere potest, & bonorū ultra lx. libras nullo modo. Verū quicunque aut quæcunque civis homicidium commiserit intra urbis pomeria, ille pœnam capitis subibit & bonorū jacturā non ultra LXXX. libras; atque ita redimet facultates reliquas, & proprietatem servabit quocunque se recipiet, si convincatur in judicio, ut justum & æquum; & tum civis ille aut illa, nunquam in nostram provinciam redibit, nec ad nostram civitatem præscriptam remeabit, nisi nostro consensu, & voluntate consanguineorum defuncti, reservato eo si civitas nostra secus iudicaret.

Porro civibus nostris præscriptis hic concessimus: Quicunque Prætor, Scabinus, aut Ordinis Senatorii in nostra civitate præscripta, ibi commorabitur x. annos continuos, & in ære habebit centum libras, sive reditus ex ædibus quas possidet aut latifundiis, priusquam ad Præturam, aut Scabinatum aut ordinē amplissimum aspirare potest, nec non census & tributa, exactiones persolverit annos xj. cum oppidanis, ut civis tenetur dare.

Porro civibus nostris eam gratiam fecimus, ut mulctæ omnes, quæ in civitate nostra inciderunt ante-

antehac, eas Prætor noster liquidabit intra annũ post consignatas litteras; præterea ut omnes mulctæ, quæ exigendæ adhuc in posterum suo tempore, eas etiam Prætor noster civitatis præscriptæ, qui jam est, aut futurus in posterum, judicio Scabinorum submittet intra anni spatium, quam mulcta inciderit, aut ille qui in mulctam inciderit culpæ obnoxius, mulcta eximetur. Atque ut prædictos articulos privilegiorum, qui privilegia continent pro nobis, & posteris omnibus, servari in perpetuũ volumus omni modo, quo scripti sunt, hasce litteras nostras apertas sigillo nostro consignavimus, datas Hagæ-Comitis, XVI. Iun. An. Dom. M. CCC. XCIV.

XIII. *De eo quod Civitas Harlemiana conferet templi seu sacræ ædis custodiam, cui contradicere cavebit quisquam. Porro quod aggerum curatores & inspectores Riinlandiæ, pecunias pro mensura iugeribus impositas colligent, aut colligi permittent, nisi ex concilio civitatis Harlemianæ.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hollandiæ, Zeelandiæ, Hannoviæ, Frisiæ Dominus, Notum faciunt universis & singulis, quod nos pro nobis & posteris nostris fidæ & amicæ civitati Harlemianæ, propter magna & multa merita, quæ nobis & majoribus nostris & posteris à multis retro annis præstitere, & præstituros adhuc confidimus, (si volet Deus,) civitati nostræ Harlemianæ eam fecimus gratiam, quam scriptum indicat sequentibus.

Ac primum quidem, civitati nostræ Harlemianæ donavimus, & donamus præsentibus hisce, sacrarum ædium custodiam, post ejus obitum qui eam iam possidet: nec alio donamus modo, quam ut prædicta Civitas, cum ea persona, qui nunc ibidem est, in eum conferent qui maxime idoneus videbitur, ad custodiam illam administrandam. Quod si æditui illi ita se gererent, ut vocationi isti minus idonei essent, liberum erit Civitati nostræ & personæ prędictę, æditos abdicare & removere, quoties consultum videtur. Et post eius personæ jam dictæ obitum, Civitas præscripta sola ædium sacrarum custodiam dabit: In eum tamen modum, ut ista persona, quæ tunc erit, nullũ assensum habeat.

Porro Civitati nostræ præscriptæ donavimus ut aggerũ Riinlandiæ cõsultores & inspectores, qui etiamnum hodie sunt, aut postmodum futuri, nullas pecunias pro mensura jugerum aut colligant aut imponant, nisi duobus.

bus aut tribus Senatoribus à nobis adhibitis, in consilium assentientibus civitate nostra Harlemiana & Leydensi; ibique aggerum curatores nostri præscripti, actionum suarum rationem reddent, priusquam pecunias colligant aut imponant pro aggerum mensura; nisi forte aggerum præfecti, aliis litteris probare possunt non futurum jure ipso. Et quoniam promisimus, & præsentibus promittimus pro nobis posterisque nostris, omnes hosce articulos præscriptos, prout scripto continentur, fidę nostræ & amicæ Civitati jam dictæ servare, & servandos jubere sine ulla infractione in perpetuum, consignavimus has litteras appenso sigillo nostro, datas Hagæ-Comitis D. Lamb. festo Anno D. M. CCC. XCVI.

XIV. *De eo quod Albertus Bavariæ Dux jus beneficiariæ urbi Dordraco datum sistendi naves Hollandiæ civitatibus remiserit.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, & Dominus Frisiæ, Notum facimus universis, & singulis, quoniam ab aliquot retro annis cōtroversia fuit & nostratium Civitatum novæ semper querelæ, videlicet, Harlemi, Lugduni, Delphorum, Alcmariæ, Amsterodami. Rotterd, Sciedami, Bergæ, S.Geertrudis, Veteraquinatis, Vlaerdingæ, Comitis Arenacum, Nardeni, Medenblici, Enchuysæ, Brielæ, & dilecti nobis cognati Ottonis Hend. ab Arckel, ejusdemque civitatis Gorichemi, & pagorum etiam nostrorum, videlicet Wtgeestæ, Wormeræ, ab una parte *Akersloot*, & ab altera parte Dordracenæ urbis, circa ea quæ tangunt jus Stapulæ & sistendi naves, & ab instituto retrahendi merces exoticas, & expensas quas nostra civitas Dordracum, & cognatus noster D. & toparcha ab Arckel, à civibus suis & Gorichomi incolis nec non à pagis nostris jam dictis, exigere ante hac solitus. Cum civitas nostra & D. & toparcha ab Arckel cives suos & indigenae, tum pagos nostros jā dictos sæpe inhiberent, intra civitatis nostræ pomeria & extra in tractu fluvialis aquæ naves secum ducerent, pro jure quod prætendebant. Quam controversiam & contentionem inter cives & indigenas, non tolerandam diutius rati, stat sententia, litem illam dirimere, idque ex consensu Senatus nostri secundum jus & æquum. Itaque Civitati nostræ jam dictæ, item D. & cognato nostro ab Arckel, una cum civitate ejus Goricho-

mio,

mio, & pagis nostris ab una parte, & Dordrechto civitate nostra jam dicta ab altera parte, certum & definitum præscripsimus diem, nempe diem Lunæ proximum à festo D. Nicolai, quo jubentur omnes illi iam dicti utriusque partis citati corã nobis & Senatoribus nostris qui à cõsiliis se sistere & comparere Hagæ-Comitis, ut ibi privilegia, documenta acta & probata si quæ habent ab utraque parte litteris sigillatis consignata in medium adferrent. Præterea cautum volumus: quo civitas nostra Dordracena jam dicta, si quem ex suis deputatis mittant cum litteris privilegiatis, quibus tueri jus velint, non alias mittant, quam ad jus Stapulæ seu sistendi naves & merces quæ pertinent: Ita ab altera parte Civitates nostras, & cognatum nostrum D. & toparcham ab Arckel, & civitatem ejus Gorichomium & pagos nostros jam dictos, non alias producere litteras, quibus jus suum tueri, & causæ suæ patrocinari velint, quam quibus probare liquido possint, jus stapulæ nihil ad se pertinere, nec teneri aut obligari exactiones aut expensas pendere. Quod si civitas nostra Dordracena, ad diẽ præscriptum se non sistat, & mandato nostro non obtemperet, Decretum tandem una cum Senatoribus qui nobis à consiliis sunt unanimi consensu & singulari prudentia libros memoriales, tabulas publicas evolvimus, & ex prælectione audivimus, ac in eis invenimus, ejusmodi litteras ad jus Stapulæ & exactiones pertinentes, à majoribus datas, quales Civitas nostra Dordracena magis accuratas non habet. Præterea ab altera parte ejusmodi litteras fide interposita consignatas & data ad fidem dextra confirmatas, quales Civitas nostra, cognatus noster D. ab Arckel & civitas ejus Gorichomium, & pagi nostri jam dicti jam olim à majoribus nostris habent. Et cõperimus nos & Senatores nostri qui nobis à consiliis, videlicet nostras civitates, cognatum nostrum D. ab Arckel, & Civitatem ejus Gorichomium & pagos nostros prædictos, antiquas, atque adeo sigillo consignatas & optimas litteras majorũ nostrorum indulgentia habere, quæ cũ nostræ civitatis Dordracenæ litteris quas habẽt ad jus Stapulæ & exactiones jam dictas pertinẽtes, jure ipso non valeant. Quocirca nos pro conscientia nostra, & judicio & arbitrio nostrorum Senatorum, qui à consilio nobis sunt, judicavimus & judicamus præsentibus hisce litteris, secun-

dum jus illud optimũ, quoniam ad dominium nostrum illud pertinet,ut civitates nostræ, & cives earũdẽ,& cognatus noster D. & toparcha ab *Arckel* & Gorichomiũ civitas ejus & incolæ, nec non pagi jam dicti liberi atque immunes sint,idque hodie & in futurum, à jure Stapulæ, & ab omni exactione qualicunque in perpetuum, quam prætendebat urbs nostra Dordracena jam dicta. Porro Monachodami cives atque incolæ concessa hac immunitate fruentur, secundum argumentum chirographi. Adhæc promittimus pro nobis & posteris nostris, Civitatibus nostris & earum civibus atque indigenis, item cognato nostro D. & toparchæ ab Arckel & civitati ejus & incolis, tum pagis supra dictis & posteris eorũ, servaturos & confirmaturos privilegia & immunitates eorum in perpetuum adversus civitatẽ nostram Dordracum jam dictam, atque adeo adversus quemlibet, qui refragari iis vellet aut obsistere. Et si forte Dordracum civitas nostra jam dicta & incolæ ejusdem, aut cognatus noster D. & toparcha ab Arckel, & Gorichomium civitas ejus atque incolæ, & pagi nostri prædicti, si quid hisce contrarium committerẽt aut molirẽtur; Damus hanc veniam pro nobis posterisq; nostris, & potestatem facimus,Civitatibus nostris earumque incolis, & pagis nostris prædictis,ut conjunctis viribus,& mutuis auxiliis, repetere sua impune possint, & salvo dominio nostro & jure, exigere à Dordraco civitate nostra & incolis ejus, quasi jus Stapulæ tuentibus, bona per vim detenta. Et quidquid in eo præstiterint, pollicemur auxiliũ & nulla in parte nos defuturos, & opem laturos. Et quoniam omnes eos jam dictos articulos absque ulla infractione servatos volumus, promisimus & promittimus litteris præsentibus pro nobis posterisque nostris, Civitatibus nostris, & incolis earum, cognato nostro D.& Toparchæ ab Arckel, & Gorichomio civitati incolisque ejus, tum pagis nostris jam dictis,eorumque posteris, nos eos servaturos & stabilimento confirmaturos in perpetuum, quibuscunque poterimus modis jam dictis. Ad fidem faciendam & ratificanda ea quæ promisimus hasce litteras consignamus appenso sigillo nostro, datas Hagæ-Comitis die Veneris proximo à Kalendis Ianuar. An. D. M. CCC. XCIII. secundum cursum aulæ nostræ. An. 1404.

Ratificatio Gulielmi Ducis, qua patris sui beneficium ad jus stapulæ Dor-

Dordracenæ quod pertinet collatum civitatibus confirmat.

Gulielmus Dei gratia Bavariæ, Hannoviæ, Hollandiæ Comes, &c. Omnibus notum facimus, quod juris & favoris ergo, addo amoris, quem D. patri summa veneratione mihi colendo, Bavariæ Duci, Comiti Hannoviæ & Hollandiæ, pagis, civitatibus, hominibus ad litis contestationem & diremptionem, eum modum servari, quem D. pater sanxit & instituit inter civitates hinc inde, quales Harlemum, Lugdunum, Delphi, Alcmaria, Amsterodamum, Rotterodamum, Schiedamum, Geertrudæ-collis, Veteraquinas, Vlaerdinga, Arena-comitis, Nardenum, Medenblicum, Enchuysa, Briela cum pagis proximis, quales Fossa querna, Akersloot, Wtgeesta, Wormera; nec non cognatus noster D. &c. toparcha in Arckel, & D. mei jam dicti civitas Dordracũ, habita primum deliberatione & re communicata in consessu Senatus nostri, cõfirmavimus & ratificavimus, ita confirmamus & ratificamus præsentibus hisce quæcunque D. mei & patris pię memorię plurimum colendi litteris continẽtur, quas litteris patris suffiximus, & bona fide promittimus pro nobis & posteris nostris, civitatibus ac pagis, nec non cognato nostro D. ab Arckel & civitati ejus Gorichomio, & eorum posteris, nos illis servaturos & confirmaturos ejusmodi jura & immunitates, & litium dirẽptiones, quales D. meus & pater jam dictus statuit & approbavit adversus civitatem Dordracenam jam dictam; nec passuros, ut illi jam dicti, quicunque tandem fuerint, fraudentur, aut graventur in suis illis immunitatibus, & litium diremptione jam dicta, à civitate Dordracena, aut civibus ejus, aut quicunq; tandẽ is fuerit, qui hoc arrogare sibi audeat aut pręsumat.

Et si forte civitates, pagi, nec non cognatus noster D. ab Arckel, aut civitas eius Gorichemum aut concives ejus, aut quicunq; tandem illi fuerint quos Dordracum, aut municipes ejus coadjutores, fraudaverint aut onera imposuerint in prædicta diremptione, & immunitate, non cõtenta in D. Patris mei litteris & meis ad confirmationem transfixis: Eo casu liberum erit illis qui damnum passi, à Dordracenis civibus aut eorum coadjutoribus bona sua repetere, & legem repetundarum adversus eos instituere licebit absque ullo delicto, crimine aut mulcta adversũ nos.

Porro civitatibus & pagis prædictis & singulis, & universis

concivibus eorum, nec non cognato nostro D. & toparchæ in Arckel & civitati ejus Gorichomio, & oppidanis ejus universis & singulis promittimus & pollicemur nos data ad fidē dextra, litteras quas prædicti à D. Patre plurimum colēdo habent, ab eo tempore, quo Hollandiæ Dominus & Satrapa fuit, ratas habituros, & in perpetuum servaturos, & nulla in parte quicquam detracturos, quas habuerunt ad hæc usque tempora, pro nobis posterisque nostris, idque in gratiam eorum & posterorum in perpetuum. Eaque confirmamus & stabilimus præsentibus hisce litteris. Ad faciendam fidē litteras hasce appenso sigillo nostro consignavimus: datas *Hagæ-Comitis*, die Martis postridie S. Victoris festum. Anno Dom. 1303.

X V. *De eo quod Harlemi suborto tumultu civili ad conciliandos civium animos Albertus Comes Palatinus elegerit viros bonos qui rerum potirentur & judicio præessent, ad placandos civium animos.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, *H*ollandiæ, Zeelandiæ, & Frisiæ Dominus, universis & singulis notum facimus: Quoniam intelleximus, & reipsa compertum habemus, magnam inclementiam, discordiam & contentiones subortas inter cives urbis nostræ Harlemeæ, quam à fide commendare soleo ex relatione bonorum civium & oppidanorum, qui pacem amant, qui ea de causa nos secuti; Ad averruncandum hoc malum, quoniam ea moderatione semper usi sumus, ut suborta aliqua difficultate, inclinemus ad pacem, & id semper operā demus, ac in id incūbamus, ut subditos nostros per omnes provincias & civitates in pace & quiete conservemus: Ita habita primum deliberatione, collatis ad consilium suffragiis, & assentiente Senatu urbis nostræ, tam fidæ quam amicæ, propter multa fida & præclara merita, quæ nobis & majoribus nostris sæpenumero & evidēter præstiterunt, & nobis posterisque nostris, si volet Deus, præstituri sint: Ita ad averruncanda frequentia homicidia, latrocinia, infortunia cujuscemodi generis, quæ ex jam dictis dissidiis civium & contentionibus redundare possunt, donavimus & donamus præsentibus hisce litteris, & statutis in perpetuum, ejusmodi juris articulos, quales infra descripti.

Ac primum quidem de his XXXII. nobilibus & patritiis his litteris comprehensis, & scripto consi-

consignatis, quorum hic infra nomina.

Symon à Saenden. Hugo à Rietwiick. Giisbertus à Rietzvelt. Petrus à Saenden. Gulielmus à Schoten. Philippus à Cralingen. Ioh. à Sparwoude. Florentius Scoddi. Ioh. Gualth. Symons. Gulielmus à Woude. Iohannes Lothi. Iohannes à Foreest. Gerardus Alhout. Gul. ab Assendelff. Albertus Salomon. Iohannes Rilardi. Iohannes Brouwe. Nicolaus Hoen, Gulielmus à Saendē Gerardus Buyse. Theod. à Bakenes. Gulielmus à Grobber. Ioh. ab Heussen. Henricus Theodori. Nic. ab Assendelff. Nic. Zeelandus. Ioh. Gul. Ianssonius. Hend. à Berckenroede. *Hugo* à Diemen. Gul. ab Adrichem Diet. Gerardus Baech. Gul. Doevenii. Meinardus Nicolai. Ex quibus in singulos annos eligendi ipso Geertrudis die VII Scabini, qui iam dicti Scabini ex reliquis XXVI viris quotannis IV. eligent Senatores, pridie annuntiationis Mariæ, & eorum nomina in templo Harlem. cathedrali publice de suggesto proclamanda, ipso festo annuntiationis Mariæ. Atque hi VII. Scabini & IV. Senatores in judicio nostro præsidebunt, in unum duntaxat annum, non exauctorandi intra anni spatium. Et ad eum modum in singulos annos Scabini & Senatores in civitate nostra jam dicta eligentur, ex XXXIII personis tam nobilibus, quam patritiis. Et qui Scabini aut Senatores semel fuerint, non ante in judicium à nobis institutum venient, priusquam cæteri quoque omnes in ordinem Scabinorum aut Senatorum veniant, dignitate non inferiores, sed ἰσότιμοι, qui hodie sunt aut postmodum futuri. Et porro si forte alicui eorū aliquid humani acciderit, aut juri municipali renuntiarit, aut consenesceret, aut bonorum jacturam faceret ad egestatem redactus, aut si quis ita debilis foret, ut ordinis amplissimi XXXIII viri judicarent civem inutilem & ad munia pub. minus idoneum: Eo casu reliqui XXXIII iam dicti interposito juramento, scripto tradent IV. viros patritios itidem & nobiles, fama integros, & vita incorruptos, de meliore nota homines, qui quieti, sine jurgio aut querela facultates suas possident intra Hollandiæ provinciam, sive istæ fuerint habitabiles seu fundi, seu reditus annui, ad summam DC. scutatorū, perinde ac cēsus nostros annuos. Et eo ipso tempore ad minimū tertiam bonorum partem intra pomeria habebunt. Nec de alio intelligi ista volumus, quam qui

decem annos in civitate domicilium & jus civitatis habuerit. Et ex istis IV. jam dictis unum eligemus, & in locum defuncti aut minus idonei surrogabimus, quatriduo postquam IV. virorum nomina scripto exhibita fuerint. Quod si forte intra octiduum personam aliquam non nominabimus, aut eligemus in locum defuncti aut civis minus ad publicum munus idonei; eo casu veniam damus & permittimus, qui superstites adhuc & in vivis erunt, ut ex præscriptis 33. unum eligant in locum defuncti, aut minus idonei, quod tãtundem valebit, ac si à nobis facta esset electio. Et si quem 33. viri præscripti eligent aut decernent, pro suffragiorũ numero valere debet.

Porro quæcunque XXXIII viri præscripti statuent, aut decernẽt, rata erunt, dato primum juramento in Senatu corã urbis nostræ Prætore, ad conservationem quietis pub. & pacis. Atque hæc omnia rata & stabilita volumus in perpetuum, perinde ac si à nobis confirmata essent. Atque hæc ita instituta & ordinata, semel recepta, nec aboleri, nec revocari unquam poterunt, nisi à Prætore, & plurium suffragiis, aliter & secus judicatum fuerit, quod sequendum.

Porro si nos aut majores nostri fidæ & amicæ nostræ civitati prædictæ, chirographa, litteras aut privilegia olim donavimus, in quibus articuli continentur, qui his aut aliis chirographis quibuscunque litterariis ullo modo contrarii deprehendãtur, in præjudicium civitatis nostræ Harlemeæ, in eo neque chirographis neque litteris, neque articulis, ne præsentibus quidem quicquã decedere volumus, salva authoritate: Verum hoc chirographum aliaque complura, tum litteras sigillatas, quas civitati nostrę donavimus, spopondimus & spondemus, pro nobis posterisque nostris, fidæ & amicæ nostræ civitati Harlemeæ & posteritati ejus in perpetuum servaturos, & rata ea habituros, nec passuros ullo modo infringi. Testimonii perhibendi causa, litteras hasce sigillo nostro obsignavimus, & ad majorem fidem faciendam, quoniam nihil æque gratum esse possit, quam si videre liceat pacem restitutam, & reversos in gratiam bonos cives pari concordia. Ita apud filium meum unice dilectum D. Gulielmum Bavariæ Ducem, Comitẽ Oostervvoudæ, intercessi, etiam atque etiam commendavi, nec defuere preces patris, ut chirographum hoc una nobiscum consignaret hac formula.

Et

Et nos Gulielmus Bavariæ, Hannoviæ Dux, Dei gratia Comes Oosterwou, rogati à D. Patre cujus petitioni; negare nihil possum nec debeo filius, tū propter singularem affectum & amorem quem habemus erga amicam & bonam civitatem pręscriptam. Et ut omnes articulos præscriptos, nostra voluntate & consensu approbatos constet; litteras hasce sigillo quoque nostro consignamus. Spondemus insuper nos omnes articulos, atque adeo omnia quæ hoc scripto continentur rata atque inviolata habituros pro nobis & posteris nostris fidæ & amicæ civitati & posteritati ejus in cōformitatem eorum quæ antecesserunt. Datum Hagæ-Comitis IV. Martii. An. M. CCCC. & II. secundum cursum aulæ nostræ.

XVI. *De eo quod quamlibet pacem quæ manu dextera aut in limine confirmari solita confirmare liceat campanæ sono.*

Albertus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Dom. Frisiæ, Notum facimus universis & singulis; Quoniam observavimus aliquamdiu quantos sumptus & labores civitas nostra & Curia impenderit ad pacem & concordiam civium qui Harlemi sunt conservandam & stabiliendam, in quadrimestre tempus observandam, & confirmandā in singulos annos, & correctionem statutorū nostrorum, & homicidia averruncanda, & pugnas ad cædem comparatas, dedimus & damus præsentibus hisce litteris in perpetuum judicibus nostris qui Harlemi hodie sunt, aut postmodum futuri, hāc veniam, & potestatē facimus & permisimus iis, ut ad placitum confirmare possint campanæ sono pacem quamlibet, quæ in tabulis publicis nostræ civitatis cōtinentur, descriptæ hodie aut in posterum describendæ: & is pacis ineundæ aut confirmādę mos usitatus, qui aut manu dextera, aut in limine fieri solebat singulis anni quadrimestribus, videlicet pridie Kalendas Maii, pridie festum Iacobi, pridie festū omnium Sāctor. tum pridie festum Mariæ purificantis. Et permisimus porro, ut Pax illa quæ campanæ sono indicata, tantundem valeat, & æque efficax sit futura in nostra civitate jam dicta & extra urbis mœnia, perinde ac si Pax ista manu dextra, & lingua interprete, data et confirmata esset. Quem morem pacis ineundæ ita servari volumus, ut si quis pacem illam explodat, aut secus faciat quam jubemus, plectatur ille et pœnas luat corporis,

ris, mulctetur insuper LX. libris, secundum tenorem statuti nostri, quod civitati nostræ donavimus asservandum. Ad fidem faciendam hæc confirmamus, appenso sigillo. Datum Hagæ-Comitis, 24. Octob. die. Anno Domini M. CCCC. IV.

Dux ille Albertus obiit S. die circa vesperam Anno Domini M. CCCC. IV. ut supra.

Privilegia Gulielmi, qui Alberti Comitis Palatini fil.

XVII. *De eo quod Gulielmus Bavariæ Dux Civitati Harlemianæ confirmavit, Ducis Alberti patris sui litteras, prædictæ Civitati datas concessasque.*

Gulielmus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Bavariæ Dux, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, & Frisiæ Dominus: Notum facimus universis & singulis, cum Dominium comitatus Hollandię cæterarumque provinciarũ jure successionis ad nos devenit morte D. patris unice colendi, Alberti Ducis, cujus pia apud Deum memoria sit, cumque nos fida & amica civitas, & cives Harlemiani benigne exceperint, & inaugurarunt ut legittimum Dominum suum, sic ut oportet: Eam igitur ob caussam, juvante in partem favore, quem gerimus & habemus erga fidam & amicam civitatem Harlemianam, ejusdemque civitatis oppidanos, confirmavimus & stabilivimus, confirmamus & stabilimus præsentibus hisce litteris, ejusmodi privilegia, immunitates, jura, contractus, pro ut à majoribus nostris Hollandiæ Comitibus, & novissime à D. Patre unice colendo, Alberto Bavariæ Duce ante nos consignatæ. Ita sancte pollicemur pro nobis, posterisque nostris, fidæ & amicæ Civitati nostræ Harlemianæ & civibus ejus jam prædictis, servaturos & confirmaturos, prout ea litteris continentur. Ad fidem faciendam, litteras hasce consignavimus appẽso sigillo, Datas Hagæ-Comitis ipso S. Agnetæ festo, An. Dom. M. CCCC. & IV. secundum cursum aulæ nostræ.

Gulielmi Comitis Palatini privileg.

XVIII. De eo quod *qui cunque civis Harlemianus, qui agros habet ad loca nemorosa sitos, si forte contingat armenta eorum in nemus aberrare, ibique detineantur, & in septum agerentur, unusquisque noxium pecus redimere poterit VIII obolis Hollandicis, ultra non exigatur.*

Gulielmus gratia Dei Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Frisiæ dominus; Notum facimus universis & singulis, quod Civitati nostræ *H*arlemianæ donavimus & donamus pręsentibus hisce, atque adeo omnibus civibus qui agros habent

habent sitos ad nemora, aut non procul inde, ad usus proprios, aut elocaverint, si forte pecora aberrare cõtingat ex agro suo aut pascuis in nemus nostrum, quocunque modo id factum fuerit, ibique detinerentur & in septum agerentur, quod eo casu singula noxia pecora redimentur octo obolis Hollandicis parata pecunia, ultra non exigetur. Testimonii perhibendi causa has litteras obsignavimus sigillo nostro, datas Hagæ-Comitis, III die Iunii. Anno Domini M. CCCC. VI.

XIX. *De eo, quod nulla Hollandiæ Civitas aut Zeelandiæ plura statuta imponent Harlemianæ civitati, aut civibus ejus quam bonis suis, aut subditis. Item si quis, civem, marem, aut fœminam Harlemensem interfecerit, sive ille jure, sive ex judicum sententia in exilium mittatur, illi interclusus reditus in solum patrium, nec redire illi fas erit ante id tẽporis quam cum redierit in gratiam cum consanguineis defuncti, & cum iis reconciliatus fuerit. Item, si quis urbe excedat Harlemiana mulctarum causa, ei inijcere manum Prætor potest intra IIIC. decempedas, ultra urbis territorium aut jurisdictionem.*

Gulielmus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Frisiæ Dominus: Notum facimus, universis & singulis, quod ex puro affectu & amore, favore etiam, quo affecti sumus erga fidam & amicam civitatem Harlemianam, quod benigne & voluntarie & sponte voti compotes nos fecerint, & petitiones ejusmodi acceperint, quales exegimus: Ita fidæ nostræ civitati & civibus præscriptis, donavimus & donamus præsentibus his litteris ejusmodi articulos, jura, fœdera, immunitates, quæ hoc scripto continentur.

Ac primum quidem, quod nulla civitatum Hollandiæ aut Zeelandiæ, plura statuta instituent, aut imponent fidæ nostræ Civitati & ejusdem civibus prędictis, quam suis bonis ponent. Et si forte civitatum nostrarum aliqua Hollandiæ aut Zeelandiæ plura statuta ponent aut facient in præjudicium fidæ nostræ civitatis & bonorum civium jam dictorum; ea promittimus abolere, & futura nullius pretii. Item si quis forte civem Harlemianum aut marem aut fœminã occidat in provincia nostra aut Hollandiæ aut Zeelandiæ, aut si quis in civitate nostra una eademque in exilium mitteretur in judicio propter homicidium, ei solum patrium interdictum volumus, nec tolerabimus eum in nostra provincia Hollandiæ aut Zeelandiæ

domicilium habere ante id tempus, quam reconciliatus in gratiam redierit cum consanguineis defuncti.

Item si quis civitatis nostræ Harlemianæ municeps aut oppidanus ob mulctæ debitum in judicio cõvincatur, & ob eam causam urbe excederet, eum Prætor noster Harlemensis, qui nunc est, aut postmodum futurus, apprehendere & in captivitatem abducere poterit intra ccc. decempedas secundum civitatis nostræ territorium, & tum causam ipsius expediet perinde ac captivum eum in urbe detineret.

Item quicunque nothus aut spurius illegitime natus, sive mas sive fæmina fato functus moriatur, non relictis legittimis liberis, & tres annos continuos in civitatem adscitus habitaverit, proximi & consanguinei matris, hæreditatem illam quam ille aut illa relinquet adibunt, excepto eo, si pater filio aut filiæ illegittime natis bona aliqua (quovis nomine) legasset, ut bona eadem hæreditatis jure ad eum redeant, aut hæredes proximos. Et quoniam omnes hosce articulos in gratiam fidæ nostræ civitatis & civibus ejus servari volumus & valere in perpetuum, ad fidem faciendam pro nobis&posteris nostris litteras hasce consignandas dedimus, appenso sigillo nostro, datas in urbe nostra Middelburgensi, tertioNovemb. die, An. Dom. M. CCCC. & XI.

XX. *De iis qui extra pomæria civitatis Harlemianæ habitantes intra* ccc. *decempedas pendent & persolvent vectigalia.*

Gulielmus Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ, Hollandiæ Zeelandiæ, Frisiæ Dominus; universis & singulis notum facimus; Quoniam Civitas bona nostra Harlemiana sollenni modo promiserunt & favorabiliter & benevole numerarunt VI. millia scutatorum, quos nobis erogabunt, & solvent in tres annos singulos duo millia scutatorum præscriptorum: Et quoniam prædictas pecunias ordinare, nobisque in solutionem dare tenentur, ex vectigalium collectis, quas in civitate nostra prædicta imponent annonæ & rei alimentariæ: Propter rationes jam dictas concessimus atque indulsimus, concedimus atque indulgemus præsentibus hisce litteris, & volumus, ut omnes illi qui extra urbis pomeria habitant, intra ccc. decempedas territorii civitatis nostræ, vectigalia, quæ civitatis nostræ incolis imponentur, solvent perinde&ad eundem plane modum, ac si in civitate nostra

nostra

nostra domicilium haberent. Et si forte quis refragabitur vectigalia præscripta persolvere, volumus & jubemus Prætorem & Scabinos nostræ civitatis justitiæ administrãdæ præfectos, qui iam sunt aut postmodum futuri, ut illud corrigant & transigãt, ejusmodi statutis & legibus, quales cõfidimus eos qui in judicio erũt laturos, & posituros confidimus. Hæc in tres annos & non amplius durabunt. Ad testimonium perhibendum litteras hasce obsignavimus, appenso nostro sigillo, datas Middelburgi ipso Sancti Willebrordi festo: Anno Domini M. CCCC. & XI. Qui obiit, postridie festum Pentecostes. An. M. CCCC. & XVII.

XXI. *De eo quod Iohannes Lotharingiæ Dux, Brabantiæ, &c. nec non Iacoba Bavariæ Domina, Gulielmi Bavariæ Ducis Comitis Hannoviæ filia unica, & Iohannes Dux præscriptarum provinciarum, Hollandiæ & Zeelandiæ confirmarunt & ratificarunt omnia statuta & privilegia, quæ à Comitatu habent.*

Iohannes gratia Dei Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & provinciæ Limborgensis, Marcio Sacri imperii, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Frisiæ Dominus. Et Iacoba Dei quoque gratia, Ducissa, Marcionissa, & earumdem provinciarum Domina. Notum faciunt universis & singulis, quod fidæ & amicæ nostræ civitati cõfirmavimus & ratificavimus, confirmamus & ratificamus hisce litteris, ejusmodi privilegia, immunitates, chirographa, juraque, qualia à majoribus nostris, Hollandiæ, Zeelandiæ, Comitibus & Comitissis cõsignata habent. Et spõdemus pro nobis, posterisque nostris, fidæ nostræ & amicæ Civitati & civibus Harlemianis ea servare & stabilire in perpetuum, secundum litterarum argumentum, quæ sigillo cõsignatæ sunt. Ad fidem faciendam, hasce litteras consignavimus consueto nostro sigillo; Datas Woudrichemiæ Ian. XXIV. die, Anno M. CCCC. XVIII.

XXII. *De eo quod Iob. Lotharingiæ Dux, nec non Iacoba Bavariæ Domina, præscriptæ Civitati Harlemianæ chirographum dederunt: Primum quod in singulos annos Scabinos vij. Coss. iv. eligent, ipso S. Ambrosii die, ætate integra xxvj. aut amplius annorum, nec sanguine propiores, quam consobrino, aut infra eum gradum. Item quod nulla statuta ponenda, nisi coram Prætore & assessoribus ejus, Scabinis, secundum plurium consentientium suffragia. Item quod Balivus aut Prætor juramentum dabunt, se unicuique jus dicturos ex æquo & bono antequã munus suscipiant.*

Iohannis Ducis Lotharing. &c. Privilegia.

Iohannes gratia Dei Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, Marcio S. Imperii, Comes Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Frisiæ Dominus; & Iacoba itidem gratia Dei Ducissa, Marcionissa, Comitissa & Domina earundem provinciarum; Notum facimus universis & singulis, quod propter egregia merita & fidei plena, quæ fida & amica Civitas nostra Harlemiana præstitit, & indies adhuc præstat, & si volet Deus, præstabit in posterum, ejusdem Civitatis nostræ civibus atq; incolis & eorum posteris donavimus & concessimus, donamus & concedimus præsentibus hisce litteris pro nobis posterisque nostris ejusmodi privilegia & chirographa, qualia infra descripta.

Ac primum quidem, quod singulis annis S. Ambrosii festo in civitate nostra præscripta creabimus aut creandos curabimus, VII probos & exploratæ fidei viros Scabinos, qui annum integrum non exauctorandi manebunt, nisi forte aliquis intra tẽpus annuũ è numero viventium tollatur, tum in ejus locum alium surrogabimus, aut surrogandum curabimus, usque dum tempus unius anni exspirabit. Et ad eundem modum etiam Coss. creabimus, qui in annum manebunt non exauctorandi. Nec quemquam ad id munus admissuri ante annum xxvj. Quodque nulli sanguine propiores, una in judicio sedebunt, quam consobrini gradu inferiori. Idque in hoc tempus, usque dum postrema pensio exspiraverit, & C. nobiles Rosati numerati fuerint, quos promisimus Iohãni patruo nostro Bavariæ Duci persolvere.

Porro quoniam in civitate nostra præscripta aliquamdiu horsum usitatum fuerit, quod Prætor noster, cum duobus aut tribus Scabinis, leges sanxerint & statuta condiderint, in annum aut semestre tempus quæ durabant; quæ, ut clare instructi super ea re fuimus, cum magno reipub. aut civitatis nostræ detrimento, & civium damno. Itaque cum Civitati nostræ in eo prospectum velimus, prædictas consuetudines & statuta, quæ descripta habent, revocamus, & abolemus; Eique dedimus & concessimus, ut Prætor noster, Scabini & Senatores prædictæ Civitatis secundũ assensum, consilium & suffragium & plerorũque opinionem, qui unquam in judicio nostro Harlemi fuerint, deinceps nova mandata, leges, aut statuta condendi potestatem habeant ad semestre tempus, aut etiam annum integrum duratura, præmisso juramento, ea communi

muni suffragio concepta, & reipub. quã maxime salutaria, salvo jure nostro & dominio & eatenus quatenus mandata, jura, statuta, juri & Dominio nõ adversantur. Et quæcunque mandata, leges aut statuta secus instituẽtur quam communi omnium suffragio & unanimi sententia, ut scriptum antea, ea abroganda, & nullius pretii erunt.

Porro præscriptæ nostræ Civitati hoc dedimus in perpetuum, ut Prætor noster, judex, aut quicunq; munus aliquod obibit in civitate nostra aut subibit, sacro-sancto juramento sese obligato, quod unicuique jus petenti dicturus sit, & judicabit ex æquo & bono. Quos articulos prædictos promisimus pro nobis posterisque nostris pręscriptæ civitati Harlemianæ, & posteris ejus, observaturos & præstituros in perpetuum ad eum modum, quo hæc supra scripta: & ad faciendam fidem jussimus sigillum nostrum hisce litteris appendi, datis Woudrichemiæ 24. die Ian. Anno Dom. M.CCCC.XVIII, secundum cursum aulæ nostræ.

XXIII. *De eo quod nemo in bona alicujus profugi injicere manum possit quod nemo ultra annum perbibere testimonium debeat; virginum sacrarum collegia probibentur.*

Iohannes Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ, filius Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Notum facimus universis & singulis, quod propter supplicationes & petitiones civitatis nostræ Harlemianæ, & ad ejusdem civitatis quietem & tranquillitatem, tum ad utilitatem & commodum promovendum, & simul ad tollendas dissensiones & controversias, præterea ad averruncandam contumaciam & audaciam quæ incidere possent, approbante Senatu nostro, donavimus atque indulsimus, donamus atque indulgemus, præsentibus hisce litteris pro nobis & hæredibus, ejusmodi articulos & chirographa, qualia scripta infra. Primum quod nemo adversus civẽ Harlemęum pendente lite se vindicabit, aut in bona ejus manum injiciet, tam quæ in urbe quam extra urbem, ejus inquam, qui urbẽ frequentare non possit, nec velit, nec ausit, relegatus ob damnum aut debitum, quod intra anni spatium contractum, & legittimo testimonio probabile sit, eo duntaxat reservato, quod Prætor urbanus, qui hodie est aut postmodum futurus, pecunias mulctaticias exigere & dijudicare possit, secundum jus & consuetudines Harlemianę civitatis. Item quod nullus oppidanus testimonium

perhibebit, quo nocere alicui possit Harlemi diutius, quam in unum annum post eventum rei. Item quod nemini fas erit monialia aut virginum sacrarũ collegia ædificare, condere aut alere: Extra civitatem vero non nisi ultra miliare extra jurisdictionem Harlemianæ civitatis. Et quoniam hosce articulos, & chirographa servari volumus in bonũ Harlemianæ civitatis pro nobis, hæredibus posterisq; nostris Hollandiæ Dominis: Ad testimonium perhibendum sigillum nostrum litteris hisce appendi curavimus, mandavimus, datis Hagæ-Comitis, 18 die Augusti An. Dom. 1422. Signatæ litteræ rubro & pendulo sigillo.

XXIV. *De eo quod relegandi & exterminandi jus datum extra Keinhimeriam.*

Iohannes Dei gratia Comes Palatinus ad Rhenum, Bavariæ Dux, filius Hannoviæ, Hollandiæ & Zeelandiæ Comitis, &c. universis & singulis notum facimus, quod propter singularem utilitatem & salutem fidæ nostræ civitatis Harlemianæ, ut omnes homines facinorosi melius & severius ibi plectantur & corrigantur, jam dictæ civitati ex gratia consensimus, & plenariam potestatem dedimus, ut in posterum facinorosos, & multatitios homines, & delictis obnoxios, qui in civitate mulctam commeriti, & nostro & civitatis nomine relegare & exterminare jus habeant, ex Keinheimeria, sub pœna capitis, aut mulctæ arbitrariæ, sine ulla aut nostra aut alicujus offensa nostri causa, perinde ac hactenus pro libertate flagitiosos relegarunt: Et durabit hoc beneficiũ, usque ad edictum contrarium. Ad testimonium perhibendum appenso sigillo nostro consignavimus has litteras, datas *Hagæ*-Comitis 16. Ianuarii. Anno M. CCCC. XXIII. secundum cursum aulæ nostræ.

XXV. *De eo quod Philippus Dux Burgundiæ & confirmavit & stabilivit Civitati Harlemianæ omnia privilegia, jura, syngrapha, debita, statuta concessa liberalitate cognati sui Iohannis Ducis Brabantiæ, nec non avunculi ipsius Iohannis Bavariæ Ducis, quæ Harlemianæ Civitati data concessaque.* *Philippi Ducis Burgund. Privilegia. Anno* 1425.

Philippus Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Palatinatus, Salviæ Dominus & Mechliniæ, Satrapa & Gubernator provinciæ Hollandiæ, Zeelandiæ, & Frisiæ quoque, Notum facimus universis & singulis, quod ex justo amore, & affectu favorabili, quo prosequimur & amplectimur caros ac juxta fidos Harlemianæ civitatis

nutritios & oppidanos, & propter ejusmodi fidem atque obedientiam submissam, quam nobis præstiterunt solenni gratulatione & inauguratione in *Hol*landia, eidem illi Civitati *Har*lemianæ, atque omnibus eius civibus atque incolis, qui ho die in vivis sunt, aut postmodum futuri, confirmavimus & stabilivimus, confirmamus aut stabilimus hisce litteris, ejusmodi privilegia, chirographa, jura inveterata, litteras quales à cognato nostro unice colendo Brabantiæ Duce, & ab avunculo nostro multum dilecto Iohan. Bavariæ Duce, piæ memoriæ, nec non à majoribus ipsorum Comitibus & Comitissis impetrarũt, emerunt, aut compararũt. Ita ut in iis non simus defuturi ad tuendum, stabiliendum jus eorum, secundum archetypum litterarum, syngraphorum ante scriptorum, idque durante eo tempore quamdiu regimen provinciarum Hollandiæ & Zeelandiæ penes nos erit. Ad firmandam fidem, consignavimus has litteras appenso sigillo nostro, datas Leidis ipso die S. Thomæ Apostoli, An. Dom. M. CCCC. & XXV.

XXVI. *Philippus Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Palatinus, Dominus in Salinis, Mechliniæ, Satrapa & Gubernator Hollandiæ, Zeelandiæ, & Frisiæ, Notum facimus universis & singulis, quod propter singularem favorem & affectum quem gerimus & habemus erga cives Harlemianæ Civitatis apprime caros & dilectos nobis, propter multa & fida merita, quæ olim & à multo retro tempore præstiterunt, & in futurum præstare adhuc possunt, si Deus volet, & potissimum propter fidem nunquam satis prædicandam, & submissam obedientiam, quam reipsa præstiterunt, eo ipso tempore, quo cognata nostra Brabantina, eam cum Reinheimeriis aliisque amicis, novissime obsiderent. Eidem Civitati dedimus, damusque hisce litteris ejusmodi immunitates juraque, qualia hic descripta tabulis continentur.*

Ac primum quidem amicę Civitati *Ha*rlemianæ dedimus & concessimus, damus & concedimus præsentibus hisce, Civitatis jus & territorii producendi & ampliandi circumquaque civitatem, præter libertatem quam nunc habent, CLXXX. decempedas, qua rura patent, ita ut intra novum territorium, omnia privilegia & jura usurpari, quemadmodum usque adhuc immunitatem habuerunt atque usurparunt. Et intra novæ immunitatis datæ tempus, ab extremo mænium margine, quæ nunc sepserunt extrinsecus, nemini fas erit nullo unquam tempore, domos ædifi-

ędificare, aut habitacula exſtruere.

Item non licebit intra urbis pomęria & territorium, ulla monialium virginum domicilia, nec ulla cœnobia, virorum aut fœminarum condere aut exſtruere, plura quam hodie ſunt. Et quę virgines ſacrę aut moniales, quæ hodie *H*arlemi ſunt, nec admittent in cænobia ſua in poſterum plures virgines ſacras aut moniales, nec excipient, quam quæ nunc tempore civium filiæ, aut quæ deinceps civium ſeu virorũ ſeu fœminarum filiæ fuerint ad xx annos continuos.

Item quod omnes agri & bona laïcorum ſervitio obligata & obnoxia, & tributo ſubjecta & petitionibus, ea obnoxia & obligata manebunt, quemadmodum ad id tempus fuerunt. Etiam ſi præſcripti agri bonaque, aut emptione aut contractu, aut alio quovis modo in proprietatẽ eorum qui ſacra profitentur: niſi forte, ea à nobis obliterata & ſublata eſſent, & nos ſervitutis onus remittamus.

Item conſenſimus & poteſtatem fecimus, conſentimus, & poteſtatem facimus Scabinis in judicio Harlemiano, qui jam ſunt, aut futuri; quod in poſterum in auxilium mittere licebit extra territorium Keinhimeriæ, & Riinlandię, quemadmodum in hoc uſque tempus extra civitatem & parochiam *H*arlemianam facere conſueverunt, reſervato duntaxat eo, quod exilium revocare in noſtra poteſtate ſemper ſit, in exilium miſſos aut relegatos revocare & in libertatem reſtituere, & intra fines *H*arlemiani territorii admittere, excepto omni dolo malo. Et quoniam amicam erga Civitatem Harlem. & cives omnes, qui jam ſunt, aut in poſterum futuri, præſcriptos articulos, atque immunitates ſervatas volumus & à nobis & ab unoquoque in perpetuum ſine ulla infractione, ad teſtimonium perhibendum, ſigillum noſtrum appẽdi juſſimus. *D*atum Amſtelodami 18. Augusti, Anno *D*om. M. CCCC. XXVI.

Exſtat quoque *D*aniæ, Norwegiæ regis diploma gratioſum, quo ptopter merita quædam, & amicam voluntatem Harlemianæ Civitatis, incolis & oppidanis conceſſit in regno ſuo libera cõmercia, & ſalvum conductum, terra pariter & mari, commerciorum cauſſa, obſignatis regis ſigillo litteris, datis Helſenburgi, pridie feſtum Martini. Anno 1465.

XXVII. *De producendo territorio, & de exſtruendo Aquarum obice Harlem. Civitati poteſtas data.*

Maximilianus & Maria Dei gratia

gratia Duces Austriæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limborgi, Lutzenburgi, Geldriæ, Comites Flandriæ, Tiroli, Artesiæ, Burgundiæ, & Palatinatus, Hannoviæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Namurci, Zutphaniæ, Marciocomites S. imperii, Satrapæ Frisiæ, Salusiæ, Mechliniæ, notum facimus universis & singulis, quod speciali gratia & singulari favore, quo affecti sumus erga civitatem nostram Harlemianam in provincia nostra quæ est in Hollandia, quod Civitati isti quæ provinciæ nostræ potissima, & commerciis idonea, donavimus & indulsimus, donamus atq; indulgemus, litteras nostras gratiosas prædictæ nostræ Civitati Harlem. ad evitanda quædam incommoda ex homicidio, duello & contumacia oppidanorum nostratium, aliorum etiam, quibus jus facimus quarta milliaris parte territorii producendi circumquaque urbem, idque absque ullo dominiorum, aut cujusquam præjudicio. Promisimus porro & concessimus, permittimus & concedimus prædictę Civitati, præsentibus hisce litteris, & potestatem facimus propter annonæ caritatem, cataractam aut aquarum obicem condendi & exstruendi, & quia Civitas mediterranea, sine ullo fere aut exiguo cōmercio, ad recipiendas naves majores; idque in jurisdictione, aut territorio Sparendami, Sparnewoudæ, aut Velsę, ubi maxime opportunum & commodum videbitur, idque propriis sumptibus, suo maxime emolumento, citra ullius detrimentum, aut noxam; reservato eo, & præsupposita ista conditione, ut cataractam & emissarium sartū tectum habeant in perpetuum, absque impensis publicis provinciæ hujus. Quocirca de eo certiorem facere voluimus, fidum & amicum Gubernatorem generalem, aliosque Ordinis Senatorii viros, justitiam administrantes Officiales, atque adeo Hollandiæ, Zeelandiæ, Frisiæ, cæterarumque provinciarum subditos, ut prædictæ civitati Harlemianæ in pace & tranquillitate permittant usurpare & in usum vertere, absque ullo impedimento, damno aut molestia in contrarium, quoniam ita volumus & jubemus: ad testimonium perhibendum sigillum nostrum appendi jussimus. Datum Silvæducibus, 15. Februarii An. 1478. Nec ita multo post Maria præmatura morte fato concessit: quā secutus Maximilianus in extrema senectute, 39. annis post. Verum de Philippo Duce, cum primum inauguratus & receptus ut legitimus

timus provinciarum Belgicarum Dominus, Anno 1492, testantur Annales, eum authore & suasore imperatore Maximiliano, ex certa scientia, & deliberatione habita, in consilio augusto revocasse, & renuntiasse omnibus indulgentiis & privilegiis, & litteris sigillatis, quæ ullo modo in præjudicium dominiorum suorum viderentur.

XXVIII. *Hispaniarum Princeps, Archidux Austriæ, Gubernatori & Præfecto, Præsidi & Ordinis Senatorii viris in Hollandia qui sunt; Prætori itidem Harlemensi, cæterisque nostris Iudicibus justitiam administrantibus, officialibus, quorum interest, pacem & salutem dicimus plurimam, amoris testandi causa.*

Quoniam ad notitiam nostram pervenit, quod non procul ab urbe Harlemæa, extra jurisdictionis Harlemianæ limites, in territorio Heemstadiensi, diversoria sint complura, tam in silva, quam extra silvam; ubi rustici hoc unum agunt, ut publica diversoria aperiant, & tabernas cerevisiarias, & vinarias habeant, & eo prætextu ad symposia & compotationes indies venire, frequentare diversoria: Certo constat scurrarum ac nebulonum cõtubernia ibi esse: Scorta insuper & meretrices prostibula habere, nec non impudicos & aleatores, aliosque dissolutæ vitæ homines collegia habere, quibus hoc quotidianum, ut sese potu ingurgitent, bestiis quam hominibus propiores. Atque adeo intolerabilius hoc malum, quod ebrii & bene poti grassantur in triviis, in silvis & dumetis, ubi tam oppidanos prædictæ civitatis, quam alios, in quoscunque inciderint, dicteriis incessunt, ludibrio habent, convitia jactant; adoriuntur etiam violenter, rixas movent, pugnas cient, & quotidie homicidia, & quævis scelera & flagitia committunt & vim publicam: quæ omnia pessimi exempli cum sint, in Repub. bene constituta tolerari nec possunt, nec debent, nec permittenda per dissimulationem aut negligẽtiam ullo modo. Verum ut obviam huic malo & dissolutæ licentiæ eamus, & flagitiis repagula objiciamus, non inconsultum visum nobis, ad tutelam & protectionem oppidanorũ & subditorum nostrorum, in eum finem litteras nostras voluntatis nostræ indices ad vos mittere, ut è vestigio, absque ulla dilatione publicari & proclamari de Curia jubeatis, prohibeatisque dissolutam illam licentiam & tabernas omnium scelerum officinas, nostra mandantis authoritate, præcipue in prædicta civitate Harle-

miana, & alibi ubi oportebit & necessarium videbitur: Ut nemo quicunque is fuerit præsumat in posterum, cerevisiam promere aut venalem habere promus condus, multo minus tabernas cerevisiarias instituere, suspensa pro foribus amphora, extra civitatem Harlemianam, aut urbis pomæria, septum usque Heemstedianæ jurisdictionis inclusive, idque sub pœna & mulcta LX. librarum Flandricarum, quam pēdet quisque, quicunque tandem is fuerit deprehensus contrarium facere, pœna insuper arbitraria corrigendus, in exemplum aliorum. Quam pœnam sive mulctam volumus & ordinamus distribui trifariam justa portione; Nimirum ut prima pars fisco cedat, pars altera delatori, tertia Prętori, qui mandatum hoc exsequetur, nulla habita personarum ratione, qui procedet & procedere jubebit suos adversus delinquentes & prævaricatores ad plenariam mulctæ exactionem, sine ulla compositione, aut dissimulatione, nec ullam caussam dabimus aliam, quam quod ita nobis cōplacitum. Atque ad exactionem mulctæ pecuniariæ, Præfecto plenariam potestatem facimus, & singulari mandato authoritatem damus citandi quos velit, & imperandi Iustitiæ mystis & administris, Iudicibus & officialibus, subditis etiam, ut serio id exsequantur, & obediant omni obsequio. Datum Hagæ-Comitis in aula nostra Hollandiæ, Anno 1515. Iul. 2. die. Ita subsignatum à D. Principe Hispaniarum in concilio. Gratiosis Ducum & Comitum edictis subjicere operæ pretium visum Caroli V. diploma, ut lector intelligat principibus viris qui Hollandiæ præfuere, nunquam defuisse voluntatem bene merendi de Harlemeis usque ad ea tempora quā Carolus V. Romanorū Imperator in ordinem Comitum receptus & initiatus Anno 1515, & An. 1518. edicta Comitum confirmavit atq; ampliavit, præcipue navigationem interaneam.

HARLEMUM COMITUM,

& Magnatum aula.

Commemoratis statutis, privilegiis, & immunitatibus, quæ Hollandiæ & Zeelandiæ Comites & Comitum filii à majorum virtute non degeneres in Harlemeos antiqua in fide perseverantes contulere; non alienum ab instituto videbitur, si hoc loco

inseram, quod regni proceres, & provinciarum magnates, quos Comites dixere, aulam suam & palatia Harlemi habuerint. Inde domus voluptuaria, cui nomen datum ab avium garritu, venationi destinata *à Comite Florentio* ejus nomine I. Anno 1280: Unde plures alii eam civitatem ad habitandum & commorandum sedem delegerunt, tum propter loci istius amœnitatem & aëris salubritatem, tum propter civium & incolarum fidem & humanitatem. Unde & Harlemum Hollandiæ aulam olim nuncupatum loquuntur annales, quam illustrem fecit Comes Florentius ejus nominis II. cognomento Crassus, in ordine Comitum Hollandiæ VIII. Et qui eum etiam antecessere sedem aulicam *H*arlemi habuere, jam ab Anno 1291. Verum Florentius jam dictus uxorem duxerat Petronellam Lotharii imperatoris sororem, ex qua *H*arlemi nati Didericus hæres proximus, Florentius Keinheimariæ princeps, Simon & *H*adewigis pulcherrima virgo, quæ *H*arlemi etiam obiit, & sepulta in templo majori, sub tumulo marmoreo. Et cum eo fere tẽpore ditionis mutuatio sese obtulisset, ea transacta *H*arlemi, præsidente ac promovente negotium Florentiæ. Comite, legitimaque conjuge ejus D. Petronella id volente, ipsis Kal. Martiis.

Didericus Comes III. ejus nominis expeditionem in Frisones *H*arlemi præparavit, copias cogebat juvante Imperatore *H*endrico IV. Ita multo ante Anno 1195. inter Didericum & Gulielmum fratres, pacta *H*arlemi pacis fœdera. *Didericus III. ejus nominis.*

Ada XV. Comitissa Anno 1203, cum jam imperio potiretur, & invitis atque adversantibus D. D. Ordinibus Comiti Ludovico à Loo nupsisset, obnitente etiam Gulielmo avunculo, *H*arlemum tanquam ad asylum se recepit, cum omnibus qui partes ejus secuti, usque dum propter belli motum & metum fuga dissipati omnes. Verũ inter omnes Comites illustre nomen Gulielmi *H*ollandiæ Comitis, qui *H*arlemi natus & educatus à teneris (quod dicitur) unguiculis. Romanorum rex creatus, Anno 1245, qui jam potens, & in majestatis fastigio positus, cum nec altius quo ascenderet haberet, patriæ amorem deponere non potuit, sed urbem istam in qua primum vitalem lucem aspexerat, amplissimis privilegiis atque immunitatibus (de quibus dictũ est ante) decoravit, eosque præ aliis, qui aut indigenæ, aut incolæ *H*ollandiæ

*H*ollandlæ essent, singulari prærogativa cives *H*arlemæos appellari volunt in honorem antiquæ, & generosæ stirpis *H*arlemiorum. Nec dubium quin Comes Gulielmus ejus nominis in ordine Comitum XVI, qui expeditionem cum civibus nostratium in S. Terram fecit, capto subactoque Pelusio, & trophæa reportavit, & insignia, quæ hodie Harlemi visuntur.

II. Gulielmus XVIII Comes. Gulielmus quoque alius in Ordine Comitum XVIII, itidem Romanorum Rex, sedem Harlemi elegit, & aulam habuit satis magnificam, unde adhuc platea Regia nomen obtinet, & in ejus confinio unionum & margaritarum vicus, propter aulam, Anno circiter 1250. Ad hæc scuta in fastigio Curiæ collocata indicant Comitum fuisse palatiũ.

Florentius ejus nominis V. Comes. Florentius ejus nominis V. *H*olladiæ Comes cũ toto comitatu & nobilibus aulicis Harlemi vixit aliquot annis. Nota, quod à Comite Florẽtio fratribus Ordinis Prædicatorum, qui Iacobini dicti, in villa quæ Haerlem dicitur, fundus tribuitur, ubi prout cernitur Claustrum & Ecclesia prædictis fratribus ordinatur. Gul. procurator in Chron. M. S. apud P. Scriverium. *Ioh. XX Comes.* Eum secutus postmodum Iohannes I. XX. in Ordine Comitum Hollandiæ. Is cum subditos parum obsequentes, & refractarios haberet, tum propter patris Florentii, tum Wolfardi facinora, ejusque interitum, ad Iohannem Avenniensem in *H*annonia legatos misit, ob res prospere ab eo gestas, & singularis prudentiæ famam, deprecatum, ut redire in Hollandiam dignaretur, deq; manu Nepotis, Diis auspicibus, tutoris nomine, Comitatus gubernacula suscipere vellet. Ille Dordracum cum venisset, qua esset ætate, obviam profectus, renuntiato ad quadriennium Comitatu Harlemum se contulit, ad secura otia, & studia venationis & aucupia. Rebus in Hollandia per Hannoniensem compositis, nondum exacto quadriennio, ad suos reversus, ad capessenda regni gubernacula se componit, & non ita multo post, febrim mollitiemque alvi passus, non sine veneni suspicione exstinctus dicitur, & constans rumor. Anno 1299. IV. Kal. Decembris. Ei successit Iohannes ejus nominis II. Hannoniæ, Holland. Comes, &c. Harlemi cum esset, ibique vitam ageret genialem, in Iohannem cognatum suum ex Anglia cum Sponsa reducem, transferre imperium satagebat, pactus cum eo in aula quę *H*arlemi fuit, adstipulantibus regni proceribus. *Iohannes Comes II. ejus nominis. In ordine Comitum XVIII.*

Harlemi obiit IV. Kal. Novemb. cum Comitatus Hollandiæ & Zeelandiæ imperium obtinuisset annos IV. Fidem superat, quod testantur annales de Gulielmo Comite, cui datum ab indole cognomentum Boni, propterea quod beneficus in pauperes, incorruptus in judicio, uxorem duxerat Philippi regis Franciæ sororem, cum dominationis suæ auspicia facturus, omnes aulicos Harlemi invitavit, Epulum instituit An. 1311. sumptuosissimum & plane Attalicum, sed ad breve tempus VIII dierum: ad quod convenerant XX. Comites, C. Barones, Equites M. cum innumeris Heroinis matronis & virginibus, pedissequis etiam nobilibus. Scutati aderant nobiles, & viri bene nati frequentes; durabant aulicæ pompæ solemnia ad octo dies, & celebrata magnificis sumptibus, ornamentis regalibus, decursionibus ludicris, hippomachiis, hastis velitaribus, epulis aulicis, choreis & trepudiis, aliisque equestribus exercitiis. Imperator Hendricus temporibus Iacobæ Bavariæ Ducissæ commoratus Harlemi aulam habuit, cum Diderico ejus nominis tertio copias auxiliares cogeret contra Frisones. Durante adhuc Asellorum & Hamorum factione, Isabella Ducissa ad partes conciliandas Harlemum venit pridie festum Willebrordi An. circiter 1404. Nec ita multo post Maximilianus Romanorum Imperator, rebus pæne in Belgio conclamatis, Harlemi Comitia habuit, & commoratus aliquandiu. Et quid attinet recensere omnes eos Comites, qui delicias suas Harlemi habuere, Dianæ cultores venationi deditos. Rex Bohemiæ nostra adhuc memoria multoties in territorio Harlemensi animi relaxandi causa circa vicina nemora & colles venatus dicitur.

Gulielmus Comes XXII.

Epulum instituit.

Adhæc Brederodiorum Domini, non obstante eo quod arcem haberent de *Lata Virga* Brederodiam antiquam Comitis indulgentia, & Cliviæ domum vicinam urbi, tamen aulam & domicilium Harlemi habuere. Nec quosvis Magnates in urbem admisere. Electori Coloniensi denegatum Harlemi hospitium habere aut commorari. An. 1584. Novemb. 15.

Amelia Dei gratia Palatinatus ad Rhenum Comitissa, Bavariæ Ducissa vidua, Brederodii D. Vianæ, Ameidæ, Bergæ, aulam Harlemi habuit, & annos aliquot hic commorata in cœnobio Silensi, quæ ad Palatinatum reversa, Anno 1613. mensis Maii 22.

D. quo-

D. quoque Siddenisci Baro, Magister Equitum, militum Tribunus, militari disciplina celebris quæ est in Belgio, in vico virginū momalium diu est quod habitavit; ubi & uxor ejus obiit, & sepulta in choro templi augusti. Ita Wernerus à Batenburg prçfectus aulæ Palatinæ post discessum Ameliæ Comitissæ, *H*arlemi pedem fixerat propter aëris amœnitatem, & incolarum humanitatem, Brederodianæ ditionis Balivus, domicilium habuit in lato Pomarii vico, ubi consenuit atque obiit, An. 1625. Aug. 28. sepultus *H*arlemi in templo majori. Filius natu maximus, patri successit Balivus, sed matura morte sublatus. Verum alter ejus filius I. C. Philippus à Batenburg certam sedem non habet, cælebs adhuc.

Facere hoc quoque ad urbis nostræ dignitatem videtur, quod indulgentia Comitis Palatini ad Rhenum, Hollandiæ, Zeelandiæ, Bavariæ Ducis, *H*ornanis datum, concessumque Coss. suos & Scabinos Harlemi creare, electione libera. Ita ut Harlemum ab omni antiquitatis memoria Keinheimeriæ totius metropolis habita semper fuerit, & Iustitiæ administrādæ sedes augusta. Potentia autem atque opibus tum temporis nulli civitatum cessit. Nam cum Dux Philippus expeditionem in Flandriam cogitaret cum copiis suis, petente eo à plerisque *H*ollandiæ civitatibus xx. millia Scutatorum, quæ valebāt singula xv. stuferos, ad solvenda militibus stipendia, quæ in præsidiis circumquaque erant, *H*arlemum tum temporis conferebat 4622, Amstelrodamum empor. hodie opulentiss. 2832. Delphi loco tertio conferebant 3305. Lugdunum Batavorum totidem, 3305. Rotterodamum autē 853. Enchuysa deniq; tantū 100. Illustres quoq; hic fuisse familias, tot arces indicant, videlicet Adrichemia, Alckemadia, Assendelphia, Forestia, *H*eemskirchia, Meresteinia, Oostervicana, Poelenburgia, Polania, Schotenia, & plures aliæ. Præter eas fuere & alia Nobilium stemmata antiqua, quæ hic honoris causa inserenda putavi.

Pars altera continens

NOBILIUM STEMMATA.

Nobilium stemmata antiqua.

QUam multi illustres & ordinis Equestris viri fuerint ex antiquissima & nobilissima *H*arlemæorum familia, in principio Annalium meorum memoravi, quos recensuit longa serie popu-

Harlemei. popularis meus Ampsingius ab anno 1124. à Wermboldo & Folberto D. D. exorsus usque ad Iohannem *H*arlemium, qui *H*agæ-Comitis Senator fuit in suprema Curia. Inter eos Iohan. alter *H*arlemius nobilis scutatus, cui ob merita, donata à Comite Florentio iugera aliquot compascua, prope *H*arlemum Betulæ virga indigetata, Berckenroede, *Berckenroedii.* hinc Berckenrodiorum nobilitas prima, & toparchia. Horum stirps intercidit nostra memoria. Postremi fuere Didericus Harlemius à Berckenroeden, qui in arce sua Berckenroedia vixit, *quemq; dedit cursum Fortuna peregit;* discessit improlis & absque liberis: Et alter Hendricus à Berckenroede, qui filiam duntaxat naturalem reliquit. Circa annum circiter 1400 vixit etiam ex stirpe *H*arlemia nobilis heroina, quæ nupsisse dicitur (si tribuenda historiæ fides) Gerardo ab As- *Assendelphii.* sendelff, qui tum temporis nobilitate nemini cessit, equestris Ordinis primario viro. Ita matrimonio copulata duo nobilissima stemmata. Nam Gerardus ille deficiente virili stirpe, domus Assendelphia mutato nomine, stirpem Harlemæam duxit in familiam suam, eamque & scuta ejus, atque adeo omnem successionem hæreditariam transtulit in domum suam, & insignia, matrimonii jure in hunc usque diem præfert. In arce sua antiquissima aulam habuisse dicitur forẽsem, Caninefatium asylum. Assendelphia autem progenies nominis sui ortum habet à dominio Assendelpho pago potente & opulento, cujus rudera adhuc extant. Proxima ab hac stirpe domus Renessia, quæ mascula prole destituta, dominari desiit. Verum his antiquiora adhuc stem- *Brederodior. stemma.* mata fuere & magis illustria Brederodiorum, quos incolas quoque fuisse urbis nostræ, supra memoravimus. Proximum Teylingiorum, qui genus ducunt ab eodem patre. Nam Arnoldum III Hollandiæ comitem tres filios habuisse loquuntur annales; horum natu maximus Didericus, qui patri successit primus ejus nominis Comes; proximus natu minor Sifridus, cui latifundia donata à patre Brederodii nomẽ dedere An. 990. Inter hos natu minimus Simon, cui Teilingianę *Teilingiorum genus.* arcis dominium & toparchia obvenit, prope Warmondam sitę. Hinc Teilingiorum stirps, quæ ad posteros propagata immensa serie fæcunda soboles, cujus genealogiam non inserendam hic putavi, quæ ab anno 1063. cæpit, & derivata stirpium propagine usque in hunc diem perennavit

navit. Ex hoc nobili stemmate (quod præfiscine dixerim) uxor quoque mea multorum liberorum mater Maria Teilingia, Augustini filia, Augustini neptis, eius qui ex Iosina Nyenburgia xx. liberos suscepit utriusque sexus, quorum natu minimus uxoris meæ pater consularis. *H*arlemi etiam vixere ex eadem stirpe oppido pauci, & nostra adhuc memoria Adrianus & Augustinus Teilingii patrueles & professione Medici, quos illi filios reliquerint postea dicturus, si Deus volet. Antiquitate proxima stirps Duvoordia, unde nomen traxerit & genus Chronica indicant antiqua. Stirpis ejus author primus Philippus à Wassenaer, frater D. & toparchæ à Wassenaer, qui in patrimonio suo agros habuit, quos promiscue Duvoorde & Polanen nominabant. Is duos habuit filios, ex filia D. à Stryen: horum minor natu D. Ioh. à Duvoorde: sed natu major D. Arnoldus à Duvoorde equestris ordinis, qui duxit Dom. à Kraijenhorst & vixit Anno 1258. cum Theodorus à Wassenaer avunculus ejus prædium clientale, feudum vocant, transferret, suscepit Florentium D. à Duvoorde, qui ex uxore suscepit filium unum, qui vixit anno 1302. Eodem fere tempore vixit Agneta à Duvoorde, quæ nupserat Gerardo à Raephorst equiti, quæ obiit An. 1355 relicta prole. Eodem tempore vixit quoque Machthilda à Duvoorde Abbatissa Rhenoburgi, quæ obiit An. 1349. Florentius jam dictus fratrem habuit Gulielmum à Duvoorde equitem, qui sagacissimi ingenii vir fuisse dicitur, quod dominia complura, municipia etiam & latifundia emit obærata vili pretio, & se ditavit. Duxerat conjugem Heylwiichiam Vianæ, quæ invita & Iunone sinistra marito nupserat, quod filius naturalis esset. obiit An. 1353. Prætereo alia atque alia nomina, qui à familia Duvoordia genus ducunt; ad propriora venio: quippe fuit in hac stirpe etiam *D.* Iacobus à Duvoorda, in ordinem equestrē Dordraci relatus à Philippo Hispaniarum Rege, An. 1549. Sept. 26. qui primus D. & toparcha Opdami, Heemsbrouchi, & is *H*arlemi obiit nondum sexagenarius, An. 1558. qui sepultus primum in cœnobio Iacobinorum, & cadaver sine honore translatum in templum Bavonis augustum, in choro repositum, ubi ad columnas suspēso de tholo nobilitatis avitæ insignia. Is filium reliquit Giisbertum, qui optime de patria meritus, cum

Duvordia stirps.

Consul creatus à Principe Auriaco, An. 1577, postea Woerdanæ urbi præfectus obiit Anno 1580, sepultus in choro in majorum monumento. Secundus Iacobi Duvoordii filius Silvanus, in Delfflandia aggerum præfectus, & Hollandiæ scutigerulus, Anno 1627. mortuus & sepultus. Tertius Iacobi Duvordii filius Arnoldus fuit à Duvoorde, Balivus Riinlandiæ, qui Leidæ obiit, An. 1610. Iulii 28 die. Hos secutus D. Iacobus à Duvoorde Giisberti filius D. & toparcha in Opdam & Heemsbroeck, popularis meus coætaneus, qui Principi charus, maritimis præfectus in Hollandia Anno 1623 Hagæ-Comitis Sept. 7. Ante hos fuit etiam Iohan. à Duvoorde, chiliarcha & tribunus civium obsidionis tempore, qui uxorē duxerat Corneliā, ex nobilissima Forestiorum familia, qui sæviente maxime Albani Ducis tyrannide, capta jam subactaque urbe, in carcere, cum aliis civibus à spe veniæ exclusis, animi ægritudine & pedore carceris cōtabuit, nobilis anima. Ejus filius patri cognominis cæsus in acie militari in Ericeto Hardenbergensi. *Hæc* stirps Duvoordia titulum familiæ Wassenariæ assumpsit etiam defectu stirpis masculæ. Præterea fuere Duvoordii in Warmondt. Nam Ioh. Duvoorde eques, qui uxorem duxit Mariam à Mathenes, Philippi filiam & D. Mariæ à Wouden & Warmondæ, qui à patre uxoris jure hæreditario utriusque D. & toparcha factus, An. 1525. Superest adhuc unus ex familia Duvoordia, ex nobili & antiqua stirpe, D. Iacobus à Duvoorde D. & toparcha in Heemsbrouck &c. cujus pueritiæ formandæ me præfecerat pater, & vixit mecum aliquot annos, postea in Galliam profectus, & moribus Gallicis humanioribus excultus, in patriam reversus, in gratiam Principis Hendrici sese insinuavit, & patriæ se devovit, secutus aulam & principē ad quamlibet expeditionem miles voluntarius, qui ita se gessit in pace & bello, ut specimina dederit non obscura avitæ virtutis. Ita inter primipilos habitus & nostratium Duces aliquamdiu, postea equitum Magister lectus. Denique seu favore Principis seu merito suo ad Heusdæ præfecturam evectus, adhuc superstes.

Scotenicum familia.

Scoteniorum familia, quæ nomen ducit à Scoten nobili vico suburbano in territorio Harlemæo, antiquitate vix ulli cedit; Nam Theodori cujusdam, qui nobilis scutatus, fit mentio in Chronicis, Anno 1163. In hac

familia

familia plures spirituales quam militares personæ fuere. Nam inter Præsides Iohannitarũ, Commendatores vocabant, Anno 1405. D. Gulielmus à Schooten primus: Deinde iterum, Anno 1428. D. Gerardus à Schooten: Et fere decennio post D. Nicolaus à Schooten. Et plures alii sacris initiati tam Canonici quam sacerdotes. Iisbrandus autem à Schoten Balivus Keinhimeriæ, qui obiit An. 1525. Cui successit Gerardus à Schoten. Fuit etiam in hac familia Iohannes à Schoten, qui uxorem duxerat Corneliam ab Egmond, Equitis & toparchæ in Kenẽburg sororem, qui sedem Harlemi habuit, atque obiit sepultus in æde S. D. Iohannis: nec ita multo post filius ejus Iacobus à Schoten Anno 1616. Ex eadẽ stirpe Gerardus à Schoten civium arma ferentium signifer; ex quo prolem non suscepit, viduus obiit, & sepulta cum eo avitæ nobilitatis insignia. Adhæc ex eadem stirpe Magdalena, Maria, Scoteniæ nobiles fæminę, quarum altera (quod memorabile) obsidionis tempore per cãcellos ferreos speculatrix globo tormentario icta concidit. Hæc familia antiqua quamvis intercidit, destituta stirpe mascula, ædes tanta familia dignas habuere in vico lacteo.

In Bronchorstiorum familia ordinem ducit Otto à Bronchorst Dynasta, qui Iacobum Iacobi à Bronchorstiorum familia genus ducere asseverabat, & data ad fidem dextera pro cognato habuit, Anno 1446. Proximus successor Gulielmus à Bronchorst ex equestri ordine, balivus in Putten, Anno 1508. uxorem habuit Ewoldam à Mourmont, ex qua suscepit filios duos, Andream & Iustum, qui Prætor fuit, Anno 1519, si annalium constat fides. In hac stirpe immensa nepotum & pronepotum series, usque ad Laurentium Bronchorst equitem & toparcham in Werckendam, qui duxit Annam Zegers à Wassenhoven, & postea secundis nuptiis Annam à Chamay. Et nostra adhuc memoria Lambertus à Bronchorst Toparcha in Schoot, (qui vicus paludosus) qui obiit Anno 1628. Is reliquit filium hæredem proximum Giisbertum à Bronchorst D. & toparchã in Schoot, qui in monumento illustri majorum suorum conditus quiescit in pace. Cui successit Gulielmus filius D. & toparcha in Outdorp, qui adhuc in vivis. Schageniorum familia illustris quoque; nam originẽ habuit à D. Gulielmo, qui naturalis Alberti Bavariæ Ducis, Hollandiæ Comitis filius

Bronchorst. famil.

Schageniorum familia.

filius, quem ex D. Maria Bronchorstia susceperat: is primus D. & toparcha Schagæ, quæ in agro Veronensi, arcem condidit, circa annum 1440. Et rebus gestis clarus: Nam & eques creatus in bello adversus Frisones, fuit architalassus Hollandiæ, præfectus arcis Medenblicensis, idem à cubiculis Ducis Philippi, qui eum (ut sic dicam) legitimavit: bis Hierosolymam adiit, quietis impatiens, mortuus provecta ætate, Anno 1473. Viderat (quod ratum) Comites V. Uxorem duxit Alitham D. Ioh. Hoodenpylii filiam, ex qua suscepit D. Albertum Schagen, successorem proximum, & D. Ioh. Schagen: duxit & alteram Mariam à Polanen, inde filii & posteri & nepotes longa serie. horum varia fortuna: inter eos Iohannes & Iisbrãdus à Schagen Prætores urbani fuere, non simul sed successive, circa annum 1511. in pace vixere: Verum infelici sidere natus visus est Christophorus à Schagen, qui obsidionis tempore, in platea regia vulgo dicta, ædes avitas inhabitabat magnificas; infelix legatus, qui ab Ordine amplissimo, dissentientibus aliis, Amsterodamum missus ad Don Fredericũ, cum parvam gratiam inivisset apud suos, statim captivus abducitur: ad Principem Auriacum Delphos delatus, in carcere exspiravit, dubium utrum morbo aut veneno exstinctus fuerit. Is reliquit tres filios, Iohannem, Iisbrandum & Florentium à Schagen fratres germanos: quorum primus militaris Dux obiit, qui uxorem duxerat Mariam de Mathenes: alter uxorem duxerat Duvenvordiam Heroinam, ex qua susceperat Christophorum à Schagen, qui non relicta prole discessit. Tertius Florentius, qui vitam cælibem egit, apud Ordines Generales stipendia meruit gloriosa, signiferi & Ducis titulo. Verum Gerardus à Schagen, obsidionis Harlemeæ tempore, ictu tormentario cecidit, cui Lemi sub mænibus altis Contigit oppetere. Et novissime requievit in pace ex eadem familia D. à Spengen, qui ædes habuit in vico vinearum, tumulo illatus majorum suorum in templo augusto Bavoni sacro Anno 1601, D. Veenhuysen Curiæ Holland. præses, Harlemi natus. Nec obscuram *Vlietiorum familiam* fuisse testantur annales, ab An. 1204. quæ à D. Hermanno genus ducit, stirpis ejus authore: qui parricidii conscius Florentii Comitis, Fratrem habuit D. Gerardum à Woerden, qui metu fratris fuga quoque se subduxerat, & latita-

Vlietii.

latitabat. Ille Gerardus jam dictus, agrum Vlietanum hæreditario jure possidebat, unde Vlietorum nomen. Postea innocentia fretus, reversus ad suos, in gratiam rediit cum Comite, An. 1302. Nepotum & pronepotum immensa series. Verum inter omnes fulsit D. Iohannis Vlietii Heroica virtus, qui Harlemianæ obsidionis tempore virum se præbuit generosi animi, qui ob id magnæ authoritatis fuit apud cives, ad clavum reipubl. Consul sedebat, de patria nostra optime meritus, consilio & armis, rebus fortiter gestis adversus Hispanum clarus inprimis, terror hostium, murus civium, qui in numero eorum, quos alibi diximus fuisse LVII, qui à gratia generali exclusi, captivi in carcere detinebantur, læsæ majestatis rei; miraculose è vinculis evasit, deposita veste consulis, assumpta molitoris. Is fratrem habuit Antonium à Vliet à majorum virtute non degenerem, qui in vico Vulcanio Penates habuit. sine liberis discessit, sepultus Harlemi, & omnia nobilitatis insignia cum eo. Nec excludendi à cohorte nobilium Blosii pater & filius: Quippe Casparus à Bloys, qui Prætor, postea Balivus fuit, & aggerum præfectus Brielæ: Ejus maximus natu filius Ioh. de Bloys, sæviente Albani Ducis tyrannide, securi percussus, una cum fratribus Batenburgiis, propterea quod inter confæderatos nobiles ad unionem nomen dedisset: filium præterea habuit Gulielmum Bloys, Hollandiæ pariter & Zeelandiæ archithalassum, & postea nemorum in Hollania præfectum, qui filiam duxit Ottonis ab Egmondt D. & toparchæ in Kenenburg, qui inter plures liberos reliquit Casparum de Bloys, qui propter fidem in patriam egregiam Brielæ præfectus. Longi operis esset stemmata omnia nobilium antiqua investigare propagata per stirpes, eaque ab ærugine vetustatis vindicare. Sed quis nescit Sparnæ accolas? unde Sparnwoudana familia, quæ domicilium habuit in vico Aethiopissæ, Iisbrandus à Sparwou consul capta urbe. Inter Bekesteinios illustri familia natos Ioh. à Bekesteyn maxime inclaruit, quem virtus atq; eruditio ad summum honoris gradum subvexit, qui præfectus ærario diu quæstor, dein Prætor; tandem Consul, pater patriæ. Mitto Alckemadios patrem & filium adhuc superstites, prætereo Duynios, Cornelios & Hendric. à Wamelen

Blosii. *Sparnwoudani.* *Bekesteinii.* *Alckemadii.* *Duynii.*

cum tota familia, quos in numero nobilium ſemper habitos accepimus. Atque hæ fere noſtratium nobilium familiæ, quarum multæ interciderunt; deſtitutæ virili ſtirpe, quædam injuria tẽporum, & bellorum ſævitia; pleræque, quibus aulica vita magis placuit, aut militia, quam civium negotiantium tumultuoſa commercia, Hagam ſe contulere aut Leydam. Ita ut hodie nobiles in noſtra civitate oppido paucos invenias. In Teilingiorũ familia, duo adhuc fratres ſuperſtites, Iohannes & Cornelius à Teilingen, tertius non ita pridem obiit columen familiæ: hi quidem antiqua ſtirpe nobiles, ſed humiles animæ, & minime ambitioſæ. Item Gul. Bronchorſtius, qui adhuc in vivis, cui bene latere, bene vivere eſt. Adhæc Florentius ab Alckemade, qui uxorem duxit Goedelam, ſtirpe *H*arlemia antiqua oriundam, qui filium adhuc habet *H*ẽricum ab Alckemade, Hend. Berckenrodii nepotem, ſpem ſtirpis Alckemadiæ. His accedũt nobiles alii antiquitate commendabiles, & virtute bellica clari, qui in expeditione Peluſiaca, cum Gulielmo eius nominis primo Comite in ordine Comitum XVI, bellicoſæ virtutis inſignia reportarunt à rebus fortiter geſtis *H*inc Sinapiorum ſtemma, qui in ſcutis ſuis trigeminam clavam minaci dextera circumferunt. *H*inc Caſſio-fragi, *H*elmbrekers adhuc hodie, qui ſublato inter cæli nubila brachio galeam diſrumpunt: hinc ab heroica defenſione nobilitata ſtirps Verweerẽ, malleo militari ferrato minax: hinc ſtemma Coddæorum ceſtris & ſecuribus Amazoniis illuſtre: hinc carina illa qua vectus pater Cogmans. Nec involvendus ſilentio colus, qui ſcutatos nobilitavit: Nec trigemina ſpicula, & totidem ſtellæ, quæ familiam Halſiorum illuſtrant. Ita tribus ſagittis Wiſſemiorum virtus inclaruit, & antiqua Beetſiorum familia morſu nobilitata eſt. Denique leo candidus atque argenteus in campo cæruleo ſtirpem à Loo indicat, quam illuſtrem fecit Iacobus à Loo in expeditione Peluſiaca; nec eorum nomina poſtea interciderunt, temporum vetuſtate, qui genus à Loo ducunt. Nam Anno 1349 in Chronicis fit mentio Iacobi à Loo, & Anno 1416. Petri à Loo, cui filius Simon à Loo, quem Scabinum fuiſſe, Anno 1475. litteræ indicant publicę, qui uxorem duxerat Agatham à Wiſſen, cujus majores in expeditione quoque Peluſiaca fuerant. Et quotquot ex ea ſtirpe, patritii omnes fere.

Stirps à Loo antiqua.

Simo-

Simones inprimis à Loo, & filii eorum, qui aut Scabini fuere, aut Coss. thesaurarii etiam ab an. 1475. usque ad annum 1500. *H*inc rursum Gulielmi à Loo Scabini fuere, & consul unus ejusdem nominis, Anno 1510. Et an. 1528. vixit Iacobus à Loo patritius, qui uxorem duxerat Annam vander Laen, ex qua filium suscepit Nicolaum à Loo, juris licentiatum, qui & uxorem habuit Corneliam Velserman, Anno 1558. Ita propagata stirps à Loo, fecunda sobole, in hunc usque diem, in quo superstes adhuc sera posteritas avitæ virtutis D. Iohannes à Loo vir consularis & filius ejus Iuris Licentiatus, qui Scabinis à secretis adhuc est & bene audit. Sed redeo uude digressus sum, longum esset tam accurate scuta & insignia recensere omnia, quæ ab Oriente reportata æterno virtutis *H*arlemeæ monumento. *H*ujus historiæ fidem nonnulli in dubium vocarunt: quæ à majoribus quasi per manus tradita nunquam intermoritura, quam celebratam adhuc me puero memini, cum imagines bacillis circumferret pubes Harlemia, bellicas, victoriæ Pelusiacæ indices, in singulos annos ipsis Kalendis Ianuar. qui mos inveteratus, & sæcula aliquot observatus, tandem exolevit. Hactenus stirpe & virtute nobiles dixi: Nec tacenda eorum nomina, qui obsidionis tempore virtute bellica, & rebus fortiter gestis clari Duces, tã cives quam militares. Inter hos fere ordinem ducit, Ioh. à Duvenvoorde jam dictus & legatus ejus à duce proximus, Arnoldus Iunius: fuit & alter Iunius re & nomine Gerardus Iunius, qui ipso obsidionis tẽpore triremi præfectus, ad lacum vicinum tutandum adversus Bossu, infeliciter pugnavit primo militiæ tyrocinio. Postea rebus fortiter gestis ad summos honores militares evectus, cum civitati Lochumiæ, Cnotsenburgo & novissime propugnaculo Schenckii præfectus, ubi & gloriosa morte occubuit, Anno 1595 Sept. 27. Nec non fratres Schatteri duces quorum alter Didericus in expeditione Batenburgica cæsus occubuit. Itẽ Hendricus Ioh. Tysius, cui patriæ sub mœnibus tormento icto contigit oppetere. Adhæc Iacobus Bernardi, Iacobus Bartholomei Pelicanus, qui in pedore carceris exstincti. Item Michael de Wael, qui defunctus extremis adversus Hispanum periculis, in suspicionem hæresios cum venisset apprehensus à Foppenio prætore, sed à civibus obviam venientibus, ereptus è manibus,

tanquam

tanquam agnus è lupi faucibus difficulter evasit. Præter hos Petrus Vlasman glande plumbea ictus occubuit, Anno 1573. die 27. Ianuarii. At Gerardus Schoten nobilis civis, & Petrus Ioh. Raedt, Petrus Iohannis architectus, Theodorus Braesseman globo tormentario extincti simili fato. Nec excludendi civium fortissimorum cohorte, Gerardus vander Laen, qui relicto Sparendamo expugnato ab Hispanis, cum Michaele duce & commilitone, cum summo vitæ periculo evasit, Deo sospitatore; cum Martinus Pruyssen, & Nicolaus Berchout à duce proximus ibi caderent. Nec te tacitum relinquam Lancelote Brederodi, qui Scoteniæ capite truncatus nobilis victima. Quique aliis ad virtutem bellicam signa sustulere, Franciscus Cornelii Cousebandt, Gerardus Petri Ruychaver, Iohannes Theodori Schatter, Nicolaus Theodori Hasselaer, mortem pro patria oppetierunt.

O terque quaterque beatos
Queis ante ora patrum Lemi sub mœnibus altis
Contigit oppetere,

quique innumerabiles alii de plebe cives. Nec fraudandi honore suo externi Duces militum auxiliarium. Inter hos palmã meruit D. Wiickhaldus Ripperda, gubernator urbis, invicti animi heros, nobilitatis Frisiæ illustre jubar, & legatus ejus Ludovicus Gandavensis, qui una securi percussi, Anno 1573. Iul. 16. Virtute bellica proximi Hieronymus Tseraes legatus à Principe, & militum præfectus non è multis. Item Nicolaus Houtiin Vlissingæ gubernator, Nicolaus quoque Beaufort, inter militares vir fortis ac juxta prudens, qui cum Toparcha à Vliet, Steenbachio, Pelicano, Cornelio Matthei ad hostium castra feciales missi ad fædera paciscenda. Cum Bordet nobilis Gallus, qui invicti animi Tribunus militum, ne in hostium manus veniret, a famulo suo multum recusante & abhorrente a parricidio, interfici se imperavit, glande plumbea trajectus in culcitra se reclinavit moribũdus, & invocato Dei nomine, extremo spiritu animam efflavit. Feliciores illi qui exstincti in prælio nõ inulti. Qualis N. Derdeyn cum suis, qui eruptione omnium periculosissima & acerrima, cæsus in castris hostium, Anno 1573. die 25. Martii. Nec degeneres a majorum virtute Germani fuere, inter quos Christophorus Gunter, Christophorus Vaderus, qui virtute bellica clarus, civẽ duxerat

-rat nobilem Mariam Scoteniam, nec non Iacobus Steenbachius. Lambertus Wirtenbergensis, qui novissima Hispaniarum oppugnatione glande plumbea ictus, non ita multo post exspiravit, Margottin cohortis prætoriæ præfectus, tentata in hostium castra excursione, glande plumbea trajectus. Item Martinus Pruys, Schram Brunsvicensis, Ioh. Bebekot, Germani omnes, bene de patria nostra meriti. Inter Wallones præcipui fuere propugnatores, N. Rosoni, qui Scoteniæ capite truncatus, An. 1573. Aug. 18. cum eodem ipso die XVIII. tam duces quam signiferi capite mulctati, cruento spectaculo. Quique alii *D*uces, Summado Anglus, Ioh. Kuningam Scotus, aliique complures, quorum nomina in Annalibus sera leget posteritas. Et soluta jam obsidione pacata repub., quiescere non potuit mens ignea *H*ermanni Hellingii, qui gubernator Harlemi, magni animi heros, stratagemate callido Amsterodamo insidias parabat, Ruychaverio & Francisco Circourt consciis, sed infelici successu. Ita pœne nullâ ætas fuit, quę non habuit militari gloria claros cives: hos inter Nic. Harlemius, qui parva militium manu *H*asseliam cepit. Nicolaos victores

Anno 1582.

populi, alterum à Diick, alterum vander Leur, Oostenda adhuc hodie loquitur, qui milites gregarii, per omnes militares disciplinæ gradus grassati, præesse aliis meruerunt, quod Epitaphio alterius inscriptum legimus:

Arma puer gessi primis inglorius annis,
Sed peperit nomen dextra, fidesque mihi:
Lustra decem implevi, Dux & virtute Tribunus
Glorior Oostendæ sic potuisse mori.

Inter militares non postremus Iac. Augustini Steyn, rebus fortiter gestis clarus, qui tandem in prælio Steenvicano glāde plumbea ictus occubuit. Mitto jam Gulielmum & *H*ieronymum a Paenderen patrem & filium tam strenuos, quam bellicosos, & innumerabiles alios. Adhæc longum esset narrare Archithalassos, navarchos & duces maritimos, inter quos vel ordinem ducit Heemskerckius, qui etsi Amsterodami non Harlemi natus, tamen eum inter nostratium duces ponendum censui, quod uxorem duxit *H*arlemi natam & educatam, ex illustri Coltermannorum familia, tam nobili heroe dignam, qui post varias expeditiones maritimas globum Terræ circuit, & terras alio sub Sole jacentes revelavit, cum

Heemskerckius Archithalassus.

Anno 1597, viam aperuit Aquilonem verſus ad novã Zemblam, ubi nulla unquam hominum veſtigia, cum Chinæ inveſtigandæ ſtudio, comitante Gulielmo Bernardi, ad LXXX. & noviſſime ad 76. gradus cœlum dimenſus, terram petiit, ubi exſtructo tugurio cum ſuis hibernavit, deſtituti Solis lumine & die menſes III. Exinde Indiam Orientalem adiit archithalaſſi titulo honorifico, famæ ſtudens, ſcrutator orbis etiã non habitabilis. Tandem obſervata occaſione rei bene gerendæ in *H*iſpania cõvocatis ad colloquia Ducibus, conſilia aperuit ſua, & ſimul 25 Aprilis cum tota claſſe vela direxit ad Gibraltarram vulgo dictam, ubi claſſis hoſtium, cui præerat Ioh. Alvares d'Avila imperator, heros ſtrenuus, & rei maritimæ peritiſſimus. Nec diu cunctatus Heemſkerckius Archithalaſſio inflari claſſica jubet, &ſimul in hoſtium claſſem ſigna & roſtra navium ſuarum convertit, & ad pugnam provocavit: prælio inito accendit animos ſuorum, facto ſimul impetu in navem Prætoriam, quem ſecutus ſtatim Dux Lambertus Pulcher, aliique ſervato ordine complures, qui horrendo tormentorum boatu utrimque, impediente proſpectum fumo, ſtragem dederunt formidabilem. In hoc conflictu & prælio navali *H*eemſkerckius terror hoſtium cecidit: tibiam ſiniſtram læſus, ſuos ad virtutem Batavicam hortari non deſtitit, dein invocato Dei ſalvatoris ſui nomine in armis exſpiravit. Non obſtante eo Duces cæteri, claſſici & ſocii navales quaſi in furorẽ dati, hoſtium claſſem ita tædis piceis ardentibus infeſtarunt, ut quo ſe reciperent non haberent. Tandem victoria potiti multo ſanguine feſſi, quieti ſe dabant & vota ſolvebant armipotenti Deo. Epitaphium herois noſtri exſtat Amſterodami in templo memoriæ ſacrum.

Hunc ſecuti ejuſdem ordinis alii atque alii. Nam Anno 1611. menſe *D*ecemb. obtinuit ab Ordinibus, datis etiam à Principe Mauritio litteris, ſigillo obſignatis, adſtipulantibus rei maritimæ præfectis Amſterodami commorantibus, ut expeditionẽ in Guineam pararet Iacobus Adriani Clantzius, titulo præfecti generalis naves aliquot procuraret, navem unam bellicam triremem inſtrueret, liburnicas duas, adhæc navem alteram ad victũ & commeatum, nec non Epibatas & claſſiarios, ita juſſus ire in Guineæ oras aureas, idque in eum finem ut propulſaret omnẽ vim

Iacobus Clantzius Archithalaſs.

à no-

à noſtratium navibus qui ibi negotiantur, & mercaturã exercẽt emundis vendundiſque, & commutandis mercimoniis, & recta petere locũ juſſus de Morè vulgo dictum, & ſeſe inſinuare in gratiam Regis iſtius loci *Sabou*, illi cauſas adventus exponere, pacem offerre, & miſſum ſe dicere exhibitis litteris, appenſo ſigillo ad fidem, ad tuendas Belgarum naves, qui in iſtis partibus commercia habere aſſueti, & ſeſe in mandatis habere à rerum *Domi*nis patribus patriæ, non obnitente rege *Sabou* propugnaculũ exſtruere, ad præſidium adverſus hoſtium & barbarorum incurſiones. Ita impetrata venia à rege iſtius loci condendi propugnaculum, auxiliares petiit à ſingulis Mercatorum navibus Epibatas aliquot & Claſſiarios, *Periculoſæ plenum opus aleæ*, ſumpta audacia, quam pro muro habebat, aggreſſus. E veſtigio impacto in terram ligone Iacobus Clantzius Præfecti filius, hortante patre ſignum aliis ſuſtulit & manum operi admovit, non ceſſantibus ſociis navalibus. Difficile dictu quanta alacritate opus illud inchoaverint, & quanta celeritate molem tanti propugnaculi perfecerint, nomen ei datum Naſſovicum propugnaculum. Exſtructa arce, libera ibi commercia; navigatio minus periculoſa, commeantibus hinc inde Mercatoribus. Succeſſus tam felix & ſupra votum occaſionem dedit repetendæ expeditionis in terram pretioſo metallo fætam. Ita poſt annos aliquot pari auctoritate & dignitate qua ſupra Guineam repetiit, Anno 1616. Novemb. die 6. ibi aliquamdiu commoratus cum laude, domum ſoſpes reverſus, Patriam gazis opulentis ditavit, & æternam nominis ſui memoriam reliquit. Iacobi Ruychaverii fortuna memorabilis quoque, qui vulgari provincia non contentus, ad majora aſpirabat, non humilis anima, quæ cœlo intenta & cœlorum motori Deo, primum peregrinandi ſtudio captus, ita ſe ſubmiſit, ut ærarius ſcriba mercaturæ ſe totum dederit, & ſpecimina complura rerum quæ ad mercatum pertinent expediendarum, quibus ſeſe inſinuavit, in gratiam eorum qui *xix.* numero rebus maritimis præſunt, ut oblata ei provincia tam lucroſa, quam honorabilis fuerit. Ille provinciam non aſpernatus, ad iter ſeſe accingit, & in Mercatorum numerum receptus, navigationis & mercaturæ director renuntiatus. Ita Anno 1639. vergente ad Autumnum æſtate navem conſcendit Cameli imagine

conspicuam, & Guineam petiit auro affluentem, qua delata tandem, & ex præscripto superioris potestatis 5. Martii ad S. Georgii fodinas vela dedit, & 19. Decembris appulit. Ubi & menses complures cum sociis navalibus commoratus, lucro & quæstui intentus rem fecit. Interim Arnoldus Iacobi Amsterodamēsis, præfectus classis generalis, morbo epidemio correptus decubuit septimanas aliquot, qui decumbens in lecto 26. dies, tandem ex viventium numero sublatus excessit v. Ianuarii die Dominico, plangentibus sociis navalibus. Illi cum parentassent & justa solvissent Præfecto suo Generali, Senatus habitus, quem indixit Don Antonio Florada, qui oratione habita in obitum Arnoldi Iacobi jam dicti, author fuit, ut in locum defuncti, alius eligatur & substituatur, suffragantibus viris xix, exigente illud necessitate, cum diu vacare locus ille non posset, propter negotiorum molem & difficultates, quæ incidere indies possunt. Præmisso igitur juramento nihil se facturos aut decreturos contra datam fidem & bonum publicum, itum ad suffragia quæ schedis papyraceis involvebant: collectis suffragiis compertum D. Iacobum Ruychaver omnium calculo dignum judicatum, qui rebus maritimis & negotiis præesset, Anno 1641. Ianuar. 18. die. Ille provinciā non invitus suscepit, & talem se præstitit, qualem decuit Præfectum Batavum; Qui tanta moderatione & prudentia functus officio, ut omnibus gratum se præberet, nemini gravis. Mercaturæ promovendæ prima ipsi cura fuit, militiæ altera, cum Anno 1642. Ianuar. 8. delectum habuit, tam navium, quam naviculatorum & epibatarum, missis navibus per omnes Guineæ oras & tractus; nunc ad propugnaculum de Nassou, nunc ad S. Georgii fodinas subterraneas, nunc ad propugnacula Axem aut Chama, ubi negotiabantur Mercatorum Commissarii; nonnunquam in oras Africæ, cum omnis generis merces, corallium, cassiam, saccarum in magna abundantia, Brasiliæ lignum, artes manuarias seu manu facturas cōmutabant. Ad hæc magnam auri & eboris vim convasabant. Nam An. 1643. unus Navarchus 806. libras auri & 29501. eboris, præter alia quæ in pretio habentur, reportabat. Ita nihil intentatum reliquit Iacobus jam dictus, toto illo tēpore quo in Guinea Præfectum egit. Exacto jam septennio, rebus prospere gestis, de discessu cogitavit, Patræ, conjugis

jugis & liberorum desiderio captus: Ita tandem impetrata à XIX. viris dimissione, in Zeelandiam appulit, ubi summa gratulatione exceptus dicitur, & in Cameram introductus eorum, qui expeditionis istius authores fuerant. Cum eo appulere naves divitis Guineæ gazis graves. An. 1646. Mart. 21. Ibi Præfectus jussus à supremis rei maritimæ potestatibus auro onustas naves exonerare, & omnis generis merces exponere: id mandatum Cocquio cuidam & Fulloni fidis ministris, qui auri milliones aliquot in medium attulere, tum merces alias atque alias, cistas & arcas complures saccaro redundantes, tum lignum Brasiliense æquato pondere. Defunctus illa in Guineam expeditione, tam utili quam honorifica ad suos in patriam sospes rediit, uxore in amplexum mariti, liberis in amplexum patris ruentibus, gratantibus amicis.

POLITIA HARLEMIANA.

LIB. V.

QUalis autem Politeia Harlemi fuerit ab ipsa urbis conditæ, ut sic dicam, infantia, eam rudem fuisse & tenellam supra attigimus, lib. 1. At qualis ea hodie sit, & ab aliquot retro seculis, porro dicturus.

Hollandia in Civitates & pagos divisa; singularum Civitatum cura penes Magistratum & Senatores semper fuit, quibus ea potestas data in suo territorio, Decreta & statuta secundum leges & consuetudines condere, abrogare. Nam proprium Magistratus munus dixit Tullius, intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, & fidei suæ commissa meminisse. Sunt enim Magistratus ejusmodi personæ, qui in dignitate civili & reipub. administratione constituti, titulis honorificis à Deo ipso in sacris insigniti, qui Dii in terris & à curæ similitudine Patres, à tutela Pastores populorum dicti. In quibus hoc optandum maxime, ut Magistratus obtemperet legibus, subditi Magistratui. De Magistratu nostro exstat Alberti Comitis edictum, neminem ad Magistratum aspirare potuisse, nisi qui in album civium oppidanorum re-

latus esset, exacto prius decennio, & in ære haberet C. libras annuas. Magistratum autem gessere tam Coss. quam Scabini annui, & cum iis Senatores perpetui fere, sine ullo salario aut emolumento, perquam exiguo: horum Coss. supremum habent jus in cives; quibus hoc potissimum commendatum veteri formula, curare nequid respublica detrimenti capiat. Iustitia administretur, tam in caussis civilibus, quam criminalibus. Prætores tam urbani quam suburbani, partim qui urbanis rebus, partim provincialibus præessent: qui publico accusatorũ munere funguntur, & jus dicunt, singuli habent suos assessores. Aggerum præterea, & silvarum præfecti saltuarii. Adhæc Curia suprema quæ jam Hagæ-Comitis, ad quam datur provocatio. Præterea D. Ordines tam generales quam particulares, penes quos summa authoritas: horum caput Hollandiæ & Zeelandiæ gubernator, cui credita semper fuit disciplina militaris, electio magistratus præmissa denominatione; delictorum capitalium remissio, quæ supremæ potestatis signa sunt, qualis Comitum semper stante & vigente repub. Verum Comitum tempore creandi Magistratus non una praxis. Nam cum Margarita Hollandiæ Comitissa nupsisset Ludovico Bavariæ Duci: cumque Gulielmus Margaritæ filius Dux Bavariæ & Hollandiæ Comes esset jure successionis, Anno 1355. ab eo tempore Coss. & Scabini creati, ratificante semper Comite. Postea Anno 1430. tam Coss. quam Scabini creati inconsulto Comite, perinde ac si electio libera penes Ordinem amplissim. fuisset. Ut à Politia civitatis nostræ magis inclarescat, totum reipub. corpus bifariam dividam in Magistratus & subditos; unum genus eorum qui reipub. præsunt, qui imperant; alterum eorum qui parent. Eorum qui reipublicæ præsunt, non unum regimen: aliud enim Politicum, aliud Ecclesiasticum, tertium militare, quartum œconomicum & Pædagogicum. Ad regimen Politicum pertinent Prætores, Coss. Scabini & Senatores. Inter hos eminet Prætorum dignitas, & Consularis potestas.

PRÆTURAM in honore semper habitam apud nostrates, etiam testantur annales, quæ tanto apud Quirites in honore fuit, ut omnes eos, qui Magistratum gererent, honoris causa Prætores appellarent, postea Patres. Sed quo tempore L. Sextus, primus ex plebe consul, Furius Camillus primus *Prætoria dignitas.*

primus Prætor urbanus (qui jus in urbe diceret) creatus est: Postea crescente imperio, capta, subactaque Sardinia, aliisq; provinciis, electi quoque qui jus peregrinis dicerent: Et postea totidem Prætores, quot provinciæ in ditionem Romanor. venissent, creati. Prætorum autem magna auctoritas, par potestas, quos à præessendo dictos Livius existimat, Varronis sententia à præeundo quasi prętitores appellatos, ex vocis etymo conjicit, propterea quod præirent jure & exercitu, penes quos, omnis publici privatique juris potestas fuit, ut & novum jus condere, & vetera abrogare iis facultas esset, quod jus honorarium appellatũ, quo respexit Poeta,

Verbaque honoratus libera Prætor habet.

Prætores. Prætorum, etsi magna authoritas, tamen semper limitata potestas fuit, quippe civium neminẽ vocare in judiciũ Prætor potest, nec in civilibus, nec in criminalibus, inconsulto consule, neque remittere delictum, neque absolvere reum, neque componere cum quoquam potest pendente lite, sed exspectandum illi usque dum pronuntiabunt sententiam Scabini. Prætores in republ. nostra fuisse ab aliquot retro sæculis liquido constat, sed qui illi, quos prætura dignata est suprema potestas, in publicis tabulis non habemus: præterquam quod pretoris cujusdã fit mentio, qui pro ea qua pollebat authoritate, vicarium postulavit atque obtinuit, Substitutum vocant. Anno 1476. Verum illud in primis memorabile, atque adeo novum & inauditum, quod an. 1479. IV. numero Coss. quorum nomina habemus, prætorem egerunt, diviso imperio. Singuli ad trimestre tempus pretura functi, exorsi à primo consule, qui erat Gerardus de Visscher, secundus Iohan. à Schoten, & post eum Ioh. Petri Hals, item Ioh. à Schagen. Sic Anno 1484. Iacobus ab Assendelff de consule Prætor factus, qui in foro pro tribunali sedens jus dixit, Anno 1492. Iul. 10. Quo tempore Albertus Bavariæ dux Saxoniæ, mutato Senatu, mulctatis civibus prætorẽ quoque urbanum creavit ultimo die Maii, ut sontes puniret, & conspirationis reos in jus vocaret, Anno 1498, de quo dictum est ante pluribus verbis. Didericus Spiicker Thesaurarius cum esset, prætor creatus est, & pro tribunali jus dixit, An. 1511. Iul. 27. Prætor itidem fuit Iisbrandus à Schoten, An. 1516. Nec ita multo post Ioh. à Schagen, qui relevari petiit annua pensione,

pensione, & impetravit. Item Iustus Bronchorstius prætor An. 1519. April. 22. An. 1521. Sept. 3. Franciscus ab Hoochstraet. At Anno 1524. Octobr. 2. Prætor Ioh. ab Alckemade. An. 1527. Octob. 2. Casparus à Treslonge prætura functus, qui continuavit Senatum, supremæ Curiæ mandato, exacto pro more juramento, & absente prætore D. Assendelphio in arce Assumburg juramentum datum, An. 1548. Gualtherus à Bekesteyn cum ærario publico præfuisset annos aliquot, Anno 1536. Prætor creatus, is qui in Ordinem amplissimum recipi, & ad arcana reipubl. admitti instanter petiit, sed nihil obtinuit, obstante votis privilegio. Idem Vicarium petiit, substitutum vocant, sed repulsam passus quoque; An. in Iul. 1552. Tandem pertæsus Præturæ ad consulatum evectus Anno. 1559, in quo acquievit. Meynardus ab Heussen, mulctarum exactor rigidus, adversus eos, qui vectigalia fraudassent. Augustino de Witt Swollensi à D. Coss. suffragante Senatu præturæ dignitas delata, quam ille gratiis actis non admisit, minime ambitiosus. Anno 1556. Eum secutus proxime Petrus à Soutelande, Anno 1566. Iul. 19. Gerardus Berchout prætor electus, lege constrictus, ut tertiam duntaxat mulctarum partem in usus suos verteret, partes reliquas in pauperes, certis conditionibus prætor, An. 1570. Mart. 4. Quem secutus Iacobus Foppenius, qui sub initium reformationis, tempore persecutionis Albanæ, Catholicæ relligionis tuendæ prætextu, rigidus hæresios vindex, qui ob id civibus invisus, etiam cum vitæ periculo. Ejus rei illustre exemplum Michael de Wael & uxor ejus Geertruda Egberti, qui jam ante biennium in suspicionem hæresios venerant apud eos qui Catholicæ relligionis tuendæ zelo immoderato incaluerant. Cum Michael de Wael maritus Geertrudæ Egberti forte incidit in Foppenium prætorem ad Sparnam prope pontem piscatorium; quem cum vidit, suspicatus se peti, explicato pallio prætori sclopo curto minatus dicitur, veritus ne sibi violentas injiceret manus. Ut qui se delatum ad prætorem jãpridem intellexerat, quod inter præcipua capita rebellionis, & novi cõsistorii in ædibus Theod. Chondropei habiti diceretur. Ita prætor jam dictus Michaeli de Wael injecit manus, & comprehensum per vicum Sparnæ proximum medium inter lictores deduxit. Et cum ingens civium comi-

Iacobus Foppen prætor.

comitantium, baiulorum, vietorum & ſtructorum frequentia, & populi concurſus prætorem circumſiſterent, qui ante domum Hendrici cujuſdam Appel pauliſper moratus, raptum intra limina, tabulata conſcendere juſſit fremente turba. Et invaleſcente tumultu rumor ſpargitur, Michaelem de Wael Geertrudæ maritum in homines factioſos incidiſſe, manus conſeruiſſe ad vim propulſandam, etiam periclitatum de vita, niſi opem auxiliarem tuliſſent amici cives: quod ita eum excepiſſent, ut ſtrangulare eum aut interficere in animo habere viderentur. Quo nuntio ita perculſa & conſternata Geertruda, ut derepente relicta domo, in pedes ſe daret, peteretque locum illum in quo maritum eſſe & detineri dictitabant. Iamque ad pontem piſcatorium delata, turbam vidit ruentis populi; percontata quid rei eſſet, reſponſum tulit, Michaelem de Wael vi cõprehenſum tanquam maleficum, & in domum quandam in proxima vicinia ſitam introductum, & ad contignationem ædium ſuperiorem raptum ad pœnam. Fidem fecit ita ſe rem habere civis quidam, qui ex ædibus ſe ſubduxerat citato curſu, Deumq; atque homines conteſtatus, de vi conqueritur, & Michaelem de Wael in vinclis ad ſupplicium rapi. Audito mariti nomine Geertrudis Egberti ita excanduit exanimata, ut pudoris matronalis oblita, curſu contenderit ad ædes fratris ſui, qui in propinquo habitabat: illa correpta ſcala juvantibus aliis, & erecta ad feneſtras ædium ſuperiores, tectum petebat irrito conatu: Nam erectam aliquoties ſcalam lictores repulerunt, & tandem ſurſum ad ſe pertraxerunt. Et cum opem ferre marito non poſſet, ita exacerbata partim dolore, partim indignatione, ut humi collapſa jam animam agere & exſpirare jam videretur: ſed reſuſcitato tandem ſpiritu domum reverſa, ſenſim ad ſe rediit, ſolantibus amicis; & nuntiantibus maritum jam liberatum, animos ſumit. Verũ ut ſe vindicaret Foppenius prætor; non ita multo poſt ex ſeditioſis civibus duo capitis ſupplicio affecti. Dein Geertrudam tanquam ream citat; quod marito patrocinata contra jus, faſque, & ad ſe in Curiam venire coëgit: juſſitque ut bona fide rationem daret, & quantum ſementis aut frumenti in granario haberet, profiteretur; gloriatus ſatis arroganter, poteſtatem ſeſe habere confiſcandi bona ejus, popterea quod maritus ejus Michael de Wael vim publicã minatus, pro-

ducto è sinu sclopo. Vix ultra limen Curiæ pedem intulit Geertruda jam citata, cum apprehẽdi eam jussit, & deduci in locum infamem, Curiæ culinam vocãt. Nec ita multo post Prætor assumpto Scabino, ad ædes captivę se contulit, & lictores suos, in possessionem bonorum ire iussit, & græcari; non obstante eo, quod fidem interposuerat Adrianus Nicolai consobrinus ejus, ærarii olim præfectus: & quod pejus adhuc & deterius multo, seras omnes reserari iubet, illisa in terram arca. De vi questus fidejussor, nec Prætorem jus habere hoc modo procedendi palam dixit, cum illa quæ civis esset, mulctam incurrere majorem non posset, quam LXXX florenorum, pro quo interponere etiam fidem paratum se dixit. Et rogatus sententiam Scabinus, desistendũ ab instituto contendit, & referenda ea ad Senatum: sed surdo fabula. Nam Prætor insanientis in morem suo periculo arcam effringere se dixit, ita dispersæ per pavimentum capsulæ, per fas & nefas prædæ inhians, persuasus, maximã pecuniæ vim in scriniis reconditam latere, quod negotiator esset, & bynopœus. Verum ne his quidem placare potuit irã implacabilem & sævitiam immanem, Minatus insuper carcerem propudiosum, atque inamabilem, facinorosis destinatum, non honestis viris, nedum matronis. Hæc atque alia ingerentibus amicis, & intercedentibus pro ea viris bonis, & juxta honestis, quod ægra esset, & cerebri imbecillitate laboraret, qui vel liberandam carcere, vel judicio sistendam, dato fidejussore contenderent, sed exorare eum non potuere: reddito hoc responso, nec informationem se paratam habere, nec posse se captivam demittere, inconsultis supremis potestatibus. Tragœdię hujus hic primus actus. Postea instituit actionem adversus Geertrudam prætor, qua ad torturam rapi eam instanter petebat. Audita conclusione prætoris Iudices, ut de veritate constaret magis, in diẽ Veneris proxime sequentem judicium suspenderunt. Ita Scabini consultis super ea Coss. postulata prætoris repudiant, additis mandatis, ut captivam judicio sisteret, & causa disceptaretur ex æquo. Sed Prætor aggravare indies crimen, cum Adrianus Nic. consobrinus ejus, cæterique amici, & consanguinei, consilii inopes, ad Deos tutelares se verterunt, cæterosque Hollandiæ Curiæ Senatores, dato ad Præsidem libello supplice uno atque altero. In priore hoc obtinuere, ut

ut Curia ſuprema ad Prætorem litteras daret, ut Geertrudam captivam relaxaret, aut judicio ſiſteret. Tantum abeſt, ut mandato Curiæ obtemperaverit Prætor, ut eam relegaverit ad carcerem infamem illum qui eſt ad portam D. Iohannis, intercluſo omni aditu, ut nec ſororibus, nec fratribus aut fratrum liberis acceſſus daretur, nulla ratione habita, quod ægra & valetudinaria. Et cum torturas, & querelas in carcere audiret indies lamentabiles, periculum erat, ne in malum gravius incideret, quæ domeſticis cõmoditatibus & ſervitio famulari aſſueta, tolerare non poſſet incarcerationem tam infamem & atrocem, ut quę ſceleris nullius ſibi conſcia eſſet, niſi quod juſtiſſimo dolore, & piiſſimo affectu fidei conjugalis, ad opem marito in tanto diſcrimine ferendam ſeſe obtuliſſet. Sed intercedentibus diebus aliquot, ceſſante Prætoris officio, ad Iuſtitiæ thronum amici & conſanguinei provocant, iterato libello ſupplice, & matronam illam ut vinculis vel relaxarent aut judicio ſiſterent; dato fidejuſſore; viſa quoque hæc juſta petitio. Verum Prætor cauſari alia atque alia, moras nectere, donec tandẽ litterę Comitis Boſſuvii, qui Gubernator generalis, ſupervenirent, quæ pondus addiderunt Majeſtatis regiæ auctoramento ſubnixæ, ferente litteras atrienſi, ut ſi Geertrudæ illius delictum criminale eſſet, judicio eam ſiſterer prætor, ſi civile, dato fidejuſſore relaxaret. Quibus impetratis Adrianus Nicolai tribunus olim ærarii, & cum eo Nicolaus Ioh. Capito ſanguine proximi Geertrudæ Egberti quę in carcere, eo rem deduxerunt, ut adſtipulante Senatu, poſtero die prætor Geertrudam judicio ſiſteret. Ibi tum prætor crimen exaggerare, capitis ſupplicio afficiendam edicto regio contendere, hæreſios ream inſimulare, flagitans ut ipſa cauſam diceret, non juvante patrono. Senatus audita cauſa, collectis ſuffragiorũ calculis, in hæc verba ſententiam pronuntiarunt: Iniqua Prætoris poſtulata, amicorum æquiſſimam petitionẽ. Ita reſumpta aliquoties cauſa in Camera conſulari, præſente Rooſveldio & Mazio Coſſ. & Scabinis omnibus, offerentibus amicis & conſanguineis, inprimis Adriano Nic. olim Theſaurario, & Nicolao Ioh. in ſubaurato capite fidejuſſionẽ. Et ecce dilata denuo cauſa eſt, quaſi ſubeſſet gravius crimen, non dierum aliquot comperendinatione, ſed ſpatio menſium aliquot, quo reſumpta cauſa, pe-

tentibus Geertrudæ amicis Prætoris postulata scripto mandari, ut ad ea Geertruda Egberti filia peremptorie responderet, non abnuentibus Coss. qui præsentes aderant, præter Mag. Quirinum Consulem, & præter Scagenium & Rollandum Scabinos, VII. Kal. Nov. Prætor igitur serio agere jussus, actionem instituit, postulata scripto mandata exhibuit, plenaria addita informatione, facta hac conclusione, commeritam eam cui gladio caput amputetur, ad Decreti placitum contra hæreticos; & adversus eam procedendum, usque ad confiscationẽ bonorum eius; aut ad correctionem criminalẽ, aut mulctam civilem redigatur, nullo admisso patrono. Aulus Loevenius cum Adriano Nic. & Nicolao Iohan. & Iohanne de Wael propinquis & consanguineis proximis contra instare & urgere, ut causam agere liceat in judicio per patronos ad amicorum arbitria. Audita causa Iudidices & Scabini, in eo consenserunt, ut Prætor postulata proponat præsente captiva, illa ut ad placitum, unum pluresve patronos eligat ad sui defensionem & patrocinium. Aulus una cum cæteris amicis & cõsanguineis submisse petit relaxationem captivæ per modum provisionis, offerentibus sese ad fidejussionẽ amicis, ad Iudicum arbitria & placita. Petitionem subsecuta pronunciatio in hanc fere sententiam: D. Coss. cæterique Senatores visa informatione, cæterisque munimentis & probationis, & actis notarialibus exhibitis, per modum provisionis relaxandam censuere, idque beneficio cautionis interponendæ, data ad fidem dextera, ut quovis tempore à Prætore citata personaliter compareat, sub pœna Confessi & Convicti, adhæc cautione interposita c. librarum Flandricarum. Spondebit insuper Geertruda jam dicta, quæ adhuc in vinculis pendente lite, sese extra urbis pomeria pedem non elaturam, & habituram urbem pro carcere sub eadem mulcta. Prætor jussus diem dicere supersedit. Cum Adrianus Nic. præfectus olim ærarii, & Nicolaus Ioh. sub capite inaurato, ut cõvenerat, fidejussores fierent Geertrudæ Egberti, data Prætori ad fidem dextera, eodem die soluta vincula. Illa quasi postliminio ad suos reversa, multa adversa passa, movente nova semper Prætore, patientiæ se dedit & bonæ menti; quamvis octiduo post citata denuo, sed non convicta, innocentiæ testem Deum invocat memorem fandi atque nefandi, scelerum

rum vindicem. De Agatha Iafses quæ narrant cives, tam horrenda quam ſtupenda.

Arnoldo Dordraceno nondum capta urbe præturæ jus datum, adempta compoſitione cum delinquentibus, quibus nullus gratiæ locus, An. 1571, April 25. Prætor capta jam urbe, Vincentius Iacobi, Civibus non minus inviſus, ſæviente tum maxime tyrannide Hiſpanica, quam Foppenius fuit, qui graviter vulneratus à militibus, obiit An. 1573.

Prætoris Sebaſtiani fatum tragic.

Eum ſecutus ex nobili familia Sebaſtianus Craenhals ab Hottinga, cui graſſante ferocia militum in parte Boreali Hollandię, decreto Ordinum demandata provincia Satrapæ oppido periculoſa, ut milites deſertores & ſcurras erroneos obſervaret, & in delinquentes animadverteret. Is ratione officii cum XII. ſatellitibus & miniſtris ſub finē Iulii rus profectus, Velſemiam, Bavarovicum, alioſque pagos prętergreſſus ſub veſperam Bergam delatus, primo ab Alcmaria lapide, ubi in prædio pro more ſuo pernoctabat apud Petrum Ioh. villicum ſuum. Poſtero die, primo diluculo Schoreliam petiit cum toto ſatellitio, relictis duobus duntaxat, qui equorum curam haberent: ipſi diverſi milites obviam venere, nunc bini, nunc terni, nunc quaterni; plures etiam, à quibus omnibus & ſingulis, more militari libellum dimiſſionis exegit, mox ſupervenientibus aliis atq; aliis idem fecit: qui diploma à Duce ſuo non haberent, eos ad præſidia ſua ire juſſit. Quorum quidam non inviti; quidam coacti ibant cum indignatione: quibuſdam liberum fecit irent, quo vellent, cum hoc mandato ſemper, ut colonis parcerent, & à latrociniis abſtinerent. Cum Schoreliæ aliquandiu fuiſſet, in villam ſuam divertit, ſecurus periculi, prandii tempore. Cumque jam cum villico ſuo menſæ accumberet, ecce de improviſo ſupervenit militum manus, circiter LXXX aut plures etiam, quantum conjicere licuit, qui excitato horrendo clamore, vitra primum grandine plumbea infeſtarunt, quaſi ſigno dato ad cædem, vociferati *her*, *her*, trucidate; ubi, ubi hoc ſcelus quod nos affligit, & perſequitur? Id cum audiſſent ſatellites ejus, trepidi in ædes interiores ſe receperunt, periculum denuntiantes, & præſens exitium. Satrapa id cum ſenſit, per poſticum oſtium fugam capit corporis tuendi gratia, quem ſtatim furore perciti, & cientes ad cædem clamorem, perſecuti ſunt, & ſtatim aſſecuti, eum gladiis confoderunt, & ite-

ratis ictibus crudeliter confecerunt: ille implorata semel atque iterum divina misericordia, subito exspiravit, defixis in cœlum oculis. Lustrato postea cadavere, comperta vulnera duo de triginta, ita eodem pæne fato, quo Cæsar ille in Senatu Romano exstinctus. Perpetrato tam atroci scelere & parricidio, ad prædam se vertere, abacorum & scriniorum claustra effringere, quælibet utensilia secum rapere, nihil intactum relinquere. Pecunias etiam quas secum habebat ad mercandos equos, excusso sinu, & femoralibus, abstulerunt: Adhæc cimelia quædam ex auro, & numismata antiqua de meliore nota, quæ circumferre pro delectamento habebat, spoliarunt. Ita Sebastiani ab Hottinga Prætoris exitus plane tragicus, cujus cadaver & viscera concisa in partes Harlemum deportata. Hunc secuti Albertus Raephorst, Casparus à Bloys, & nostra adhuc memoria meliore fato, Nicolaus Ruychaverius, & post eum Nic. Zuycker, qui indulgentior visus in Pontificios, exauctoratus dicitur. Quo tempore Præturam ambiit Block, sed obtinuit civibus magis gratus Corn. Teilingius. Denique qui adhuc in vivis Iohannes Scatter, de consule Prætor. Ad Præturæ dignitatẽ quæ faciunt; veterũ annalibus consignata, ab anno 1479 perpetua successione, ad nostra tẽpora, hæc fere sunt. Sequitur jã Consularis potestas proxima imperio. Ita consulum electio penes Principem aut gubernatorem fuit, aut Curiam supremam, absente Principe, penes quos directio ordinaria, & imperium in quibuslibet rebus politicis, tum administratio bonorum civitatis, & redituum, quibus salus publica, civitatis incolumitas, civium tutela credita, unde formulæ istæ apud Romanos usitatæ, laborante repub. darent operã. Coss. *Ne quid respubl. detrimenti caperet.* Coss. munus seu officium est, jura civium & oppidanorum tueri, & patrocinari civitati, chirographa, privilegia, jura, prærogativas defendere, tueri. Prætori in omnibus causis & rebus dominium Comitis concernentibus, laboranti succurrere, opem ferre, eum consilio juvare. Convocare Scabinos, & exigente id necessitate Senatores: In deliberando modum ponere, rogare sententiam, colligere suffragia, & ex iis conclusionem facere, eam in camera pronuntiare, aut Syndico pronuntiandam dare, itidem causas forenses publicitus proclamare. Nota, Nemo ad consulatum admissus,

Consularis potestas.

missus, nisi qui sexennio ante in album civium asscriptus esset.

COSS. Coss. & Scabinos fuisse à multis retro sæculis, ex superioribus satis constat, & testantur acta publica, ab ipsis Scabinis consignata, sed nomina eorum pleraque intercidere, & têporum injuria ad nostram memoriam non pervenere. Scabini hujus civitatis, coss. etiam præter solenne juramentum jurare cogebantur, se omnes leges & consuetudines, antehac institutas, aut deinceps instituendas omnibus modis defensuros, & ad eas stabiliendas & observandas operam daturos: qui facere id detrectarent mulctarentur summa LX. librarum. Ad Scabinos, suffragantibus Coss. causarum cognitio pertinet, item documenta, judicata quæ de civibus & bonis eorum pronuntiata; correctio item & pœna omnium delictorum, quæ commissa intra urbis mœnia. Ad Prætorem exsecutio pertinet, conferente ad id authoritatem Comite. Item penes Scabinos potestas illa & auctoritas, una cum Prætore statuta condere, leges figere atque refigere bono publico. Verum ab Anno 1430 & sequentibus; qui Magistratum gesserint in hunc diem, tabulæ indicant publicæ: in quibus hunc ordinem observavi in eligendo Magistratu, quod initio Coss. IV, & Scabini VII. eligi soliti. In hac serie ordinem ducunt Consules, Meinardus Nicolai. Ioh. vander Laen. Nicolaus Pellegrom. Iisbrandus à Schoten. Scabini VII. puta Iohannes Iacobi Put, Bartholdus ab Assendelff, Pet. Gerardi Bennebroeck, Ioh. Nicolai van Dâmen, Ioh. Diderici Tymans, Ioh. Gulielmi Claess. Florentius Martini. Eodem ordine & numero Scabini electi usque ad annum 1449. Quo tempore electi seu eligi cepere, qui ærario præessent. Thesaurarii IV. Harperus Forestus, Gerardus Stephani, Florentius Egberti, Nicolaus de Vries; manente eodem numero usque ad annum 1501. cum duo tantum electi, Fredericus Iacobi Deyman, Petrus Ioh. Raedt. Tâdem unus sufficere visus, qui ærario præesset, jam dictus Deyman, Anno 1510. Cui successit Gualtherus Bekesteyn sine collega, Thesaurarius in multos annos, qui tandem abdicationem petiit Anno 1542. Dein alii atq; alii, Gul. Ramp, Adrianus Nicolai, dein Corn. Berckenroede, qui obiit anno 1583. qui singuli ærario publico præfuerunt, omnium diutissime nostra memoria Gerardus Ruychaver, in quo Catonis severitas, virtus Scipionis,

Scabini VII.

Thesaurarii.

nis, qui à Senatu Romano vir optimus judicatus. Hodie adhuc duos habemus, quibus pecuniæ publicæ creditæ, videlicet Cornelium Guldewagen, & Gulielmum Buys, quorum alter vir consularis, alter aliquoties Scabinus.

Consulum numerus varius. Coss. IV. primum fuisse jam dixi. Verum An. 1501. creati coss. duo Didericus Potter & Gerardus à Schoten, regis *Hi*spani auctoritate datis ad Curiæ Hollandiæ Præsidem litteris, manentibus ad tempus iisdem Coss. At quadriennio post Triumviri creati ad consulatum, Gerardus à Schoten, Franciscus Gerardi, Petrus Iohannis Raedt. Et rursum Anno 1510. electi Coss. alii, numero tres, Gulielmus à Loo, Hermannus Egberti Ramp, Gerardus Adriani. Itaque, quod ad antiquitatem facit, Coss. initio IV. fuere ab an. 1430, usque in hunc diem, postea bini, mox terni, sed numerus quaternarius mansit per multa sæcula & adhuc obtinet per omnes fere Hollandiæ civitates, Dordraco excepto, ubi unus Consul duntaxat, quem secures comitantur, imperii imagine. Scabinorum hic idem numerus semper fuit, mutatio fere perpetua, & electio anniversaria ad arbitrium Principis, aut Gubernatoris, quovis anni tempore. Senatorum nulla mentio in tabulis pub. ante annum 1560. Aug. 27. Nomina eorum habemus longa serie: Gulielmus Hermanni Ramp. Didericus Iac. de Vries, Bartholomeus Iacobi, Petrus à Dorp, Cornelius à Beresteyn, Ioh. Andreæ, Cornelius Timanni, Ioh. Adriani Lou, Gualtherus à Rolland, *P*et. Freder. Deyman, Didericus Nicolai, Stephanus Theodori, Hendricus à Wamelen, Iisbrand. Berckentoo, Franciscus Ioh. Kies, Ioh. Iohan. tinctor, Anno 1571. Coss. M. Quirino Theodori, M. Gerardo à Ravensbergen, M. Theodoro Ramp, nec non consule Nic. vander Laen. Anno 1572. tempore satis periculoso Consules Didericus de Vries, Nicol. vander Laen, Iohannes à Vliet, Gerard. Hend. Stuyver. Verum hi exauctorati, & electi à Dom. Aldegonde, Harlemi, ex mandato Principis Auriaci, Coss. alii, D. Ioh. vander Vliet, Nicolaus vander Laen, Gerardus Stuyver, Petrus Kies, & VII. Scabini. Anno 1572. Decemb. 9. capta jam urbe Coss. fuere Iohannes Zurenus, Philippus Mazius, Hendric. à Wamelen, Iisbrandus à Sparwou. Verum Anno 1580. Novemb. 9. in numerum Senatorum electi in perpetuum *XXX*. Patritii

Senatores.

tritii omnes. Denique per libellum ſupplicem, petiit Magiſtratus à Principe Auriaco, ut Senatum numero ampliaret, & pro xxiv. Senatoribus xxxii. haberent, quod & impetrarunt. Ita demum creati iv Coſſ. Ioh. à Vliet, Nic. vander Laen, Adrianus à Berckenroode, Gulielmus Theodori Deyman. Scabini vii. Mr. Ioh. Zurenus, Matthæus Steyn, Cornelius Riiken, qui obiit An. 1595. octuagenarius, itẽ Iohan. Nicolai Gael, Gerardus Ruychaver, Gulielmus à Paenderen, M. Petrus Blanckeroort.

Senatorum numerus.

Senatotes xxiv perpetui. Didericus de Vries, qui obiit, & in locum ejus ſurrogatus Gerardus vander Laen. Petrus Kies, qui obiit v. Februarii, An. D. 1594. M. Hugo Bol, qui obiit eodem anno, non die; cui ſucceſſit Ioh. Colterman Keinheimeriæ quæſtor. Item Petrus Gulielmi Bal, Arnoldus Petri Deyman, Iacobus Iiſbrandi, Petrus Iiſbrandi Oly, is obiit quoque, & in locum ejus ſurrogatus Hendricus Vechteri pharmacopœus, Ioh. Bartholomæi, Gul. Iuſti: Prior ille defunctus, locum dedit filio ſuo Iacobo Iohannis. Egbert. de Iong, Petrus Gulielmi Zythepſa, Iiſbrandus Hageman, Cornelius Gerardi Eeffs, Mr. Egbertus Hendrici, Ioh. Schatter, Cornelius Vechteri, Ioh. Marci, Arnoldus Meinardi Fabricius, Sim. Schoten qui propter ingraveſcentem ætatem emeritus, Gerardus Schooterboſch, qui repentina morte obiit Hagæ Comitis: item Iohannes Matthæi, in hoc ordine ampliſſimo tum poſtremus. Ab hoc tempore ea lex poſita, ut vii. Septemb. die in electione cõſulum viii nominarentur, ex quibus Gubernator Auriacus eligere quatuor ſolitus, aut abſente illo, aut commorante extra provinciam, à Supremæ Curiæ Senatoribus: At x. die, dato juramento confirmandi. Similiter duodecimo Sept. in electione Scabinorum xiv. duplicato numero, ex quibus eligendi vii. juramentum daturi 14. Sept. Electio datur libera, vel ex Senatu, & ordine ampliſſimo, vel ex civium numero, qui patritii, aut honeſti & bene nati, vitæ inculpatæ. Atque hi fere qui præeſſe reipub. conſueverunt; juvant in parte qui à penſionibus, à ſecretis, quorum illi Syndici, hi Secretarii vulgo dicuntur, Syndicorum magna dignitas, quod prudentia & eloquentia fere cæteris antiſtant, qui (ut dicam ita) oracula civitatis habentur, quique cum Scabinis jus dicentibus in judicio una jus dicunt, quod & nomen ipſum

Senatores xxiv

Electionis tempus.

Syndici.

Syndici indicat, quorum potissimum munus, suadere, dissuadere quod ex usu reipublicæ videatur. Patres consilio labantes consilio subacto juvant. Syndicis nec leges ponere aut positas abrogare, nec oppidanorum quemquam in jus vocare, neque hic, neque alibi concessum. Eos in quavis repub. in honore habitos omnes norunt. Verum quis in repub. nostra primus fuerit, non ausim dicere. Certum est à multis retro annis Syndicos hic fuisse. Nam Magistrum Ioh. Brielanum Harlemi Syndicum fuisse, Anno D. 1518, tabulæ indicant publicæ. Et post eum Anno 1523. Mag. Lambertum, & Mag. Quirinum Anno 1531. Mag. autem Cornelius ab Alckemade ad Syndicatum vocatus, An. 1559 mense Octob. qui obiit an. 1566 septennio post, cum vidua ejus post mortem mariti, dimidium salarii peteret, quod obtinuit etiam, qui pro salario habuerat tantum CL. libras Flandricas, & quando in Comitia irent Coss. aut Senatores, præter viaticum stuferos sex. hunc secutus Mag. Adrianus ab Assendelff, Anno 1568. Novemb. die 3. Defuncto eo, Syndicatus (ut sic loquar) vacavit 31 annos, ab anno videlicet 1570 ad annum usque 1603. quo tempore vocatus Mr. Ioh. de Haen, qui in collegio rerum maritimarum per annos aliquot à secretis fuerat, qui post annos XV. verso rerum cardine, & mutato reipub. statu exauctoratus, latuit & vixit privatus, annos aliquot. Id factum Anno fatali 1618. In cujus locum surrogatus vir clarissimus Aegidius de Glarges D. & toparcha in Esslems, qui & Academiæ Lugdun. curator fuit. Et vivente adhuc eo ingravescente ejus ætate indies magis, fatiscentibus corporis viribus (discessit enim octoagenarius) D. Coss. & Senatores D. Advocatum Reulium virum apprime doctum, & quem Curia habuit consultissimum, qui prudentia juris inprimis & orationis Suada cæteris antistabat, humanissime sollicitarunt, ut operam suam addiceret titulo Syndici Harlemianæ reipub. quod & factum, cujus virtute adhuc hodie gaudemus. A Syndico proximi Secretarii, qui ad secreta Curiæ admittuntur & archiva, tanquam ad arcana Cereris, quique acta publica in tabulas referunt, suffragiorum puncta colligunt, rationes subducunt, litteras publicas obsignant. Illorum in nostra repub. fere tres Ordines sunt. Primi qui Coss. à secretis, Senatus consulta in codicem referunt. Dein Scabinis

Secretarii.

nis in judicio adſunt medii Ordinis, acta forenſia in tabulas redigunt, & jura Civitatis obſervant, codicillos, & cauſarum indices, & chartas ſervant. Tertio ſunt etiam qui Cameræ pupillari operam impendunt, quæque ad tutelam orphanorum faciunt accurate obſervant. Eos fuiſſe ante ſæcula, & adhuc eſſe nemo neſcit. Clerici antiquiſſ. illi qui ad noſtram memoriam pervenerunt tres, qui pro ſalario tum temporis 30. florenos habuere, Anno 1503. Et poſt eos Mag. Lambertus Iacobi filius ſalarium habuit XVI. florenorum dũtaxat & pro toga pecunias annuas. Anno 1515. Iacobus ab Eyck, qui Cameræ conſulari & pupillari inſerviebat, ſalarium lautius habuit 70 flor. Ita paulatim aucta ſalaria: Nam Anno 1523. Martino Borrio, Lamberto Roſet, & poſtea Iohanni de Grande & Gerardo Ioh defunctis, luculenta ſalaria Secretariis obtigerunt, Anno 1558 inprimis & Anno 1562. Adriano Steynvort, Coornhartio, de Raet, aliiſque. Verum hoc memorabile, quod collegæ tres XXXVI. annos in eodem collegio una fuerunt, triga fratrum. quorum primus Michael à Woerden, qui ſæpe cum Coſſ. aut Scabinis ad Comitia profectus pro Syndico: Alter Adrianus Gulielmi, qui ad ſecreta publica admiſſus, An. 1578. integerrimæ fidei homo, & minime ambitioſus, avitæ modeſtiæ imago. Tertius M. Theodorus Spiicker virtutis & probitatis rarum exemplar. Hi ſine jurgio aut querela tot annos vixere trigemini fratres. Hos anteceſſere Ioh. de Waert, cui ſucceſſit & in cujus locum ſurrogatus Michael Woerden. Theodorus Volcardi Coronard, vir acris judicii quadriennio ante obſidionem provinciam deſeruit, ſuſpectus hæreticæ opinionis. Anno 1568. & verſo reipub. cardine D. Hugo Steyn, non remotus, nec longævus. His ſubjiciam qui adhuc hodie in vivis Secretarii, Iacobum Benningium, & Iacobum Steyn, filium conſulis & affinem, qui in Senatu auguſto (quod rarum) vocẽ habent; Proximus D. Loo juriſconſultus, Conſulis filius. Tertius Iacobus Boſveldius; cujus pater Cameræ pupillari pœne L. annis operam impendit, qui ſupervixit CLXXXX. Cameræ pupillaris præfectos, quorum pauci adhuc in vivis. cui ſucceſſit tandem Hillebrand. Warmont conſulis filius. Nec prætermittendi hoc loco minorum cauſarum Commiſſarii, qui levioribus non magni pretii negotiis, hoc eſt, cõtroverſiis, ſum-

Minorũ cauſarum commiſſarii.

mam quinquaginta florenorum non excedentibus, ad sublevanda Coss. & Scabinorum onera & negotia instituti. Anno 1613. Triumviri primum, dein IV. viri, nunc V. viri. Inter Triumviros primi Petrus Nicolai ab Hoorn, Iohannes à Napels, Nicolaus Crabbemos in biennium. Anno autem 1618. ingravescente negotiorum mole IV. viri componendis litibus, idonei electi Gerardus Iacobi Hulfft, Simon Francisci Bogard, Petrus à Dorp, Cornelius Schout, Abrahamus de Block, continuata IV. virorum serie usque ad annum 1645, cum electi quinque crescente republica, videlicet Mag. Iohannes Everswiick, Gulielmus Fabricius, Theodorus Theodori Del, Egbertus Warmond usque in hunc diem; horum Secretarius primus fuit, Petrus Ruychaverius, qui in camera minorum causarū XVI annos à secretis fuit, cum ei successit Iacobus Benningius Anno 1628. qui cum aliquandiu secretarii munere honorifice functus esset, ad secreta consularia qui admitteretur dignus judicatus. In locum ejus subrogatus tertius secretarius Michael à Limmen Anno 1642. Et tandem vacante loco ad secreta minorum causarum vocatus Salomon Cuysart, dignus qui ad altiora promoveatur. Atque hæc fere sunt ad Politejam seu regimen politicum quæ spectant. Ad Ecclesiam venio, & ecclesiasticum regimen: sine quo respub nulla diu stetit, cum ad rempublicam stabiliendam nihil prius, nihil antiquius, quam imbuere hominum animos relligione aliqua, & Deorum metu; quod bene intellexit Numa Pompilius II. Romanorum rex, qui ipsis regni auspiciis, in id incumbendum sibi existimavit, ut sacra, ceremonias, omnemque cultum Deorum immortalium doceret, cum Pontifices, Augures, Salios cæterosque per sacerdotia distribuit sacrorum antistites, in id intentus, ut feroces & bellicosos Romuli nepotes, ad mansuetiorē vitæ cultum adduceret; atque hæc omnia quasi monitu Deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Iustitia enim stabilita, quæ virtutum omnium causa recte dicitur, relligionis cura proxima. Transeo igitur ad regimen Ecclesiasticum, & eos qui sacris præsunt, quibus à Magistratu honos proximus, ut qui optime de genere humano, de republica merentur. Qui sacris præsunt sacrorum antistites, communi nomine Seniores dicuntur. Sed Seniorum in primitiva Ecclesia Apostolica duo genera, unum genus

Secretarii.

Regimen Ecclesiasticum.

Seniores eorū 2. genera.

1. Tim. cap. 5. vers. 17

nus eorum qui maxime laborabāt in ſermone & doctrina, quos Preſbyteros appellat Apoſtolus, &duplici eos honore dignos deputat, qui Euangelium prædicabant, divinorum myniſteriorum interpretes, & ſacramenta adminiſtrabant, diſtincto munere ab iis, qui in ſermone non laborabant, adjutores duntaxat laborante Eccleſia conſilii inopia. Horum officium peculiare, quod Eccleſiæ curam gerant, eamque regant ac gubernent una cum verbi divini miniſtris. Ex quibus recte colligimus, ſecundi Ordinis Seniores, cum verbi divini diſpēſatoribus, unum facere collegium, in modum Senatus Eccleſiaſtici, qui repræſentat univerſam Eccleſiam. Ita ut munus Seniorum præcipuum ſit, una cum verbi divini miniſtris, curare nequid Eccleſia detrimenti capiat, obſervare quomodo ſe gerant, qui Chriſto nomen dedere: adhęc an vitam inſtituant profeſſione Chriſtiana dignam: monere etiam ex verbo Dei, qui diſſolute vivunt, ut melius vitam inſtituant, ad ſe redeant, & reſipiſcant: præcavere inſuper ne Sacramenta à Chriſto inſtituta profanentur. Curare ut diſciplina Chriſtiana ſarta tecta conſervetur; hoc dare operam, ut erroneos in rectam viam reducant, obſtinatos gladio Spiritus tanquam fulmine feriant, contumaces regno Dei excludant qua tales, reſipiſcentes in ſinum Eccleſiæ recipiant, cæleſtis aulæ quaſi Cluſii & Patulcii, clavium poteſtate. Verum proprium Seniorum, qui ordine inferiores, munus, id dare operam, ut decenter omnia & ordine fiant, ad ea attendere, quæ incidere poſſent, quæ ad decorum & Ordinem Eccleſiæ parum facerent: adhæc verbi miniſtros conſilii inopes, conſilio juvare, adeo quibuſcunque in Chriſto fratribus etiam ſolatio ſubvenire. Tertium & præcipuum eorum munus eſt, in id incumbere, ut vitæ pariter & doctrinæ circa miniſtros rationem habeant, id inprimis curent, ut omnia ad ædificationem Eccleſiæ referantur, invigilent ne lupi in ovilia Chriſti ſeſe ingerant: atque ut idoneos Seniores ſe declarent ad munus illud recte obeundū, dabunt inprimis operam, ut verbum Dei ſacris litteris cōſignatum diligenter evolvant, & in ejus lectione, & meditatione aſſidua myſteriorum fidei ſeſe exerceant. Tertium munus in Eccleſia pauperū cura, quod neceſſitas docuit. Nam cū in primitiva Eccleſia, aliquandiu eleemoſynarum & ſacri ærarii cura penes Apoſtolos fuiſſet; qui creſcente *Diaconi quomodo instituti.*

evidenter Apostolorum numero, cum Ecclesia incrementa sumeret indies majora; suborto etiam murmure & cavillatione inter Græcos & Hebræos, quod vidui eorum despectui haberentur in ministerio quotidiano; conquesti aliquoties onus ministerii ingravescere indies magis & pauperum curam; data jam occasione Apostoli illi penes quos suprema auctoritas, vocata ad concionem discipulorum multitudine & societate, fratribus authores fuere, propter rationes jam dictas, ut dispicerent viros idoneos, qui eleemosynis præessent, & curam pauperum haberent. Ita electi Diaconi solenni ritu.

Episcopi. Sed quoniam Episcoporum quoque in sacris litteris fit mentio, de Episcopis hic pauca subjiciã, cum sedes Episcopalis posteriori ævo Harlemi fuerit, quod ad honorem nostratium pertinere visum. speciosum enim in oculis hominum, & plenum dignitatis Episcopi nomen. quod agnoscit quoq; D. Paulus 1. Timoth. 3. vers. 1. *Fidus hic est sermo, si quis Episcopatum appetit, præclarum opus desiderat.* indicans, Episcopatũ, hoc est, verbi divini ministerium, non otiosam dignitatem, sed opus tam præclarum quam arduum. Verum Episcopi nomen, si vocem spectes, late patet, quod & vocis indicat Etymon. Quid enim Episcopus aliud significat si vocis Etymologiam spectes, quam inspector, observator, explorator? quo respicere etiam D. Paulus videtur, cum jubet ministros Dei attendere ad se ipsos & totum gregem, in quo Spiritus S. constituit Episcopos. I.C. Episcopos appellant ædiles Cereales, qui panificio præerant, cæterisque rebus venalibus quæ ad victum pertinent. Episcoporum quoque Arrianus meminit; quorum munus erat, observare, quid in unaquaque regione fieret, ut cognita ad reges rerum dominos, & Magistratus suos referrent. Fuit & Magistratus Atticus Prætor Episcopus, qui mittebatur ad quævis oppida, quæ sub imperio & ditione Atheniensium erant, explorandi causa cum jus diceret. Ita in omnibus disponendis moderandisque spectatorem interfuisse Phidiam refert Plutarchus. Ita Dii denique malorum & bonorum Episcopi dicuntur, quos nihil fugit, qui cuncta vident, qui cuncta tuentur. Verum Episcopi nomen ad sacra & functiones Ecclesiasticas translatum eadem significatione. De Episcopatu honorifice loquitur D. Paulus, quos ad pascendam Ecclesiam Dei datos innuit, quam proprio san-

Ad Philippens. Cap. 1. sanguine acquisivit Servator noster. Omnes Dei servi, & mystici gregis pastores, ministri Christi, mysteriorum divinorum dispensatores tales sunt; quibus æqualis potestas cum Episcopis & aliis Dei servis data, sed ad ædificationem, non subversionem.
1. Tim. Cap. 3. vers. 1. & 2. Ita ex his satis cōstat, quod presbyteri, pastores, verbi divini præcones, Seniores, qui laborant in sermonis efficacia, & doctrina, cum Episcopis promiscue habentur. Neque enim purpuratos illos aut infulatos Episcopos, agnoscit Ecclesia Apostolica. Externa illa non requirit D. Paulus:
1. Tim. Cap. 3. vers. 2. ad Tit. Cap. 1. sed alias virtutes, quas longus recenset. Vult enim & oportet Episcopum virum esse bonum, & ut sic dicam perfectum, inculpatum, tanquam Dei dispensatorem, unius uxoris virum, hoc est, castum & pudicum, vigilantem, sobrium, compositum, hospitalem, & quod caput rei, aptum ad docendum, tenacem & fidelem ejus sermonis, qui ad doctrinam facit: præesse etiam eum vult domui suæ & familiæ cum authoritate, & liberos continere in subjectione cum omni honestate: Adhæc bonorum amantem, temperantem, justum, pium, atque adeo omnibus virtutibus præditum, quæ cadere in hominem Christianū possunt.

Et ut omnibus virtutibus Episcopum ornatum vult, ita ab omni vitio purum: detestatur enim percussores, contentiosos, avaros, arrogantes, turpi lucro deditos, iracundos, vinosos, conviciatores. Atque ut virtutem in Episcopo commendat, ita vitia Apostolica auctoritate & censoria gravitate taxat, securus offensæ. Et ut absit omnis præsumptio & gloria de potestate concessa à Domino ad ædificationē, Presbyteros Ecclesię servire vult Dominus cum omni modestia & humilitate. Superest ut de Episcopis Harlemeis pauca dicam. Posteaquam Senatuscōsulto decretum fuit Episcopos admittere titulo honoris, primus Episcopus ordinatus indulgentia Pontificis qui Pius IV. Nicolaus de nova Terra, qui antea Episcopi Trajectensis vicarius fuerat, eum inaugurarunt, Anno 1562. Et ante eum *Canonicorum Collegium* Harlemum translatum fuit in tēplum Bavoni sacrum An. 1560. quod institutum An. 1307. Decanus cum XII. Canonicis: Qui non ita multo post, Episcopatum venalem habuit, & Episcopatui suo renuntiavit, surrogādo in locum suum Godefridum à Mierloo, Ordinis Dominicanorum Prior Trajecti qui fuerat, Harlemi introductus tanquā ad Petri-
Anno 1561. Nov. 6.

tri-

tri cathedram cum clero suo, Anno 1571. Mart. 4. primo die Dominico Quinquagesimæ, magna pompa & civium gratulatione. Obsidionis tempore in castris hostium aliquandiu fuit, imperatori apprime carus propter eloquentiam, qua pollebat. Debellata & expugnata urbe ad sacra reversus expiata æde sacra, missam denuo celebravit solenni ritu, cum omnibus ceremoniis, Anno 1573. Sed breve gaudium. Nam An. 1578. prævalente veritate Euangelica, profligata idololatria, vix effugit militum bacchantium manus: ita coactus urbem relinquere Anno 1578, & quod dolorem augebat ipso Sacramenti festo. De tertio reipub. regimine Oeconomico porro dicturus, quod totum consistit in Oeconomia quasi domestica. huc Magistratus subalterni pertinere videntur, qui ad sublevandum Magistratum majorem instituti. Nam cum crescente indies repub. & civium numero, laboraret Magistratus negotiorũ pondere & onere, ut se sublevarent, partem aliquam oneris in cives subordinatos derivarunt, viros inprimis honestos & probos, quos potestatis titulo Magistratus appellarunt, sed subalternos, ut qui pendeant à superiori Magistratu: quippe limitata & subordinata illis potestas data; ut agros alienare aut vendere non possent, nisi Consulum assensu, ita gradu distincti & dignitate. Sed inter subalternos Magistratus primas tenent Cameræ pupillaris tutores, proximi, qui templis præfecti æditui, quorum dignitas & authoritas major quam cæterorum; plærique enim aut consulares, aut juris periti, aut Ordinis amplissimi viri, qui ad ista munia obeunda deliguntur. Inter subordinatos Magistratus non postremi ab omni hominum memoria fuerunt Censores lanarii, qui lanificiis præsunt, qui in singulos annos singulari prærogativa, in Ecclesia, finita concione proponuntur ante festum Paschatis, dato pro tribunali solenni juramẽto. Reliqui qui gradu inferiores Magistratus, eos à curæ similitudine nostratium lingua Patres dixere. Ita nulla domus nullum hospitium aut cõtubernium ad pios usus institutum, quod non habeat patres suos, matres etiam ut sic dicam familias, quibus totius œconomiæ cura incumbit. Ita præfectos suos habent & regẽtes, Xenodochia Sacrarum virginum Elysabethæ & Barbaræ, item S. Remigii, Antonii, aliorumque. Sicut ergasterium quod institutum Anno 1610. Hierocomium lepra

Regimen Oeconomicum.

Cameræ pupillaris tutores.

Censores lanarii.

lepra infectis asylum. Denique atræ luis domus; & quæ inter minimas censetur, Petro sacra domus, non destituta regentibus: hortuli præterea ab opulentis instituti, quales illi à Loo, à Petro Wtenhage, hortulus Gratiæ & S. Martini, Camera in Bakenes, habent dispensatores suos & curatores. Postremo quotquot domus exstructæ ad pauperum solatia, sive à Nicolao ab Heussen, Petro Deyman, Iacobo Iacobi de Ionge, Cornelio à Wy, Francisco Loenio, Iacobo Zaffio, Giisberto à Nes, Catharina Velserman, regũtur ad præscriptum conditoris. Institorum denique contubernium, habet censores suos & decanum, habet leges ex quarum præscripto vivitur, jubente & approbante Magistratu. Ut tandem concludam, ad Magistratum subalternum referendi quoque, qui rem frumentariam curant, annonam moderantur, laxant, gravant, panes ponderant, pretium ponunt, & vendentium habendi rabiem

Anno 1565. coërcent. Censores denique victus & aduliorum. Atque hic fere ordo eorum qui subalterni Magistratus dicũtur limitata potestate, quæ hodie adhuc obtinet: nomina eorum asscribere omnia, operæ redundantis existimavi. Verum hoc notandum, quod plures officiales alii atque alii fuerint prioris ævi, hodie non usitati. Inprimis quod præter ædituos etiam ædituæ fuerint in honorem D. Bavonis, Bavoni sacræ, binæ primum, An. 1556. Bavo nempe Theodori filia cognomento Cæsaris, & virgo nobilis, Maria à Schoten. Tres deinde numero fuere, An. Dom. 1573. usque ad annum 1577, cum mos ille eligendi ædituas exolevit, eo ipso tempore, quo primæ reformationis aurora affulsit. Inter subalternos Magistratus tum temporis habiti quoque, qui sacris intenti horariis precibus legem ponebãt, & modum. His accensendi quoque Architecti & Architectonices quæstores; quippe Anno 1570 quæstor Iohan. Raedt. Denique limenarchis quoque honos datus qui portibus præerant. Ita navium stationibus Rembrandus Bernardi præfuit, Anno 1570.

Regimen militare civium ad urbis tutelam.

Inter primarios urbis cives censendi inprimis qui rebus militaribus præsunt, quorum regimen discretum ab aliis, regimen illustre magis quam Oeconomicum aut Pædagogicum, quibus potestas permissa Tribunitia intercedendi pro civibus ope destitutis, & tuendi jus civium: hinc est, quod qui rebus militaribus

ribus præſunt, Tribuni, Duces & Legati eorum, plerique aut Coſſ. aut conſulares ſint, qui diſciplinam militarem & avitam ſemper in honore habuerunt à multis retro ſæculis, quæ adhuc hodie obſervatur. Bellicoſam Harlemæorum gentem fuiſſe & populum bellis aſſuetum, teſtantur Annales, ab Anno 1132, cum primum adverſus Friſones, petente id Diderico Hollandiæ Comite, bella geſſerunt, & contra rebelles arma ſumpſerunt; incendio & rapinis graſſantibus, magna ſuorum ſtrage fortiter reſtitere, donec victi & ſub jugum miſſi Friſones Dominum ſuum legittimum agnoſcerent. Quis neſcit

Anno 1188. Harlemæorum in Aegyptum expeditionem, qui relicto ſolo patrio, Florentium XIII, Hollandiæ Comitē, lecta cohorte ſecuti terram uſque Palæſtinam, quique obſervato vēto ſecundo ſerrata navi Nili clauſtra perrupere, & victoriæ occaſionem præbuere, cum debellato ſubactoque Peluſio, victoriæ monumenta æterna reportarunt, de quibus nulla conticeſcent ſęcula. Poſtea adverſus Caninefates finitimos bella aſſidua; cum totam fere Keinheimeriam infeſtarent latrociniis, caſtella, arces impune incenderent, cum Nobiles bonis fortuniſque omnibus exutos ad deſperationis conſilia adigerent; quos tacti commiſeratione, intra urbis mœnia noſtratium cives recepere, & pari cum illis audacia barbarorū violentiam armis vindicarunt, & omnem vim propulſarunt victoria potiti, bello ſuperiores. Digna quoque quæ annalibus noſtris inſeratur pugna navalis prope Teſſaliam & Wieringiam, *Anno 1427.* cum Harlemæi claſſem ducerēt, comitantibus aliis Borealis Hollandiæ civitatibus, adverſus Gulielmum Brederodium cum ſuis, militantem ſub imperio D. Iacobæ Duciſſæ, ubi navale prælium atrox: coëuntibus roſtris, injectæ ferreæ manus, ita captæ naves aliquot, aliæ in brevia & Syrtes, aliæ in fugam actæ, & claſſis Gul. Brederodii tota diſſipata, magna ſuorum clade; nam præter illos qui in conflictu cæſi complures catervatim in mare abjecerunt. Captivos inſuper catenatos & ſpolia opima reportarunt, victoria lætabundi, reſervatis captivis aliquot ad gravius ſupplicium, qui omnes ſecuri percuſſi truncato capite, relaxato propter ſtirpis nobilitatem navarcha Brederodio, qui variantibus judicum militarium ſuffragiis, difficulter evaſit, evaſit tamen perinde ac apparuiſſet Deus è machina. Fuit & alia Caninе-

Anno 1492. ninesatum factio multo gravior & periculosior, qui revulsis portarum claustris, obnitente Magistratu, in urbem admissi nefanda perpetrarũt omnis generis flagitia, quæ supra memoravi pluribus verbis Bello etiam Geldriaco Harlemæorum Anno 1518. spectata fides & virtus Batavica, cum Anno 1522. Oppidani sortiti ad bellum profecti: hoc eodem anno Sagittariorum collegium institutũ: exstructę ibidem ædes magnificæ, & spatiosa atria palatii instar, & ad voluptatem plantatus hortus. Et crescente paulatim civium sagittariorum numero, auctis etiam cohortibus, ædificatum sagittariorum collegium alterum, in fundo sacro prope portam nemoralem. Ubi & amænus hortus, & circus jaculatorum. In ipso domus publicæ vestibulo portæ incubat in equo hasta minax S. Georgius, cui dicatum hoc collegium. Sic honor semper civibus habitus, qui ut prompti & parati ad quamlibet expeditionem, ita voluntarii præeunte Duce in Geldriam profecti: qui reversus ad suos, rebus fortiter gestis, cæsis fugatisque hostibus, præmium petiit militari more luculentum, obtinuit exiguum, & gloriæ magis intentus quam præmio, acquievit. Et post annos pauculos, cum Geldri auxilia peterent sub adventum hostium, missæ ex civibus copiæ subsidiariæ, quibus promissa stipendia in dies singulos IV. stuferorum. Ita rebus fortiter gestis terra, mari, & armis clari toto orbe, militarem disciplinam in honore semper habuere usque in hunc diem, quippe cives adhuc hodie, qui sagittarii prisco vocabulo ita dicti ante usum bombardarum & tormentorũ, in armis adhuc excubant, parati pro aris & focis urgente necessitate pugnare heroica virtute. Hi divisi in cohortes, centurias & decurias, sed non eodem semper modo: Alia enim fuit ab aliquot retro annis civium sagittariorum disciplina & regimen, quam hodie habemus, alia dignitatum nomina & cognomina; quæ paulo altius repetam ex prisca illa antiquitate deprompta. Sagittariorum ordo S. Georgio sacer, habuit præfectos suos, qui rebus militaribus præerant, & rationum expensas subducebant in annos singulos: Atque hi quidem contubernii militaris præfecti, ordine distincti: Præses contubernii, Decurio dictus, & IV. assessores, penes quos regimen, succedentibus semper aliis atque aliis unanimi consensu. Atque hoc quidem contubernium fuit S. Georgio

ſacrum, antiquorum ſagittariorum collegium, ad hæc uſque tempora, perpetua ſucceſſione obſervatum & in honore habitum. Decuriones præcipuæ nobilitatis viri, qualis D. Gerardus à Sparendam, Anno 1548. In cujus locum ſurrogatus Iacobus Duvenvoorde, D. & Toparcha in Opdam, Anno 1549. & poſt eum D. Ioh. à Schooten. Et rurſum An. 1556. Iuſtus Bronchorſtius eques, & poſt eum Iohannes à Duyvenvoorden, Anno 1557. Item Ioh. Sinapius Moſtart, & plures alii viri nobiles. Qui à conſiliis aſſeſſores proximi, ab initio IV. viri fere fuerunt, patritii omnes, lecti ex ſagittariorum cohorte in utramq; partem. Anno 1548. Ian. 12, hic ordo obſervatus, cum Gerardus à Sparnwouda Decurio fuit. Ioh. Gerardi Alcmaer, M. Franciſcus Lakeman, Nic. vander Laen, Florentius Ioh. Brouwer, Aſſeſſores: in quorum locum ſurrogati Iacobus Duvenvoorde Decurio, Ioh. Iohannis Verwer, Lubertus Giiſberti, Arnoldus Simonis, Theodorus Nicolai Iuſtus. Ita annuatim novi ſemper Decuriones & Aſſeſſores. Et quoniam uſitatus, & in honore ſemper habitus arcubaliſta, erecti ſæpe ſupra molas Pſittaci ficulnei in palo defixi, quem petebant validis ictibus certatim baliſtarii funditores; qui autem dejiciebant à culmine pſittacum, regis titulo ſalutati, regis inſignia reportabant. In hoc ordine illuſtre nomen Ludolphi Giiſberti, qui rex fuit, peritia jaculandi clarus, Anno 1558, cum Iuſtus à Bronchorſt decurio erat, & M. Hugo Bol, Theodorus ab Heuſſen, Cornelius Tilemanni & Nicolaus ab Hogendorp aſſeſſores, factæ expēſæ pæne regales, cū Iul. 31. Lubertus Giiſbertus, dejecto pſittaco rex renuntiatus, plaudentibus & gratulantibus civibus ſagittariis: carcheſium dono datum argēteum magni ponderis, ſemunciarum 32, & ſolenni epulo exceptus, Heemſtedium profectus, curru quaſi triūphali invectus, ſtipante comitatu civium & ſagittariorum, canente claſſicum tuba, reſonantibus in via tympanis; adhæc eradicatæ arbores in ſilva, plantatæ pro foribus Curię & aulæ regis, & plura id genus, quæ ad ſplendorem facerent ludicri regis. Ab eo tēpore prævaluit nomen regis, & in collegio S. Georgii ſacro Rex præfuit, qui decurionem, aſſeſſores, quæſitorem convocabat, quoties reddenda ratio accepti & expenſi, aut ſi quid ſtatuendum, ad diſciplinam militarem quod faceret. Poſtea ad regimen militare

tare plures admissi, nam præter regem qui Præses collegii, præter Decuriones & assessores, Signiferi & rerum capitalium præfecti in collegium disciplinę militaris recepti. Hactenus Decuriones, assessores aut contubernales, qui inter sagittarios aliis præerant, postea militari more Tribuni, Ductores, Legati, Signiferi, Quæsitores appellati ab Anno 1582. usque in hodiernum diem. Ad triennium electio fit Tribunorum, Ducum, Legatorum, tum eorum qui ordines ducunt. Signiferi ad annos cælibatus, aut ad vitam etiam manere soliti, quippe electio eorum non est annua, nec certa. Sagittarii igitur, divisi in cohortes, quę numero VI, & ordines, & decurias, habent præfectos suos Tribunos militares, Duces, Signiferos seu vexillarios, habent quæsitores rerum capitalium, præfectos, Ordinum ductores, antesignanos, primipilos, item decuriones, hastatos, scutatos, ferentarios, milites stationarios, & militum gregariorũ magnas copias. Si quando armilustria sunt, per cohortes distincti, & vexilla, urbem circumeunt, vicos frequentant armati, & tandem instructa acie in foro stipati coëunt, explosis iterum atq; iterum sclopis; dein receptui canunt, explicata acie; ad hortos sagittariorum se recipiunt tanquam in Areopagum, & *multo libant carchesia Baccho*. Hæc ad pompam magis, sed maxime ad urbium præsidia instituta civium sagittariorum contubernia: custodiunt urbem in pace & in bello noctu, interdiu. Post occasum Solis, portis claustra objiciunt, primo diluculo reserant Clusii & Patulcii. Nocte excubias agunt, stationes vigiliarum observant, circumeunt urbem armati, prohibent insolentias, plateas lustrant, vigiles mercenarios invisunt. Dato signo incendiario noctu, interdiu, statim in armis sunt, viarum compita occupant, aditus omnes prohibent ruenti turbæ, Curiam custodiunt una cohorte civium, ad tuenda archiva, & secreta Cameræ pupillaris in primis, tumultuante & malignante plebe: In repentino tumultu aut discrimine Consul, more Romano ad arma cives vocans, dicere solitus, *Qui rempub. salvam esse vult me sequatur*. Talis non ita pridem rusticana seditio. Dato signo, armati statim in Curiam veniunt, ordines ducunt in publicum, & pro civium suorum salute devovere se parati. Laborante autem patria, tumultu bellico, supereminente hostium exercitu, ingruente periculo, co-

pias auxiliares cogunt. Qualis illa expeditio civium nostratium, cum anno 1622 in Sept. armati Hasselã profecti & postea Heusdam, vocatis militibus veteranis è præsidiis in castra. De his Adr. Iunius in Bat. cap. XVI. Illud operæ pretium est scire, singula Hollandiæ oppida pro suis opibus, & pro loci conditione, honestissimorum, quique opibus mediocribus instructiores sunt, civium centurias in certas classes distributas habere, quos robora & nervos Reipub. dicere liceat. Sagittarios communi nomine appellant, sive illi balistis, arcubusque chalybeis spicula fundũt, sive acernos arcus ducunt, sive manuariis tormentis sclopisque plumbeas pilulas spargunt. & plura ibid. Adhæc si usus postulet, ad comprimendam seditionem, ad arcendam hostilem incursionem, armati adhibentur, vel si ornandus sit Principis alicujus adventus, vel novi inauguratio decoranda, tum vero honoratæ custodiæ ac solennis vicem præstant. Hactenus Iunius.

Paedagogicum seu scholast. regimen. Est præterea Paidagogicum seu Scholasticum regimen, proximum regno munus, in quo Magistri, juventuti studiosæ præsunt, virgarum fascibus, & sceptro buxeo terribiles, ad quos pertinet liberorum educatio atq; institutio, quas minime negligendas Lycurgus docuit canum exemplo. Nam convocatis quodam tempore, quasi ad concionem Lacedæmoniis, produxit in forum duos ejusdem geniture, sed diversæ educationis canes, quorum alter cupediis altus & educatus, in patinam sese abjecit, alter venationibus assuetus in leporem objectum fertur uno impetu, quem dimiserat. Admirantibus Lacedæmoniis, quid sibi vellet spectaculo tam faceto, indicat, hoc documento Spartanis esse voluisse, ut qui liberos suos indulgenter haberent, educationem liberorum minime negligendam, cum felicissima quęque ingenia corrumpantur neglecta educatione, & instituentium imperitia, qui ut ita dicam equos vertant in asinos, degeneres à parentum virtute, magno reipub. detrimento. Neque id Lycurgus duntaxat egit, verum omnes legum latores atque ephori in id sibi incumbendum censuerunt, ut idoneos vitæ morumque magistros juventuti suæ præficerent, Gymnasia haberent publica & illustria, ad formandos puerorum animos, qui in spem Patriæ nati. Neque enim Magistratus tam sollicitos volebant de legibus atque institutis sanciendis, quam de legittima

suorum

ſuorum inſtitutione & diſciplina: obſervata enim vitæ hujus conditione, quod ea miſerrima ſit futura ſi inſtitutionis cura deſtituta ſit, formandæ juventutis prima illis & ſuprema lex, quæ obtinuit apud omnes gentes etiam barbaras. Neque neglexit eam diſciplinam Magiſtratus hujus urbis. Nã & ſcholas hic fuiſſe ante multa ſæcula certum eſt, iam inde ab Alberti Ducis Auſtriæ temporibus An. 1389, cum Magiſtratui non Clero jus datum gymnaſia condendi, creandi ſcholarum præfectos, quos honoris cauſa Gymnaſiarchas vocarunt, hodie Rectores idoneos formandæ juventutis Magiſtros. Schola publica civitatis duntaxat una, in qua linguæ doceri ſolitæ, tam Latina, quam Græca, atque adeo omnes artes inſtrumentales quas vocant, ad omnes ſcientias & facultates ſubſidiariæ. Qui autem illi, quos Magiſtratus Scholis præfecit, primi, nomina eorum in obſcuro latent. Antiquiſſimi illi Lambertus Ruſeveldius, & Magiſter Iacobus Meyſterus, quorum prior Lovanio domũ reverſus in patriam ſcholæ præfectus Rectorem egit gratulantibus amicis. An. 1519. Rector Helico vir magnę authoritatis ac eruditionis non è multis unus. Hunc ſecuti alii atque alii, vitæ morumque magiſtri, inter quos non poſtremus Doccomius Friſius vir graviſſimus & doctiſſimus; & parentum adhuc memoria Mag. Cornelius Duyck, qui accuſante eum Epiſcopo tanquam hæreſios ſuſpectum, exauctoratus dicitur, Anno 1568. Idem ille, qui in Senatu veniam petendam conſenſerat, credo, benevolentiæ captandæ cauſa, ad averruncandam hęreſios ſuſpicionem. Inter Rectores coryphæus Adrianus Iunius Hornan. Bataviæ noſtræ præluſtre jubar. Et poſt eum Iacobus Iperius, qui dicere non tantũ ſed facere ſuos docuit præcepta vitæ: Hos ſecutus Cornelius Hagius, qui obiit duabus ante ſeptimanis, quam capta civitas in manus hoſtium venit. Huic ſucceſſit Cornelius Ketelius, in quo Catonis gravitas, tum Rector cum omnia bello flagrarent, graſſante in cives milite Hiſpano. Nec ita multo poſt defuncto Ketelio, Corn. Schoneo Goudano, præceptori olim meo, provinciæ Scholaſticæ delatus honos ab ampliſſimo Ordine, qui Scholæ Harlemianæ præfuit xxx annos & quod excedit; tandem emeritus, reſervato ſalario ad vitam. Tandem collega proximus Theod. Schrevelius, cum diu vicariam operam præſtitiſſet optimo ſeni, Rector

creatus

creatus, Coss. ita volentibus, civibus applaudentibus. Is Scholæ præfuit etiam cum laude XXIV. annos, cum peracto tot annorum curriculo verso rerum cardine deferenda provincia fuit, sed commiseratione Dei, obtulit sese alia magis splendida Lugdunensis illa, quam post annos XVIII. habita oratione filio reliquit jam septuagenarius. Vacante sede Rectorali itum est ad Ioh. Middelhovium Ecclesiæ Lissanæ pastorem, qui spe majoris boni ad Rectoratum se vocari passus, factus ut sic dicam de consule rhetor: nondum exacto septennio jussus provinciam scholasticam deponere: qui in abdicationis solatium, Lugdunum petiit, antiquum Musarum hospitium. Et cum surrogandus in locum ejus jam alius esset; Gul. Nyenhusius in ordinem Rectorum receptus, in lingua Hellenistica bene versatus, ita ut inter N. Test. interpretes unus fuerit, non sine reipublicę litterariæ incremento. Ille sive tabe attenuatus, seu pestilenti aëre afflatus obiit, Harlemi elatus, Enchusæ sepultus. In locum ejus surrogatus collega proximus D. Iustus Duyst, vir gravis & poëta non infelix, discipulus olim meus, etiam collega, qui Scholæ jam pertæsus aspirabat ad altiora, non humilis anima; ad quæ tandem pervenit voti compos, rebus maritimis jam præfectus. Laborabat interim Schola destituta jam Rectore. Ita de vocando alio Scholæ moderatore serio cogitatú. Scholarchæ, quibus ea cura incumbebat, ne quid respublica litteraria detrimenti caperet, mandato Consulum instructi, circumspicere, nihil non tentare, ut idoneum vitæ morumq; magistrum promissis lautioris stipendii aut salarii invitarent, & iterata aliquoties legatione sollicitarent, nunc hos, nunc illos Rectores qui celebres maxime, sed data fide obstricti, qui, ut decuit, gratiis actis honestissimæ vocationi renuntiarunt. Interim D. Ursinus sentiens molem tam laboriosæ provinciæ ingravescere indies magis, officiose offerre quoque operam suam non destitit, rogare Scholarchas ut sui quoque meminisse velint, qui jam annos aliquot collega à Rectore proximus diligentiæ atque industriæ specimina dedisset non obscura, sed luculenta. Quibus permoti Coss. & Scholarchæ, Scholæ præesse eum voluere, & simul Rectorem crearunt & inaugurarunt solenni ritu: Ille habita oratione luculenta spem dedit rei bene gerendę. Et quoniam Scholarchæ. Scholarcharú jam fecimus mentionem

tionem, penes quos supremam authoritatem semper fuisse diximus quidvis statuendi, quod ex usu Scholæ, illi quando primum instituti, operæ pretium erit hic observare. Nostra & parentum memoria formandæ juventutis studiosæ jus supremum & regimen penes Rectores fuit. Verum recepta jam & stabilita reformatione, Scholarum præfecti, & reipub. litterariæ Dictatores perpetui, à Magistratu instituti, penes quos formandæ & reformandæ Scholæ summa auctoritas, qui plerique Ecclesiastici initio fuere, quales Abrahamus Gallus, Iohan. Damius, Ioh. Mathisius, aliique secuti eos. Postea Politici etiam electi, D. Petrus Nicolai ab Hoorn, Nic. Crabbemos, item Paulus à Beresteyn I. C. & inter Politicos Syndici, D. de Haen, & D. de Glarges. Scholarchæ qui adhuc hodie in vivis sunt, D. Campius, D. Sualmius Ecclesiastæ, D. Iisbrandus Olykan IC. & D. Nicolaus à Loo Secretarius, & novissime creatus in locum D. Campii, Iohan. Deswatiin Medicinæ D. Scholæ quoque privatæ complures quæ salarium à Magistratu annuum non habent, quibus prima litterarum tirocinia & adultioribus pingendi ars, lingua item Gallica, Arithmetica, ars libraria, Mathematica, & quæ ad delectationem facit ars Musica, quibus iuventus instructa, ad omnem vitæ conditionem, ad rempub., ad mercaturam, atque adeo ad omnia negotia idonea magno reipub. emolumento & stabilimento. Præceptores linguæ Gallicæ præcipui & scriptores excellentes, partim qui adhuc hodie sunt aut fuere, Ioh. à Velden, Thomas à Breugel, Magister Matthias, Petrus Ketelaer, Iohannes Balot, Gosuinus Heuvelman, Ioh. de la Chambre: Musici & organistæ Mag. Philippus, Cornelius Helmbreker, & Cornel. Padbrue, Pater Ban, & plures alii.

LIBER VI.

Continens nomina eorum, qui eruditione clari, in quavis facultate, aut scientia illustres, aut arte etiam mechanica insignes, Harlemi fuerunt, aut etiamnum hodie adhuc in vivis sunt, quibus subjicio varia hominum studia ex infima plebe.

AD subditos accedo; quos etiam discretos volo; nam inter hos quidam sunt, qui eruditione clari ac arte insignes.

Qui eruditione clari, eos rursum in Classes IV. distinguo. illi enim vel Theologi, vel Iurisconsulti, vel Medici, vel Philologi. Ordinem ducunt Theologi, divinorum mysteriorum interpretes. Atque ut paulo altius repetam, Hugo Harlemæus se offert mihi, qui Abbas Egmondanus ejus nominis primus, antistitum XXIII qui obiit hoc Epitaphio insignitus, chronographico & rhythmico, moribus antiquis secundum sęculi istius simplicitatem. *Laurent. Octa. Iesu semel M. ter C. novies V.*

Theologi *Hugo Harl.*

Est populus mæstus, moritur quia largus, honestus,
Hugo Mensonis, exemplũ dapsilitatis,
Mitis valde bonis, ultor durus sceleratis,
Nobilibus charus, rerum fuit ordine gnarus,
Hic vitã duxit, quod dormitur astruxit,
Et terras emit, violatos jure redemit;
Flent verecundantes inopes, victumque rogantes:
Tali privati, qui pronus erat pietati,
Vivendi norma fuit atque gregi bona forma;
Nam fuit Abba Pater, claudatur ei locus ater:
Et sit pro meritis, conjunctus in æthere choris.

Oluvius Harl.

Huic non cessit Oluvius Harlemæus, qui ad litterarum commercia Romam profectus, tantum profecit, ut ibi publicus Decretorum Doctor renuntiaretur, magno omnium applausu. unde in Abbatem Egmondanum domum vocatus, an. Christi 1351. quo munere egregie defunctus per biennium, obiit An. 1353. XVIII. Kal. Octob. fuit autem in serie Antistitum Egmondanorum XXV. Scripsit prælectiones & epistolas ad familiares.

Gerardus Sprong de Haerlem S. Theologiæ Baccalaureus, Academiæ Lovaniensis Rector Magnificus Anno 1452. Theodorus Ballingius major, Petri Ballingii consulis Harlem. frater, Paris. universitatis Rector, pietate, & eruditione eminentissimus. Fuit & quidam Symon Hermannus; Cœnobii Carmelitici monachus non indoctus, qui claruit an. 1460. Scripsit copulata Lib. 1. & alia nonnulla.

Simon Herman.

Fuit & Ordinis Carmelitici Albertus S. S. Theologiæ Doctor, Theologiam etiam Lovanii professus, qui scriptis quoque inclaruit, scripsit enim *Quæstiones in magistrum sententiarum lib. 4. Lecturam in Ecclesiasticum Lib. 1. In Canonicam Iohannis Lib. 1. Sermones & lecturas lib. 11. & alia typis nondum edita.* Obiit Mechlinæ An. 1496. Item Nicolaus

Albertus Harlem.

Nic. Symonis.

colaus Symonis Harl. Carmelita, & sui Ordinis apud Harlemenses Prior ac Provincialis. *Exstant Sermones ejus de tempore & Sanctis, Chronicon temporum Lib.* 1. *Disputationes variæ. De Potestate Papæ, Imperatoris & Concilii. in lib.* 11. *Decret. De foro compet. c. Si quis contra Clericum. Vita S. Patrum Lib.* 1. *De Sacris mulieribus Lib.* 1. *Vitam D. Annæ lib.* 1. *Vitam D. Cyrilli lib.* 1. *Historiam Ordinis Carmelitici. Lib.* 1. *Farraginem fragmentorum. Lib.* 1. *Conciliorum volumina* 11. *Repetitiones itidem, & alia quædam.* Diu vixit. & senex obiit Anno 1511.

Iohan. Gerbrandi à Leidis. ProximusCarmelitaIoh.Gerbrandus à Leidis. Hic author est Chronicorum Hollandiæ, quæ Latine scripsit: Quibus aspergit nonnunquam facetias, & fabulas monachales, & miracula quędam nugatoria. Collegit idem ex diversorũ ut ait historiographorum scriptis, Chronicon Episcoporum Vltrajectensium & Comitum Hollandiæ, à S. Willebrordi temporibus ad annum 1480, in quo opere decennium & amplius elaboravit. Scripsit præterea, *Historiam sui Ordinis, Lib. x. Item Collationes Sanctorum. De festis Deiparæ, & de doloribus ejusdem. Sermones de tempore & Sanctis, aliaque*: Obiit Harlem. Anno 1504.

Theodorus Harlemus S. S. Theologiæ Licētiatus Parisiens. & Carthusiæ Coloniensis alumnus. Reliquit *nonnullos Sermones. Epistolam de Solitudine ac Silentio.* M. S. adservantur Coloniæ. Vixit circa annum 1508. *Theod. Harl.*

Florentius item Harlemius Carthusiæ Lovaniensis Prior, non contemnendæ eruditionis: Scripsit Belgico idiomate *De Christianæ vitæ institut. Lib. v.* *Florent. Harl.*

Vincentius de Haerlem, sacrarum litterarum & bonarum artium studiis inprimis deditus. Edidit libros 1 v. *Sententiarum cum commentariis antiqui Doctoris Petri de Palude, circa anuum* 1300 *defuncti*; Eumque diligenter cum Veneta editione contulit, atque in multis locis emendavit, & illustravit. Anno 1514. *Vincent de Harl.*

Iohannes abHeemstede Harlemēsi, Ordinis Carthusiani Lovan. Ad hũc Epistolas aliquot dedit magnusErasmus in magno illo EpistolarumVolumine, ad an. 1525, & 1533. De obitu & scriptis ejus nihil. Virum apprime doctum ex Erasmi familiaritate apparet. *Ioh ab Heems.*

Ioh. Gulielmi Harlemensis, è societate Iesu, & dictæ societatis Lovanii Rector, Philosophus & Theologus pontificius non vulgaris, S.S. Theologiæ Licentiatus, multarum linguarum peritissimus, *Ioh. Guliel.*

tissimus, S. Scripturæ, & linguæ Hebraicæ apud Lovanienses in collegio Bussidiano professor. vir de Bibliis sacris, RegiisquePlantini typis editis optime meritus. De hoc testimonium in Præfatione altera B. Ariæ Montani luculentum, in qua de totius operis usu, dignitate & apparatu ex ordine disseritur. Gisbertus Schoock universitatis Lovaniensis Rector egregium testimonium perhibet: Aliique eximii & venerabiles viri D. D. Magistri, Augustinus Humæus, Regius & Ordinarius, & Cornelius Reyneri Gaudani, Ordinarius in Academia Lovaniensi professor, qui ut commissum munus ad Biblia Regia accelerandа, melius & perfectius explerent, celeriusque & expeditius absolverent, honorabilem virum D.& Magistrum Ioh. Gulielmi Harlemium, Licentiatum è societate Iesu quæ est Lovanii, S. Scripturæ & Hebraicæ linguæ Professorem pub.& linguarum Orientalium peritissimum, sibi socium & adjutorem adjunxerunt. Qui collegit indicem Biblicum, qui res eas de quibus in S. litteris agitur, ad certa capita alphabeti ordine digesta revocatas summa brevitate complectitur. Item varias lectiones in Biblia Latina vulgatæ editionis ex vetustissimis M. SS. exemplaribus collectas, & ad textum Hebraicum, Chaldaicum, Græcum & Syriacum examinatas edidit. Discessit Lovanii. *Anno 1578.* Nec silẽtio prætereundi Episcopi nostrates. Inter quos ad stabiliendã Hierarchiam Ecclesiasticã, primus fuit Nicolaus deNova terra, *Nic. Florent.* cujus antea mentionem feci, qui Archiepiscopi Trajectensis Vicarius fuerat: Secundus Godefridus à Mierlo Ord. Dominicani prior Trajecti, qui non ita diu sedem Episcopalem tenuit. Nam septimo anno post, profligatis jam idolis, vix effugit militum bacchantium manus. Ita reformatio tandem cepit sanioris doctrinæ: Hic primi sese obtulerunt, ad ministerium novæ Ecclesiæ, reformationis plausibili titulo, Abrahamus Gallus ætate & pietate venerabilis, & qui ex *Pastores initio reformat.* Palatinatu advenerat, Ioh. Damius Dei servus, primus omnium in templo augusto, expiato jam ab idololatria, concionem habuit auspicalem, cantantibus organis, Hymnum canentibus *Te Deum laudamus,* &c. Quos secuti legittime vocati omnes, Hendricus Geesteranus, Gerardus Blochoven, Lucas Helspius, Ægidius Stroo, quorum scripta non extant quod sciam. Circa hæc tempora Ioh. Ampsing Oetmarsensis. *Iohan. Amping.*

sis.

sis, pastor hujus Ecclesiæ fuit, potens fandi, cui eloquentia invidiam peperit, Theologus & Medicus, scriptis clarus. Edidit *opuscula quædam Theologica contra Anabaptistas*, item *de institutione utriusque fœderis, tam novi, quam veteris: De incarnatione Iesu Christi; de Disciplina Ecclesiastica*. Adhæc *orationes aliquot & tractatus Medicos*. Et post eum Ioh. Bogardus fuit, subacti judicii vir, Theologus non è multis, qui unus quoque inter collocutores Contra-Remonstrantium in collatione Hagiensi habita; An. 1611. Qui in lucem dedit *dogmata selecta aliquot*, tum ad patientiam quæ faciunt, ad quævis mala in hac vita toleranda, tum quæ ad vitam æternam & salutarem illam doctrinam quæ est in Christo. Et cum eo Gul. Hasius, qui non profundæ eruditionis pastor fuit, sed concionator non infelix. Et eodem fere tempore Ioh. Mathisius Antuerpianus, cultissimi oris homo & ὁμιλητικὸς, gratiosus, in S. Patrū lectione bene versatus. Ejus collega Hadrianus à Terrode Harl. qui zelotes, & tuendæ veritatis adversus Remonstrantes acerrimus propugnator. Et cum iis Hend. Geesteranus. qui pastoralem vitam egit puer, inclementia vitrici, cujus tutores observata ingenii sagacitate, eum studiis consecrarunt. & ludo litterario initiatus, & gradum magisterii Lugduni consecutus, profundæ eruditionis Theologus evasit in Canticum Salomonis doctissime commentatus est. Cum eo vixit Isacus Iun. qui consilio, prudentia cæteris antistabat, qui adversus Socinum doctissime scripsit. Et cum eo Daniel Zouterius Flandro-Batavus, qui præter opuscula quædam Belgice scripta, librum scripsit *de officio Mercatorum, Praxin item Bancæ ruptorum, Mastiga Fallitorum, Palamedem sive de alea, & variis ludis, lib. 3*. Et quę materia magis Theologica, *Pharmacum afflicti animi, Pædagogum Divitum, De usu atque abusu opum*. Et ne quid intactum relinqueret, *Exsequias regales* scripsit *magnæ Britanniæ, & quædam anonyma*. Circa hæc tempora vocatus etiam Dionysius Spranchuysius, mysteriorum divinorum fidus interpres, orthodoxæ doctrinæ adversus Remonstrantes acerrimus propugnator, vitæ inculpatæ, qui vocationis suæ adversarios habuit, minister infelix, sed respexit eum Deus & beavit iterata vocatione. Surrogatus in ejus locū Ioh. Acronius Frisius, in quo Catonis severitas, morum Censor rigidus, vir profunde doctus. Exstant lucubrationes ejus complures & variæ: ac primum

Iohan. Bogard. — *Guliel. Hasius.* — *Iohan. Mathisius.* — *Hadr. Terrode.* — *Hend. Geesteranus.* — *Isaac. Iunius.* — *Dan. Zouter.* — *Dionys. Spranchuysius.* — *Iohan. Acronius.*

apologia pro edicto Groeningano: Item *de jure Patronatus tractatus*, *Syntagma Theologiæ*, *Elenchus orthodoxus pseudorelligionis Catholicæ*: *de præcipuis relligionis Christianæ capitibus tractatus*: Item *Problema Catholicum Theologicum de nomine Elohim*: *Problema alterum de studio S. Theologiæ recte privatim instituendo*: Itē *de concionibus Ecclesiasticis recte formandis*. Postremus horū qui in numero Beatorum οἱ μακαρῖται, Samuel
Sam. Ampsing. Ampsingius, qui utraque lingua tam Gallica quam Belgica concionatus dicitur: is varios tractatus metricos composuit satis feliciter: *Pub. Syri Mimos*, *Catonis item disticha moralia*, *aliaque rhythmis Belgicis opuscula tam docte quam facete*. In laudem Patriæ quæ litterarum monumentis consignavit, tam soluta, quam ligata oratione æternitatem spectant, quibus sese ab oblivionis ærugine vindicavit, & æternam nominis sui memoriam reliquit.

Sequuntur qui adhuc in vivis sunt Ecclesiarum nostratium magna nomina. Inter quos primus in ordine *D. Iacobus Alberti Campius*, sollertis ingenii vir, mysteriorum acutus interpres, obiit An. 1646. In ordine proximus *Iosephus Rosarius* Harlemius, bonæ mentis ac indolis homo, comis & effabilis omnibus, & quod caput rei, Pastor bonus. Tertius in ordine *D. Hendricus Sualmius*, qui fratres omnes ætate antecedit, omnium ministrorum qui in Hollandia sunt, πρεσβύτατος, cui in vultu gravitas, in labris suavitas qui eloquentia & orationis Suada cæteris antistare videtur, nec iners ab opere. scripsit enim *orationem funebrem*, *in obitum illustrissimæ D. Sabinæ Comitissæ Egmondanæ*, *Principissæ à Gavren*. Et qui his successerunt. Ioh. Crucius junior, qui sub disciplina nostra vixit contubernalis meus, in studio Theologico bene versatus, utriusque linguæ, tam Græcæ quam Latinæ peritus, nec rudis Hebreæ, nec alienus à Musis Pieriis, homo modestus & minime ambitiosus. conciones instituit ad captum vulgi, & parœmiis illustravit: Poetas imitatus sacros illos. Qui prodesse volunt, & delectare. Nec cuiquam æqualium suorum cedit *Theodorus ille à Wiickenburg*, in quo præter excellentia ingenii dona, quæ undiquaque relucent in eo, Catonis gravitas, Socratis æquabilitas, cui majestas in vultu, in vita comitas. Quem in ordine sequitur *Petrus Buskerius* Ecclesiæ lumen & columē veritatis quæ est in Christo acerrimus propugnator, defensor fidei, hæresios vindex indefessus, nulli adulari solitus, nemini parcere: ad sanandum pec-

peccatorũ vomicam, magis cauteria adhibet, quam pittacia aut cataplasmata, medicos imitatus animarum medicus. Et ut refractariis & contumacibus irã Dei denuntiat, ita resipiscẽtibus gratiam pollicetur, justa retributione; peccatorum conscientia consternatos, solatio erigit, erroneos in rectam viam reducit, atque adeo omnia boni pastoris officia facit. *Adrianus Tegularius* in concionibus sacris ad movendos hominum animos (quod pręfiscine dixerim) parem inter collegas suos habere non videtur, qui verbi efficacia tanquam fulmine penetrat intimas cordium fibras, dicendi torrens, verus Theophrastus, qui ad Amphionis exemplum, Saxa movere sono testudinis, & prece blanda ducere hominum animos quo vult posset. *Salomon Echthenius* autem qui octavus in ordine prophetarum, modestiæ & humilitatis exemplar, scripturarum fidus interpres, didacticus plane, ut qui vita docet, doctrina docet, ad exemplum Phœnicis Homerici. His novissime accessit D. Ioh. Rulæus, qui peculiaria habet dona gratiosa, eloquentiæ, comitatis, qui demulcere animos hominum potens, qui alter Hercules Gallicus linguæ liciis subtilissimis, ab ore pendentem gentem patriam trahit in assensum & Christo vindicat; qui S. litterarum acutus interpres, non superficialem doctrinam, sed, ut sic loquar cum Chymicis v. essentiam è sacris eruit igne Spiritus: quem ut D. Deus diu superstitem velit, Patriæ, Ecclesiæ commune votum. Ignoscite fratres, quod minora his, majora illis dona tribuam, cum paria non possum. Variæ enim seu donorum, seu ministeriorum, seu facultatum divisiones, prout cuique admensus dona sua idem spiritus. Nam huic datus sermo Sapientiæ, aliis vero sermo cognitionis & scientię: aliis rursum fides, aliis prophetia, aliis discretiones Spirituum, aliis genera linguarum, aliis vero idiomatum interpretatio: hæc tametsi imparia dona sunt, ea tamen sapientissime distribui dispensante Spiritu, non paria, sed sufficientia, docet gentium Apost. sumpta similitudine à corpore humano: quemadmodum enim unius corporis plura membra, discreta situ, decore, functione; ita ad cõstituendum corpus illud mysticum Ecclesiam videlicet varia concurrere dona necesse est ad perficiendum opus Domini. Nec excludenda ab hoc ordine eorum nomina, qui Harlemi nati atque educati, variis in urbibus

Qui obiit Anno 1549.

1. Cor. 12. versu 6. 7.

1. Cor. 16. versu 10.

turbibus & pagis vicinis pastorum munere funguntur. Inter quos ordinem ducit *D. Ioh. Hoorenbequius*, quem sæculi nostri miraculum dixerim, ut qui juvenis adhuc vernantibus annis S. S. Theologiæ Doctor, Professor Academiæ Vltrajectensis, & ibidem Ecclesiæ pastor, & in lingua Hebræa coryphæus. Proximus Iohannes Derramoutius, & Iacobus Silvius, qui Leidis in ministerio sunt, & Cornelius Iac. Petreius, ille qui in magna veneratione Campis est. Item Hendricus vander Schalcke, qui Edamensibus charus acceptusq;. Adhæc Iisbrandus ab Os, legati nostri apud Christianissimum Galliæ regem concionator. His adde Iacobum Verhoeven jam emeritum & rude donatũ. Tum Hendricum Bruning, Iacobum à Tethrode, Petrum Alberti Kuyckium, discipulos olim meos. Quique alii pastores Classici, Iohan. Polanus, Iohannes Ampsingius, Hend. à Loon, Iohan. Nyenhusius, & plures alii. Longum esset recensere omnes satis notos. Stabilita jam reformatione, Ecclesiæ incrementa indies majora, supra quam credibile est. Ea occasione Galli & Walones zelo pietatis exsules, Ecclesiam formarunt approbante Magistratu Harlemi in Belgio, vocato ad ministerium Ioh. Taffino, qui salutarem in Christo fidem, & veritatem illam orthodoxam propagavit, & quæ cum hac pugnaret sententiam damnavit justo anathemate; Scripsit enim de vera vitæ pœnitentia, docuit quæ vera τεκμήρια filiorum Dei, solatia in afflictionibus. Exstat etiam *brevis institutio de erroribus anabaptistarum*: item *de incarnatione Iesu Christi, qui verus Deus, verus homo*: item *De Paidobaptismo*: *De officio & authoritate Magistratus*. III. *De juramento legittimo*. In hujus locum successit Ioh. Crucius Isulanus, qui deputatus ad Synodum Dordracenam fuit: qui prædicavit ad exemplum Pauli Christum, eumque crucifixum, cui prima gloria in Cruce D. nostri Iesu Christi, qui nihil ambiit scire præter Christum eumque crucifixum, qui unicam sacram salutis anchoram in cruce Christi posuit: nec aliam in cœlum viam, quam bajulare crucem suam, & Christum pone sequi, verus Crucius, crucis mystagogus. Exstant quoque scripta ejus tralatitia ad ædificationem pleraque quæ faciunt, videlicet *Taffini de pœnitentia tractat. Gallic. in linguam Belgicam transtulit*: Item *Ant. Wallæi tractatum de jure & potestate Magistratus, in Gallicam*: item *Viam regiam è Latino in Gallicam transtulit*.

Initium

Initium & progressus motuum Ecclesiasticorum in Hollandia, editum à Frederico de Vrij, è bellico in Gallicum sermonem. Obdormivit placide in Christo Anno 1625. Feb. 7. Successit Crucio Iohan. de Seins, qui pari fide viam salutis aperuit & plurimos Christo lucrifecit fœcunda messe: fato functus, animam Deo obtulit. scripta ejus nulla quod sciam extant. Præter hos Gallicanæ Ecclesiæ pastor. Petrus de Bon-Temps, qui adhuc in vivis Ecclesiæ charus acceptusque, qui delinire hominum animos potest potente verbo, hæresium acris censor, Anabaptistarū inprimis, quos flagellat horrendo anathemate, cum eos læsæ majestatis reos arguit, tam divinæ quam humanæ; Ἐπιρροδδεξίας quasi alter Cato, gravitate plusquam Censoria. Transeo jam ad eruditorum Harlemēsium secundā Classem, quæ I.C. destinata. Harlemum excellentium ingeniorum nutricem semper fuisse, testantur Annales, probant id Theologorum nomina jam recensita minime obscura, qui sacris præfuerunt, quos Ecclesia habuit. Non pauciores fuisse in Politia qui reipub. præfuerunt; fasti indicant ab aliquot retro seculis. Primus mihi in hoc ordine occurrit Magister Nicolaus de Vries (sic enim juris legumq; peritos vocabant, & usitatum adhuc hodie nomen) qui honoris causa ærario publico præfectus, Anno 1475. & alter M. Iacobus Ioh. Anno 1489. Et post eum alii atque alii, Ioh. Balling, Nicolaus à Schoten, Gerardus Hendrici, Magistri omnes, ærario præfecti, justa successione. Ad Scabinatum etiam promoti Iuris interpretes, ab Anno 1479. & sequentibus Scabini, quorum nomina prætereo pleraque, sed inter eos celebres maxime Quirinus Theodori Talesius, Nicolaus à Schooten, Petrus Forestus, Hugo Bollius, Gualtherus Prins, Ioh. Zurenus, Lothus Gael, Theodorus Ramp, Philippus Maezius, patritii omnes. Inter eruditos, magni nominis fuit Petrus Montfortius, qui præterquam quod humaniorum litterarum studiosissimus, Iuris utriusque licentiatus fuit, & poëta non infelix. scripsit carmen gratulatorium in novum Præsulem Leodiensem, Cornelium à Bergen, Baronem Sevenbergensem, circa Annum Christi 1538. Dixi de singulis aliquot qui Scabini fuere, quod in plerisque civitatibus usitatum, ut unus atque alter in judicio sedeat juris catus: sed rarum hoc quod Anno 1563 simul in eodem Scabinorum collegio

I.C. 2. Classis.

legio quinque fuerũt I.C. omnes Iustitiæ antistites hoc ordine, Quirinus Talesius, Gerardus à Ravesteyn, Theodorus Ramp, Iohannes Zurenus, Philippus Maetzius. Rursum Anno 1569. Scabini IV. in eodem collegio, Gerardus Ravesteyn, Hugo Bollius, Ioh. Zurenus, Franciscus à Nes. & totidem sequenti anno, Lambertus à Roosvelt, Hugo Bollius, Giisbertus à Nes, Philippus Maetzius. Adhæc ad consulatum etiam evecti I. C. Ab Anno 1491. & sequentibus Iacobus Balduini, Petrus Balling Coss. singuli, Petrus Balling iterum Consul, ita Petrus Forestius atque alii. M[r]. autem Quirinus Talesius vel septies Consul de republ. optime meritus male mulctatus. Atque hi fere coss. singuli, succedentibus semper aliis atque aliis. Sed quod rarum in repub. etiam optime constituta tres simul Coss. qui I.C. essent in uno collegio, & eodem tempore fuisse, ex archivis habemus: Nam An. 1560. Quirinus Theodori, Gerardus à Ravesteyn, Theod. Ramp una Coss. fuere. Iterum anno insequenti, electi Coss. Theod. Ramp, Ioh. Zurenus, Lambertus Roosvelt. Sicut An. 1569. Quirinus Theodori Talesius, Theod. Rampius, Ioh. Zurenus. Denique Anno 1570. ante obsidionis tempora, Quirinus Theodori Consul infelix, cujus fatum tragicum & lamentabile, & cum eo Ioh. Zurenus, Philippus Maetzius, qui magnæ authoritatis apud Hispanum fuit. Verum ille mos creandi Coss. eruditos paulatim exolevit, cum bello omnia arderent, efferatis hominũ animis. Quamvis & alii fuerunt qui ad majorem dignitatem pervenerint virtute sua, juvante in partem fortuna. Inter eos pono Iacobum Diickium, Florent. Schooterbosch, Martini Ruychaverii Consulis filium, Antonium de Wael, Iohannem Bosvelt. Quorum Iacobus Diickius Harlemi natus anno 1567, qui cum aliquandiu in Curia suprema caussas egisset, patronus à privatis in Sueciam missus negotiorum caussa, ad Gustavum ejus nominis II. ita placuit Regi, ut eum pro legato suo habuerit: missus ad Ordines generales inferioris Belgii, ubi legationis munere aliquandiu functus, in Sueciam revocatus, & in ordinem equestrem admissus, Bruggravius renuntiatus Ottenburgi & totius illius tractus; in pace aliquandiu in arce maritima vixit: obiit Anno 1616. April. 14. Fuit & quidam Iohan. Baptista Hansenius Harlemi natus & educatus, qui

Iuris-

Iuriſprudentię gradum conſecutus Profeſſor Toloſæ fuit, antiquitatis omnis gnarus & potiſſimum Romanæ, qua in urbe annos aliquot egit, & amicitiam cum magnatibus coluit, inter quos Baronius Cardinalis fuit. Sed nomen famamque meruit, edito *de jurejurando veterum commentario*, quod ex electis ejus ſingulare caput eſt, vitæ curſum Toloſæ abſolvit, Anno 1614. Ad Senatoriam dignitatem evecti, Iuriſprudentiæ titulo inſignes, quos jam dixi Florentius Schooterboſch, Antonius de Wael Conſulis filius, & Gul. Ruychaverius, Martini conſulis filius, & noviſſime Ioh. Boſvelt, qui à ſecretis Harlemi fuerat. Nicolaus autem vander Hooch, ſive ab Alto, jura Lovanii didicit, Doctoris titulum in Andegavenſi Gallorum Academia meruit; cauſſas egit Mechliniæ in concilio Belgico. Prodiere ex illius Muſeo, *ſingularia Iuris ſeu Doctorum dicta memorabilia*, edita Antverpiæ An. 1620. Obiit Harlemi in patria, Anno 1624. Oct. 31. Atqui nondum omnes dixi qui dignitate eminentiori aut ſcriptis clari. Iohannes Gael qui ut I. C. ſe probaret, ſcripſit inter alia *Tractatum de Teſtamentis. & jure Codicillorum*, captus mentis alienatione juvenis obiit An. 1621. Iun. 3. Fuere & alii ex hoc genere, qui tametſi nullos in jure tractatus divulgaſſent, qui juris peritia celebres, tanquam oracula civitatis fuere. inter quos præcipui M. Harperus vander Wielen, M. Gulielmus ab Heda, qui poſtea Alcmariam commigravit, ſpe majoris lucri; item M. Hendricus Spoorwaeter, ſummus I.C. Præter hos Petrus Nicolai ab Hoorn, Petrus Verhooch, & M. Iacobus Medenblicenſis, & Iacobus alter vander Broeck, Paulus à Bereſteyn & frater ejus Ioh. à Bereſteyn. quorum alter advocatus, alter ſecretarius Keinhimeriæ & Brederodiæ juriſdictionis. qui pleriq; omnes è numero viventium ſublati. Eorum qui adhuc in vivis ſunt quidam Iuriſprudētiam practicam profitentur, quorum præcipui Franciſcus Valck, Theodorus Boorten, Beukelius vā Santē, Simon vandē Broeck, Gul. *H*ulfft, Gulielmus vander *H*orn, qui fiſco patrocinatus in India occidētali Farnabuci, nunc à ſecretis *H*arlemeis. Quidam operam maxime impendunt componendis moderandiſque litibus & controverſiis, arbitri honorarii, non mercenarii, à Magiſtratu ſæpenumero ad munus illud electi, & ordinati gratuito officio, quales Iiſbrandus Olykan & Georgius ille vande Velden.

Denique quidam etiam honoris duntaxat titulo advocati, consulta non dant, nemini obnoxii; quales sunt Theodorus Ramp à Rollen, & frater ejus Egbertus Rāp, item Adrianus & Frāciscus Kies fratres, qui opibus pollent, & ejusdem fere conditionis sunt sequentes, videlicet, Adrianus vā Dorp, Iohannes Verwer, Ioh. Laignier, Theod. Schout, Cornelius Dobbius, Giisbertus Appelman, aliique complures qui privatam vitam agunt, quibus bene latere, & bene vivere, secundum Epicuri illud, λάθε βιώσας. Ita pauci oppido juris interpretes & legum periti ad reipublicæ *H*arlemianæ gubernacula admittuntur, seu sæculi vitio sive relligionis divortio. *H*odie in ordine Senatorio duntaxat duo, Iacobus Druyvesteyn & Iacobus Steyn. De I. C. plura dicere supersedeo. Nunc ad Medicinæ Doctores, & gentem illam Aesculapiam transeo, quos in Classem III. remitto: pauci eorum reipub. præfuere si Annalium constat fides. Nam Anno 1479. Scabinus fuit Petrus Balling & postea consul; & post eum Iacobus Baudini, ambo medicinæ doctores. Anno 1531 Mag. *H*endricus Arnoldi Physicus professione, medicinæ doctor civitatis & pariter Xenodochii publicus, cujus salarium exile admodum cæterisque ejusdem professionis viris toga fuit IX. florenorum, præter immunitatem à vectigalibus eo tempore. Non plures in tabulis publicis Medicinæ doctores qui in ordinem amplissimum electi ad gubernacula reipublic. sederunt; nisi quod posteriori ævo Nicolaus de Febvre Medicinę Doctor, cum omnes dignitatis gradus obiisset, tandem ad consulatum evectus in Ordinum collegio triennio vixit. Doctores Medicinæ ab omni hominum memoria fuisse, & semper quamdiu aliquam rempub. habuimus, non est dubium, quia Medicorum ope carere non potest humana indigentia & imbecillitas, quæ morbis obnoxia Medicorum opem salutarem implorat, & adorat tanquam Deos sospitatores & malorum averruncos. Qui felices in praxi medica fuerint, ab aliquot retro annis, præter eos quos nominavi, non ausim dicere. Itaque qui nostra & parentum memoria vixerunt, eorum duntaxat nomina recensere est animus. Doctorem quendam fuisse, cui nomen Cornelius Gallius, à parentibus accepimus insignem practicum: Et post eum *H*adrianum Iunium, omnium Medicorum coryphæum, qui omnigenæ eruditionis

Medicorum classis.

eruditionis apicem, & sæculi miraculum, ex Gulielmo Bollio, qui Regulariũ Prior fuerat, quique cum eo conjunctissime vixerat, intellexi, plura de eo dicturus sequenti Classe. Post eum Ioh. Duvius fuit, alter Aesculapius, qui eo tempore parem non habuit in arte Medica, à Magnatibus sæpe vocatus extra urbem: ille observationes Medicas, quas in volumina aliquot congesserat ex assidua praxi, Doctoribus junioribus amicis suis reliquit ad ægrorum solatia. Circa ea tempora Adrianus Teilingius, qui in Italia peregrinatus fuerat, Harlemi etiam Medicinam exercuit, qui propter artis medicæ peritiam sæpe in Frisiam vocatus à Comite Ernesto. *De morbis mulierum scripsit*, sed non exstant. Augustinus quoq; Teilingius patruelis ejus, qui pharmacopœus fuerat, medicinæ minime rudis, quam exercuit etiam non infeliciter. Commendatio D. Doctoris Duvii Georgium vander Plas, juvenem adhuc, ex Italiam tum primum reducem, promovit: Unde illi praxis ampla, qui obiit in flore ætatis, plangentibus ægris, & valetudinariis. Martinus etiam Pelanius eodem tempore Doctor publ. civitatis, Paduæ promotus. Et cũ eo Damius Matthias, qui Theologiæ destinatus ad Medicinæ studium animũ applicarat, Cadomi promotus: postea cũ gradũ in medicina haberet, in Polonia peregrinatus dicitur, multarũ linguarum peritus. in comitatu legati cujusdã regii, Constantinopolim delatus, Turcarum imperatorem salutavit tunica aurata insignitus, more sollenni: reversus in patriam medicinæ se totum dedit; qui studio medendi, ut ægris subveniret, peste sublatus cælebs adhuc, An. 1636. Hoc tempore Ioh. Deswatiin artis Medicæ specimina majora indies dedit, & fidem meruit apud cives suos, primarius jam civitatis Doctor, qui in mathematicis, physicis, opticis, atque adeo in omni philosophia mascula versatissimus: scripsit *moralia* accurate admodum, stylo non vulgari. Multa adhuc habet in scriniis scripta erudita, quæ lucem merentur, indigesta. In ordine medentium non postremus Gulielmus Brouwerius, qui Bononiæ promotus, in magna exspectatione apud suos fuit, quam & fovit usq; in hunc diem, summus practicus. Contra Cornel. Westerloo in medicina Theorica voluptatem magis cepit, vir subacti judicii, gravis politicus, & poëta non infelix. Et qui patria pulsus temporũ injuria Doctor Carolus, medicinam hic

exercuit bene lucrosam, ut qui officinam habuit pharmacopœi. is in vigore ætatis adhuc cholica passione exstinctus dicitur. Qui que plures alii, (longum esset recensere omnium nomina, & dona therapeutica) quales Ioh Episcopius, Simon Rodentiis, Hieronymus de Clerck, Hendricus Braver, qui præmatura morte exstinctus mærentibus civibus. Proxime ad hos accedunt medici aliquot novitii; in hoc ordine ordinem ducit D. doctor Santius, philosophus & physicus non vulgaris; item Philippus de Glarges Syndici filius, Doctor Werckhorstius, archiatri Werchorstii filius, qui Leidæ praxin exercuit satis felicem à multis retro annis. Item D. Iacobus Akersloot minime ambitiosus, tum Mahu le Fevre consulis filius Xenodochii doctor: tum doctor à Veen, Gualtherus à Leent: adhæc D. Gulielmus à Teffelen, Dionysius Bellens, & si qui sunt præterea, quorum nomina innotescent indies magis crescẽte praxi. Discreti à medentium ordine Chirurgi, qui manu industrii, curant ulcera, vulnera, & necessitate id exigente, urunt, secant ex prę scripto medicorum. Inter hos celebres maxime nostra & parentum memoria, M. Lambertus, qui tum temporis coryphæus in arte chirurgica, & post eum M. Iohannes Damius, qui relicta & posthabita chirurgia ad politiam se vertit, ad Scabinatum, & tandem ad consulatum evectus. Hos proxime sequitur qui adhuc in vivis in arte chirurgica excelluit, & quæstum fecit, jam emeritus sibi vivit, M. Gulielmus Brouwer. Ante eum fuere M. Volcardus Doctoris Pelanii pater, & M. Gerrebrandus chirurgus olim civitatis, & M. Gerardus Schoneus: item M. Ioh. Wat, natione Germanus, qui castra aliquandiu secutus saucios ligabat, & postea Harlemi praxin exercuit cum laude. Nec cuiquam cessit M. Florentius ab Adrichem. Nec silentio prætereundi illi, quos commendat canities venerabilis propter experientiam quam habẽt, nimirum M. Gellinchuysen, qui Xenodochii chirurgus nõ è multis, & M. Cornelius Cooper, qui hoc peculiare habet, quod, præterquam quod in arte chirurgica certare cum optimis possit, *multorum providus urbes Et mores hominum inspexit*, & præcipuas orbis habitabilis partes lustravit. Nam Genuam primum Ligurum caput delatus Liburniam petiit, & mare Adriaticum emẽsus Venetos adiit, Alexandrettam etiam vidit, Alepum vidit: in mari Adria-

Chirurgi.

Adriatico Cyprum & Rhodum. Postea terra jactatus & alto, in manus Turcarum incidit; captivus Antiochiam delatus, & ibi aliquandiu commoratus, Proregi in Algier, propter artis Chirurgicæ peritiam charus fuit, acceptusque & in honore habitus inter barbaros; ibidem chirurgus classis, cui Wynandus præerat. Tandem manumissus, tres Belgas Christi nomen profitentes, libertate donatos in gratiam ejus, reduxit in patriam sospites. Verum illud memorabile inprimis, quod jam dictus Cornelius, Antiochiæ cum esset, in hominem barbarũ inciderit natione Tartarum, cui nomen Carbadam, qui præsens remedium eum docuit, quo mulieribus parturientibus sæpe in hac urbe miraculosam opem tulit. Inter posterioris ævi chirurgos maxime celebres Cornelius van Suchten, qui hernia laborantes feliciter curat, cætera non indoctus; *M.* Casparus de Busscher, tam felix *M*usicus, quam practicus; & qui nemini horum cedunt *M.* *M*artinus Eversdiick, & *M.* Iacobus vir industrius & ambidexter, qualis etiam *M.* Ioh. Eritsom. *M*itto *M.* Timannum & fratrem ejus & alios complures artis chirurgicę minime rudes, de quibus jã plura dicere supersedeo.

Una adhuc Classis superest, quam philologis destinavi, quæ late patet, & in cohortem admittit philosophos, mathematicos, Astronomos, Geographos, historicos, Oratores & Poëtas: item Arithmeticos, Musicos, atque adeo omnes qui artes liberales profitentur; omnes denique qui politioris litteraturæ studiosi, numero pæne infiniti, pauci celebres. Inter hos ordinem ducit *D.* Adrianus Iunius, patria quidem Hornanus, sed Harlemi altus & educatus, à teneris unguiculis optimis litteris institutus. Celebriores vix Batavia habuit, quam Erasmum Rotterod. & Hadrianum Iunium, sed Harlemũ patria altera illi fuit, quam juventutis suæ nutricem habuit, ubi parentes mentium pręceptores habuit Zenonem Epicureorũ coryphæum à Philone Atheniensi appellari solitum, ut refert Cic. Ego omnis eruditionis & politioris litteraturæ coryphęum Iunium nostrum non verear dicere, de quo Theodorus Velius popularis eius medicinæ Doctor ita testatur, lib. IV. Chronicorum suorum. Natus (inquit) Hornæ Hadrianus Iunius, An. 1512. primo Iul. qui à teneris studiis litterariis innutritus, Harlemi primum, ubi Schola celebris erat & bene constituta, in qua

Philologi.

cum

cum operam litteris daret, propter ingenii acumen & sagacitatem in respondendo, tenella ista ætate, lumẽ Scholæ audiebat, & juventutis Harlemianæ Phœnix dicebatur. Exinde studiorum severiorum causa Lovanium missus, ubi brevissimo temporis spatio, tantum profecit, ut Lovaniensibus pro naturæ miraculo haberetur. Vnde Harlemei nominis ejus fama permoti Harlemum vocarunt, & ampliss. conditionibus vocatum Scholæ suæ præfecere, in qua litteras latiales & Græcas professus dicitur. De eodem Gualtherus Gouthovius refert, eum magnatum & potentiorum civium filios, litteras tam latinas quam Græcas docuisse, pertæsum fortasse pulveris scholastici. Verum ante obsidionis tempora refert eum Delphos commigrasse, capta subactaque Harlemo, magnam bibliothecæ suæ (quam instructissimam habebat) jacturam passum, militum ferocia. Inter alias suas lucubrationes non sine dolore animi amisit, Commentaria in Plinium, Flaccum, aliosque complures authores veterum classicos. Exinde profectus in Zeelandiam appulit, fatalem sibi: nam ibi non ita multo post Arnemydæ obiit, & sepultus est, Anno vitæ suæ climacterico, qui fuit Annus 1575. De eodem pergit narrare Theod. Velius: Hadrianus Iunius Hornanus Medicus, Historicus, Poëta, & Polyhistor incomparabilis, alterum ab Erasmo Hollandiæ lumen. Vir in quo omnia excellebant, Medicinæ, Historiæ, Antiquitatis peritia, ingenium ad Poësin factum: Linguas præter vernaculam, septem tenuit, Græcam, Latinam, Gallicam, Italicam, Hispanicam, Germanicam & Anglicam.

Scripsit varia, ut ingenii erat varii & magni. *Philippeidem scripsit, sive Carmen Heroicum in nuptias Philippi II. primi Hispan. ac Mariæ reginæ Angliæ, Londini. An.* 1554. *De anno & mensibus commentarium.* Item *Fastorum librum, sive* ἡμερολόγιον. Basil. Anno 1556. Item *De fungo Phalli, in sabuletis Hollandiæ nascente.* Delph. Anno 1564. *Nomenclatorem*, typis Plantini. *Animadversionum lib. vj. De Coma commentarium. Stromatum opus eximiũ. Emblematum & Aenigmatum libellum*, typis Plantin. *Adagiorum post Erasmum Centurias* VIII. *Epistolarum volumen ingens. Anastaurosin Christi.* Item *Battaviam, fœtum posthumum. Poemata sacra & profana posthuma*, quoque apud Plãt. Anno 1599. *Cornu-Copiæ sive Eustathii in Homerum compendium. Scholia in L. Annæi Senecæ ludum*

Claudii Cæsaris à Observationes breviores aliquot in Plauti Comœdias. Symposiaca Plutarchi Latina fecit; cum scholiis brevibus. Cassii Sophistæ Problemata cum Latina interpretat. & Græci exemplaris castigationibus. Hesychium Milesium de claris Philosophis, cum versione Latina & Notis; Eunapium de Vitis Sophistarum cum Latina interpretatione; Nonium Marcellum, & Fulgentium Placiadem de prisco sermone, ope veterum Codicum restituit: Apud Plant. Anno 1565. *Lexicon græco-latinum, multis vocibus locupletavit, Basil.* 1548. *Ioh. Ravisii Textoris Epithetorum Epitomen recognovit auxitque.*

Mortuo Epitaphium hoc illi à filio positum.

HADRIANO IUNIO Hornano, Philosopho, Medico & poëtæ celeberrimo, Bataviæ historico fidelissimo, cujus in omni disciplinarumgenere, exquisita eruditio, singularis industria, infinitæ lectionis præstãtia, multiplex linguarum scientia, pari conjuncta comitate, Doctorum omnium admiratione͂, laudemque meruit, post varia incompabilis ingenii monumenta, quibus æternam sibi memoriam comparavit, sub hoc marmore condito Patri optime de me merito, Petrus Iunius mestissimus, pietatis ergo P.C. Vixit annis LXIII. obiit 16. mensis sibi cognominis. Anno Salutis 1575.

Versus in Effigiem Had. Iunii.

Hoc decus Harlemi latitat? Cælestibus iræ
Tantæ? qui dignus luce alioque loco est?
Sed ridet fumos, solida virtute superstes;
Historiis patriæ nonne supremus erit?

Proximus & ordine & merito popularis meus P. Scriverius, de historia Bataviæ nostræ optime meritus, atque adeo de omni politiore litteratura, Ordinum historiographus. Qualis ille sit, scripta indicant: de quo Ampsing. noster.

P. SCRIVERIUS natus Harlemi Anno 1576, prima studiorum tirocinia Harlemi fecit præeunte Cornelio Schonæo celebri Comico. Iuri civili Lugdun. Batavor. operam daturo amœniores Musæ prævaluere. A foro itaque alienus, privatus & lare secreto degit, vir doctorum & bonorum amicitia dignus: Historiographus, philologus & poëta insignis.

Edidit *Vegetium, Iul. Frontinum*, & alios de re militari authores, è M. S. Codicibus emendatiores, Lugdun. Batavor. Anno 1670. *Aquilii Gelriæ Chronicon cum observationibus Anno* 1609. *Veterem Bataviam cum comitibus,*

Arnemiæ, an. 1616. *Animadversiones in Martialem, Lugduni Batavor.* an. 1619. & eundē secundo recēsuit, ibid. 1621. *In Senecam philosophum Notarum Spicilegium. Ibid.* 1619. *Collectanea Vet. Tragic. cum Seneca trag. cum notis.* Ibid. 1620. *L. Apuleium serio castigavit semel iterumque editum Lugdun.* Amst. 1622. 1624. *Edidit III. Singularibus lib. Ioh. Secundi, Iani Douzæ & Ios. Scaligeri poemata. Ejusdem Scaligeri anthologiam Epigr. Græcor. ex Martiale. Aliaque vulgavit dissimulato authore. Adornat Miscell. philologica, & novam edit. Mart. sui & Senec. trag. Item rerum Hollandicar. Scriptores Vet. cum Notis. Annales Holland. Vberiores, & seorsim patriæ suæ description. Vltrajecti, Holland. Zeelandiæque Diplomata vetustiora.* Item *Hedam, Becanumque correctiores, aliaque. Poëmata ejus varia sparsa digna erant, quæ in unum fascem colligerentur, iunctimque ederentur.*

In effigiem P. Scriverii.

Hos vultus gerit in vili Scriverius *ære,*
Signaque dat genii sed minus apta sui.
Nil tabula est. frustra tabulis concluditur istis,
Quem minus angusto limite mundus habet C. Barl.

IOHANNEM PONTANUM in familiam Eruditorum Harlem. Ampsingius refert, & recitat, quod patrem habuit Harlemi natum, his fere verbis: Ioh.: Isacius Pontanus ita dictus, quod in Ponto Danico sive de Sont sit natus patre Harlemensi, Reipub. Batavicæ nomine in illas oras Ord. Legato. Vir doctiss. & clariss. qui varia regna ac loca, Germaniam, Galliam, Italiamque, (reportato inde Doct. medici titulo) doctorumque inibi bibliothecas diligentissime perlustravit, & Lugduni Batavorum aliquandiu subsistens, Lipsii ibidem auditor fuit; postea eandem Musarum sedem repetens, edidit typis Rapheleng. *Macrobium auctiorem.* Postea à Geldriæ Ordinibus vocatus ad illustre Gymnasium Hardrovicenum illustrandum, Physices & Mathemat. professor: Conscripsit ibid. *Itinerarium Galliæ Narbonensis, adjecto Glossario prisco Gallico, seu dissertatione, de veteri Gallorum lingua, apud Commelinum Anno* 1606. *Rerum & urbis Amsterodamensium historiam lib. III. Anno* 1611. *Originum quoque Francicarum, Hardrovici Anno* 1616. Vulgavit quoque *disceptationes Chorographicas de Rheni ostiis, adversus Philippum Cluverium, Amsterodami Anno* 1614. Item *disceptationum Chronographicarum novam Syllogen. adversus eundem. Hardrovici.* 1617.

Notas ad M. Ann. Senecæ controversias,

verſias, ad P. Scriverium Lugd. Notas in Tragœdias L. Ann. Senecæ & aliorum, ad eundem. Notas in veterum historic. Latin. fragmenta, apud Commel. 1622. Notæ in Apul. P. Scriverii exſtāt hactenus ineditæ apud eund. Degit adhuc Hardrovici, totus in ſcribendis Annalibus Geldriæ atque edendis rerum Danic. monumentis, utpote historiog. Regius.

Nec ſilentio prætermittendus GEORG. BENEDICTUS à Werteloos Poëta elegantiſs. ac juxta feliciſſimus. Poëmata edidit *de rebus geſtis illuſtriſſ. Principis Gulielmi Comitis Naſſovii lib. II. Epigrammata item, & Epitaphia, Lugd. Batavor. Anno* 1586. Superſunt multa ejus poemata inedita, apud clariſſimum virū P. Scriverium, quæ accepit Heidelberga. Obiit Anno 1589. ætat. 25.

De hiſtoria noſtri temporis, meo quidem judicio, nemo melius meritus quam PET. BORRIUS Vltrajectenſis: deſcripſit enim & divulgavit originē, cauſas & continuationem Belli Belgici uſque ad annum 1590: & ſequentes multis operoſis voluminibus proſecutus eſt. Eandem materiam cantilenis quibuſdam numeroſis, ad æternam rei memoriam complexus eſt uſque ad annum 1574. Adhæc *continuationem Chronicorum Carrionis*, ſub Rudolpho II. & Matthia Imperatoribus aucta edidit. Et quaſi otio adhuc abundaſſet, Tragicomedias in proſa, alteram de Apollonio Tyri principe, alteram de eodem & Tarſia, filia ejus. Sic Harlemi annos aliquot habitavit, ibique mortuus eſt, & ſepultus. In hanc Claſſem veniunt quoque qui litteras publice profeſſi Rectores, indulgentia Alberti Ducis Auſtriæ à Magiſtratu admiſſi, quibus id jus datū circa ann. 1389, quorum nomina vetuſtatis ærugine obducta in occulto latent. Antiquiſſ illi, Lambertus Roſeveldius & magiſter Iacobus Meyſterus, quorum mētionem feci. Qui parentum & noſtra memoria vixere, celebres illi & eruditione clari. *Primus* mihi in hoc ordine ſeſe obtulit *Helicon Schagen*: qui præfecturam Scholæ ambiit atque exambiit, qui rem litterariam reſtituit collapſam, & juventutem moratam habuit, & ſapere magis docuit veterum diſciplinā, Annó 1519.

Hunc ſecutus magiſter *Gualtherus Hendrici*, qui linguam Græcam & Hebræam, publice in Schola profeſſus eſt: cui ſalarium deſtinatum annuum XXIV Librarum Flandricarum, Anno 1527. Cui ſucceſſit *Doccomius Friſius*, qui educandis erudiendisque pueris apprime idoneus, quod de Dio-

gene refert Erato Lampsacenus. Eum Hadr. Iunii viri incomparabilis Præceptorem fuisse ex temporum circumstantiis colligo. Et post eum *Iacobus Iperius*, qui dicere non tantum sed facere etiam suos docuit, Phœnicis Homerici exemplo, tamen invidiæ obnoxius, Episcopo suspectus, cum novæ inquisitionis consilia invalescere primum cepere. Eum ni fallor secutus *Cornel. Duyck*, qui in Ordine ampliss. locum tum temporis habuit. De eo Senat. C. An. 1568, petente id Episcopo. Et, Schola removẽdum & alium in locum eius surrogandũ. quia in Senatu Augusto veniam à Ferdinando petendam consenserat, dissentientibus plerisque, Senatu remotus & exauctoratus. In locum ejus surrogatus *Cornelius Hagius*, qui à gravitate dicendi, Olympius appellari meruit. Is quoque quoniam ea tẽpora scabrosa erant & periculi plena, in hæresios suspicionem venit, & eo nomine male audivit. mors prævenit antequam in judicium Ecclesiasticum vocaretur, obiit duabus ante septimanis, quam capta patria est. ita non Episcopum in Ecclesia, sed Iudicem in cælesti Curia habuit Deum. Eo ipso tempore *Cornelius Schonæus*, qui proximus ab Hagio collega, Rector creatur medio in armorum strepitu, dissipato discipulorum grege, quos cessante paulatim militum insolentia, receptui canere jussus, erroneos militari more collegit. Is provinciam oppido laboriosam magno animo suscepit, & Scholæ Harlemianæ præfuit citra invidiam annos XXXVI. cultor ingeniorum admirandus, Præceptor meus, cujus memoriam nunquam nisi cum vita deponam. Cornelius Schonæus, patria Goudanus, vir apprime doctus, nobilissimus Comicus, Terentii imitator, qui ex eo Terentii Christiani nomen meruit: Poëta non infelix; Comœdias scripsit argumẽto sacras, etiam ludicras, & varia poëmata erudita. Item Rudimenta Grãmatices stilo Valeriano ex decreto illustr. Ordin. Hollandiæ edidit, sed non recepta ob omnibus. Successit Schonæo etiam ante mortem *Theodorus Schrevelius*: nam ingravescente ætate, fatiscentibus viribus Schonæi, cum aliquot annis vicariam operam optimo seni præstitisset; Coss. tandem commiseratione ducti emaciati Senis, multorum annorum Rectorem rude donandum, & quasi in Prytaneo alendum censuere, relicto ei salario integro, atque emolumentis omnibus, eũque in locum ejus surrogandum censuit ordo ampliss. Ita vivo adhuc

adhuc & superstite Schonæo, habita primum oratione, sollenni ritu Rector creatus, qui Scholam florentem habuit in exemplum, ex qua ut ex equo Trojano principes Græciæ, ita ex ludo ejus litterario utiles patriæ & Ecclesiæ cives prodiere.

Schonæus obiit Anno 1611. Novembr. 23. Ætat. 61. cujus Manes veneratus Theod. Schrevelius hoc Epitaphio.

Rector *juvetæ Musici Ductor gregis,*
Schonæus, *egi fabulam fictam prius,*
Veram peregi: summus hic actus mihi,
Scenam relinquo, vos valete & plaudite.

Schrevelius qualis fuerit scripta loquuntur, daturus alia atque alia si volet Deus. Ac primum quidem lusit juvenili ætate *Trophæum Pelusiacum in expeditionem Harlemensium in Aegyptum:* Item *de Patientia lib.* IV. *Lugdun Batavor.* Anno 1623. Item *Diatribas Scholasticas, sive Orationes*, continentes potissimum ea quæ ad laudem & commendationem Scholarum spectant, tum quæ ad ἀταξίαν & oeconomiam earumq; faciunt. *Orationes de Calumnia tres. Orationem item apologeticam & alteram ἀποβατήριον, cũ provinciam Scholasticam deponeret jã emeritus, aliasque diversi argumenti.* Item *Orationum selectarum σύνταγμα*, quarum argumenta petita pleraque ex sacris, quædam ex Ethicis & Philosophia moralì, nonnullæ etiam ex poëticis omnes fere publice habitæ.

Poëmata etiam varia, Iambos morales quæ exstant Hierosticha, & hymni sacri, psalmi pœnitentiales, Epicedia, natalitia. Hymen seu epithalamia diversorum. Elegiarum Lib. unum, Epigrammata varia.

Multorum annorum Rector Schrevelius, stationem relinquere jussus, Lugdunum cum se contulisset ad nova studiorum commercia, propter filios, Rector Lugd. creatus, vocatus ad Scholæ Lugdunensis regimen, favente Deo. *Iohannes Middelhovius*, propterea quod Scholam paganam haberet, idoneus judicatus à Magistratu, inconsulto synedrio quem scholæ suæ præficerent: ille Pastoris personam deposuit, Rectoris assumpsit. Ille Theologus non indoctus, in litteris nihil egit quod memoria dignum, Scholæ præfuit septennio. Verum is cum male audiret, exauctoratus, nec ita multo post surrogatus in locum ejus *Gul. Nyenhuisius*, qui boni ominis causa orationem inauguralem habuit, quam edidit, Medicinæ non rudis, & Græcæ linguæ ita peritus, ut profiteri eam in Academia cum laude potuisset. Facit ad existimationem ejus, quod

inter N. Testamenti interpretes unus fuit. Nec diu vixit, in flore ætatis discessit, Harlemi elatus, Enchuysæ sepultus. Postremus ordine, sed non virtute, *D. Iustus Duyst*, qui annis aliquot Conrectoratu functus cum laude, dignus habitus qui ad altiora promoveretur: Rector tandem creatus, & adlectus in ordinem amplissl. qui eruditionis suæ specimina antehac dedit, & daturum insuper confido, digna vocatione ejus. Sed postea ad majora vocatus provinciam scholasticam deposuit, rebus maritimis præfectus. Duystio successit collega proximus, Ursinus, litterarum coryphæus, magister artium non è multis. Atque hi fere sunt quos Harlemum habuit & habet adhuc hodie complures eruditione insignes, in omni scientia & facultate exercitatos, artium peritos, & humaniorum litterarum cultores perpetuos. Inter hos non postremus Simon Ioh. à Tetrode, vir industrius & poëta non infelix, cōdiscipulus olim meus, chartæ Pergamenæ factor & mercator.

TYPOGRAPHIÆ

Inventum.

IN cohortem eruditorum dignus qui recipiatur inprimis LAURENTIUS COSTERUS, qui artis typographicæ inventor ingeniosus & pæne divinus, de quo hæc fere traduntur. Typographiam Harlemi inventam nemo nostratium dubitavit, quamvis nonnulli contendant hanc artem Maguntiæ inventam, quæ veteris Germaniæ primaria Civitas, Episcopatus titulo insignita. Tralatitiam fuisse artem typographicam in Germaniam & surreptitiam concedimus, Harlemi inventam asseveramus, cū Scriverio populari meo, contra Moguntiacos Zoilos:

Vana, quid archetypos, & præla Moguntia iactas:
Harlemi archetypos, prælaque nata scias.
Exstruit hic (monstrante Deo) Laurentius artem.
Dissimulare virum hunc, dissimulare Deum est.

Quotquot enim cives Harlemi nati & educati, fide omnes digni hoc quasi per manus traditum à parentibus accepisse, ante annos CCVIII, civē non è multis Harlemi fuisse, qui in ædibus satis

ſatis ſplendidis foroque immi-nentibus è regione Palatii regalis habitabat: Ei nomen fuit *Laurentius Ioh.* Sacriſteyn, quod æditu-um ſignificat, nomen familiæ, munus enim hæreditarium fuit in iſta ſtirpe: ita ut hic honos ipſi ſoli debeatur multis inviden-dus. Is autem id pro more habe-bat, exſpatiare in ſuburbano ne-more, in ſilvis obambulare, & cum forte meditabundus in a-mœnis viretis conſediſſet, tem-poris fallendi cauſa, venit in mentem in fagino cortice, litte-rarum typos formare, dein no-men incidere, quod impreſſit dorſo manus, relictis totidem in cute litteris: mox verſiculum u-num atque alterum animi gratia ducere, & recta linea litteras; quas atramento imbuebat novus artifex & puræ chartæ imprime-bat. Hoc primum fuit artis ma-ximæ rudimentum, quod ubi fe-liciter ſucceſſit, cepit animo al-tiora concipere. Primũ omnium atramenti ſcriptorii genus gluti-noſius, tenaciuſque excogitavit. placuit inventum. adhibito tan-dem in conſilium & partem cu-ræ genero ſuo Thoma Petri. qui filios reliquit IV. qui omnes ſuc-ceſſive Coſſ. & conſulares fuere, ne quis exiſtimet è fece vulgi fuiſſe homines, qui tam præcla-ram artem invenerint, Dei in-ventum. Inde totos pinacas cha-racteribus expreſſerunt, ſed ab una tantum parte. Exſtant hodie-que ejus operis adverſaria pagi-nis tantum adverſis impreſſa, quę paginæ glutine commiſſæ inter ſe cohærent, ut videantur eſſe opiſtographæ. Ex hoc typogra-pheo liber prodiit, qui lingua vernacula ſcriptus *Speculum ſalutis* inſcribitur. Hæc prima quaſi in-fantia artis hujus, quæ paulatim incrementa cepit. Nam auctor alta mente præditus, bacillos bu-xeos protinus mutavit, & chara-cteres plumbeos fecit, mox è ſtã-no fuſiles litteras formavit, ma-gis concinnas, & durabiles ma-gis, quas Gerardus Thomæ dili-genter aſſervavit ad fidem poſte-ritatis. Cumque jam progreſſus facerent indies majores, etiam rem facerent ex arte, & ex voto inchoata ſuccederent, quæſtum etiam facerent, Author non fuit par labori typographico. Ita ne-ceſſe habuit mercenariorũ ope-ra uti, quos non admiſit in offici-nam ſuam, niſi dato primum fi-delitatis juramento, ne ſecreta artis typographicæ eliminarent, aut alios docerent quovis modo. Non obſtante eo, *Iohannes* qui-dam, ſive ut fert ſuſpicio *Fauſtus*, hero ſuo infidus, à quo artem o-mnem fuerat edoctus, ipſo per-vigilio natalis Dominici, omne

typorum

typorum choragium involavit, asportavitque primum Amstelodamum, inde Coloniam Agrippinam, denique Moguntiacum: Vbi hic trifurcifer & sesquilavernio, sibi inventionis novæ laudem arrogans, intra vertentis anni spatium ad annum à nato Christo M. CCCC. XLII. iis ipsis quos hero fuerat suffuratus litteris in lucem edidit, *Alexandri doctrinale cum Pet. Hispani tractatibus*. Hinc rumor vulgo Moguntiæ artem typographicam inventam in præjudicium Laurētii Costeri. Concedere hoc possumus artem typographicam & excultam in Germania fuisse, sed inventam Harlemi. Nihil obstat, quod Polydorus Virgilius lib. de rerum inventione, hanc laudem tribuit Ioh. Guttenbergio nobili Germano. Necmirum. nam cum filii & hæredes Laurentii sese fraudatos eo honore sentirent, dolerent etiam, statim apud eos amor & studium propagandæ & excolendæ artis refrixit, nec cura illis in posterum fuit typographiæ propagandæ & instaurandæ: cum alii jam essent qui artem illam in honore habuerunt. Nam anno 1458. Conradus Germanus artem illam Romæ exercere cœpit. Verum post illum Nicolaus Iohan. Gallus, magnopere exornavit atque emendavit. Sed supra omnes Aldus Manutius Romanus, Græcę & Latinæ linguæ bene peritus, hanc artem perfecit magna diligentia & labore, nec sumptibus pepercit, aliis in exemplum, atque adeo laudem quæsivit ex accurata editione, ut Aldianæ editiones correctissimæ & maxime expetitæ fuerint. Primus ille, qui prælum instituit Græco charactere. Eius rei qua jam probavimus artem Typographicam Harlemi inventam, extat inscriptio in frontispicio domus.

MEMORIÆ SACRUM.

TYPOGRAPHIA

Ars artium, omnium Scientiarum conservatrix, hic primum inventa Anno M. CCCC. XL.

Post eruditorum Classes merito ponendos censeo viros arte insignes; magnam enim affinitatem inter Picturam & Poëticam esse, dixit olim Simonides, qui Picturam tacitam Poësin, Poësin autem picturam loquentem nuncupavit. In eam sententiam locutus Horatius videtur, *Vt pictura Poesis erit, &c.* Utraque enim facultas commune aliquid habet. Nam sicuti Poetis potestas data, quidlibet fingendi & audendi, ita & Pictoribus par licentia. Rursum ut quædam Picturæ videri *Arte insignes Pictores.*

deri

deri cominus volunt, quædam eminus; aliæ in opaco, aliæ propatulo & ſub luce videri amant: Ita poema aliud obiter & perfunctorie, aliud accurate legi ambit, *Iudicis argutum quod non formidat acumen.* Eorum autem qui arte inſignes, non unum genus: In primis Picturæ honos antiquus. Sicyone primum, deinde & in tota Græcia mos ille obtinuit, ut pueri ingenui ante omnia diagraphicon, hoc eſt, picturam in buxo docerentur: Sicut *Romani pueri longis rationibus aſſem diſcebant in centum partes deducere.* Ea etiam ejus artis dignitas, ut in artium liberalium contubernia recepta jam olim fuerit. Semper quidem honos ei fuit ut ingenui eam exercerent, mox ut honeſti, pepetuo edicto ne ſervitia docerentur. Ex arte ea, traxere Pictorum cognomina Fabii clariſſimæ gentis. De Q. Fabio accepimus, qui nepos Qu. Fabii conſularis, triumphaliſque, cum natura mutus eſſet, eum Meſſala orator picturam docendum cenſuit, quod & D. Auguſtum approbaſſe teſtantur hiſtoriæ. Pictoribus igitur proximum ab Eruditis locum dari nemo artificum invidebit. *P*ictores autem eos dico qui colorum pigmentis ſpirare imagines faciunt, & artificioſo penicillo (prout lubitum ſive hominem ponere, ſive Deum) ad vivum exprimunt. Quique Terrarum ſitus, fluviorum vortices, Montium & ſilvarum ſaltus, æſtum maris reciprocum; Monſtra maris Scyllam & Charybdim. Adhęc Dryades, Hamadryades, Orphea in ſylvis, in montibus Oreades, Naiades, Napeas & maris algoſi Nymphas Nereides: Qui portentoſa etiam monſtra fingunt: pingunt etiam triformam Chimæram, Cerberum tricipitem, Hydram Lernæam, & plura id genus cerebri ſui commenta tabulis mandant audaci penicillo. Ars iſta tam late patet, quam rerum univerſitas oculis aſpectabilis. A pictura ſeu Graphice excludi non poteſt Plaſtice, quam artis ſtatuariæ, ſculpturæ, celaturæ matrem dixit *P*linius. Et ut olim apud Græcos Sicionia, apud Italos Florentia *P*ictoribus, & artificibus non è multis: Ita Harlemia urbs apud Batavos antiqua, picturis oleaginis cujuſcemodi generis ita inclaruit, ut ea quaſi nutrix viſa excellentium in quavis arte ingeniorum. Et pervulgatum adhuc hodie, optimos quoſque pictores à multis retro ſæculis hic enutritos, ut Harlemum *P*ictorum Academia habita ſemper fuerit. Indicant illud tot præclara in

arte ingenia, eorum qui Harlemi nati atque educati ſunt. Inter quos ab antiquitate maxime cõmendabilis *Ioh. ab Hemſen* Harlemius, qui pro more habebat magis imitari antiquos quã modernos ut vocant Pictores: Maiori ſtatura imagines & ſatis curioſas. Is tabulam pinxit, in qua Chriſtus medius inter Apoſtolos, Hieroſolymam verſus, quæ proſpectu remotior: Ea adhuc exſtat Middelburgi, in ædibus Corn. Monixii, qui artis graphicæ ſummus æſtimator. Circa ea tempora, celebris pictor *Ioh. Mandin* fuit, qui ad imitationem Hieron. Boſch pro more habebat, Lamias, Striges volatiles, Lemures nocturnos, & Dæmonum monſtroſas facies pingere ingenioſo penicillo, & plane poetico: Is Antwerpiæ, tanto in honore fuit propter artem, ut pub. ſalario à Civitate donatus fuerit, magno nominis ſui honeſtamento: obiit Antverpiæ. *Albertus* cognomento *Veteraquinas*, quando vixerit, in ambiguo eſt: Eum Ioan. ab Eyck coætaneum fuiſſe quidam colligunt ex temporum circumſtantiis. Hoc conſtat, eum anteceſſiſſe Gerardum Iohannitam, qui diſcipulus ejus fuerat non è multis. Hoc certum atque indubitatum eſt, Albertum, quem jam dixi, Harlemi pictorem fuiſſe olearium, qui pigmentis ex mixtura olei temperatis utebatur, nec aliis, exſtitit olim in templo auguſto magni pretii tabula in altari Romano, à parte Auſtrali, quam exſtruendam illi dederãt qui peregrinationis vota feciſſent ad viſendas S. Bavonis relliquias, qui Roma venerant. Duas imagines ad vivum expreſſerat, alteram D. Petri, & D. Pauli alteram. Ad pedem altaris Terrarum ſitus, nemora & ſaltus, viarum divortia gratioſe pinxerat: in via varios viatores, quoſdam ambulantes, quoſdam diſcumbentes, & ad quietem compoſitos, cibo ſe reficientes & vino, aſtante lagena. Excellebat in oris lineamentis, manibus, pedibus ad vivum exprimendis, in toroſis itẽ linteis variante ſinuamine. Pinxit quoque effigiem reſuſcitati à morte Lazari, quæ capta urbe ſubdole non ſoluto pretio in Hiſpaniam tranſlata: Eam tanta admiratione Heemſkerckius contemplatus dicitur, ut contemplatione tam divini operis, ſatiare ſe non potuerit, & quaſi mentis ſtupore alienatus, dixerit, Credo ejuſmodi Artifices, cœleſti nectare & ambroſia paſtos, qui ſuggerente Genio ſuo, tã divinas imaginationes animo conciperent. Alberti Veteraquinatis

natis *Gerardus Iohannita* discipulus, magistri æmulus, qui artem ita illustravit, ut Alberto Magistro suo non cesserit, atque adeo in multis eum antevertit, partim ingenii solertia, partim in artificiosa dispositione, in imaginum vivacitate, in affectibus exprimendis, & servando decoro. Hic Gerard. Iohan. Harlemi vixit apud Iohannitas, inde nomen datum ei, quamvis in Ordinem Iohannitarum non admissus. Opera ejus plane stupenda, & plena devotionis. Inter alias Tabulam pinxit in ampliss. forma, in sublimi altari erectam, Christum in cruce distentum: Fores hinc inde pensiles, utrimque intus & extra, pigmentis coloratæ. Eius operis pars potior, militari sacrilegio destructa. Tabula altera, in qua Christus in Cruce relaxatus revulsis clavis, sepulchro inferendus, astantibus quibusdam discipulis & Apostolis, sedente juxta Maria, in cujus vultu omnes doloris affectus expresserat. Eum ita admiratus Albertus Durerus, ut cum tabulam depictam ab eo videret, exclamaret alta voce, Me Hercule, hic Pictor in matris utero formatus, natus ad picturam. Inter Pictores satis celebris *Volcardus Nicolai* Harlemius, genio satis felici, & extemporaneus, cujus adhuc hodie extant opera Harlemi in Camera Scabinorũ, quæ audaci penicillo colorata, magis accedunt ad Antiquos quam ad modernos pictores, homo non gravis ad juvanda vulgarium Pictorum studia, cum archetypos, characteres, Emblemata varia, historica varia, vili & exili pretio duceret, formaretque ad usum eorum qui vitra pingunt, ὑαλογράφοι. *Theodorus Harlemius* magis admirandus rudi illo ævo, qui tam præclara edidit. Is qualem Magistrum artificem habuerit, non satis compertum. Certum est Harlemi eum vixisse in vico Crucis non procul ab Orphanotrophio. Qualis ille fuerit loquuntur opera ejus, in primis illa tabula quam à nativitate Christi Anno 1462. pinxerat ad artis regulam Lesbiam: in cujus medio Salvatoris vultum expresserat, relucente ex oculis divina majestate: Valvæ hinc inde; in quarum altera D. Pauli, in altera D. Petri effigies, ea figura quæ proxime ad vivam accederet, accurate depicta decoro capillitio, & barba crispa. Eum fuisse ante tempora Alberti Dureri tabula indicat. Qui tam arte quam stirpe nobilis fuit. *Ioh. Sinapius* Mostardt, à puero picturæ deditus, qui artis graphicæ rudimenta didicerat sub Iacobo Harlemæo,

qui pictor mediocris non contemnendus. Eum stirpe nobilem fuisse dixi, quod à majorum virtute, nomen referret hæreditario jure ab illo, qui in expeditione illa ad Nili ostia, Fredericum Imperatorem & Florentiũ Hollandiæ Comitem in Aegyptum secutus ad Terram S., & capto subactoque Pelusio (Damiatam vocant) ab Imperatore virtutis ergo donatus trium capulorum insignibus, quæ revulsa à gladiis totidem in prælio, in campo rubro. Hic Ioh. Sinapius à Sinapi acrimonia nomen accepit, qui avitam illam nobilitatem, arte illustravit, & vita bene morata & plane aulica commendavit illum *pulchro veniens in corpore virtus:* oris facundia gratiosus, liberalis in egenos, humanus omnibus & affabilis; Ita magnam nominis sui existimationem consecutus, apud Magnates inprimis: Ita ut Pictor adoptaretur ab heroina Margareta, sorore Ducis Philippi ejus, qui ejus nominis primus Hispaniarum rex. Ille qui aliquandiu in aula vixit, & gratiosus apud omnes complura artis suæ monumenta reliquit, quæ cum antiquis certare possent. Magnates tam viros quam fœminas ad vivum depinxit, ut spirare viderentur imagines eorum. Exactis annis XVIII. Harlemum rediit sedem quietis, ubi honorifice vixit. Frequentabant quotidie domum ejus aurei velleris equites & nobiles: inter alios Comes Burensis familiaris fuit. Nusquam plura exstiterunt ejus opera uno in loco quam Harlemi, in ædibus nepotis ejus D. Nicolai Zuyckeri, qui Prætor Harlemi non ita pridem. Exstat adhuc in aula Principis primo in atrio, regio Silvatica, in qua introducitur Venator S. *H*ubertus venationis jam patronus: supplex Cervo inter dumeta & sylvas; portãti inter cornua crucis effigiem. Aliaq; plura dedit. Nam Amstelodami apud Iacobum Ravart S. Annæ genus: & apud Florentium Schooterbosch in suprema Curia Hollandiæ Senatorem, Tabula superstes adhuc, in qua Abraham, Sara, Agar & Ismael depicti. Et alibi alia atque alia, quæ non exstant, incendio consumpta. Subacti judicii homo fuit, & emunctæ naris, pictor insignis, testantibus hinc inde magnis authoribus, Magistro Heemskerckio, & Iohanne à Mabuse, quorum ille, qui rogatus, de arte ejus quid judicaret, respondit libera voce, absque ulla assentatione, eum omnes fere superioris ævi Pictores superare: Hunc ajunt operam ejus expetivisse, in perficiendo opere, quod

quod in Abbatia Middelburgensi inchoatum erat. Obiit in senectute vegeta adhuc An. 1556. *Ioh. Schorelius* quamvis Harlemi non sit natus, sed in vico quodam prope Alcmariam, à quo nomen ei datum, tamen inter nostratium pictores ponendum eum censui, quod *Harlemum* pictorum fæcunda nutrix. Is cum primum Alcmariæ, litterarum initialium fundamentũ jecisset, & in latinitate progessus aliquos jam fecisset, cepit ars graphice illi allubescere, cujus tanto amore tenebatur, ut quavis occasione, imaginibus imitandis vel exprimendis tanto studio incumberet, ut oblivisci artis ejus non potuerit. Id cum observassent tutores ejus & amici, (qui utroque jam parente orbatus) ut genio ejus facerent satis, Harlemũ eum transtulerunt, & Gulielmi Cornelii pictoris fidei commiserunt, pacti de pretio in annos aliquot. Verum juvante eum industria & sollertia, ante tempus, rude donatus, privatim artem illustravit, cum diebus festis plerumque, à meridie nemus suburbanum frequentaret, ubi arbusta, & querceta pingebat silvarum imagine, præter communem pingentium modum. Ille inter primos fere ex nostratibus qui Italiam inviserent, & artem graphicam exoticis illustrarent: ob id à Francisco Florentino aliisq; nostratium pictoribus lucernã prætulisse, & viam stravisse ad secreta artis primus in Belgio dictus. Annos natus xxv, quietis impatiens, Hierosolymam petebat Terram sacram: Reversus in patriam, tabulã pinxit votivam, in qua sui imaginem, cum aliis Solymæ equitibus palmiferis vivaci colore expressit, quæ exstat adhuc in aula Principis. Schorelius quasi postliminio in patriam reversus, à Simone à Saen præsulæ Iohannita, hospitio exceptus, in cujus gratiam opera aliquot edidit intra privatos parietes. Ad hæc familiaris fuit & gratus Belgii magnatibus, qui eum crebro inviserent, & amicitiam ejus ambirent propter præclara ingenii dona, quibus excellebat. Erat enim Musicus & Poëta, peritus jaculandi, linguarum etiam Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ: quamvis sub vitæ finem, morbo articulari & calculo laborasse dicitur, quæ mala senectutem ejus accelerabant. Post mortem opera ejus in magno pretio habita. Exstat in ædibus Gul. Schooterbosch viri consularis Harlemi tabula, in qua Maria virgo Christum offert Simeoni in templo, laquearibus superne variegato, introductis

etiam imaginibus aſpectu gratis. Antonius Moor regius Pictor, qui in juventute diſcipulus ejus fuerat, in grati animi ſignũ pinxit divinam Schorelii imaginem biennio ante mortẽ ejus: ſub cujus effigie ſcriptum Epitaphium breve, ſed eruditum.

Addidit hic arti decus, huic ars ipſa decorem,
Quo moriente mori eſt hæc quoque viſa ſibi.

Obiit Anno 1562. Decemb. 6. ætatis ſuæ LXVII. In qua orbis parte non celebratur Heemskerckia Hollandiæ vicus, quod ibi lucem aſpexit primum divitis ingenii pictor *Martinus Heemskerckius*, natus Anno 1498, qui ei natalis fuit. Patrem habuit nomine Iacobum à Veen, Gulielmi filium; Agricola erat & rei ruſticæ innutritus: Verum Martinus abhorrebat ab agricultura & re pecuaria, naturæ ductu: Ita picturæ ſe totum dedit, varia uſus fortuna. Ac prima artis graphicæ tirocinia Harlemi didicit, ſub Cornelio Gulielmi & Florentii, qui Pictores pluſquã mediocres fuere, qui Italiam, Romam, Florentiam aliaſque orbis eruditi partes viderant. Pater Martini ratus parum hanc artẽ ad farinam facere pro ingenio ruſtico, filium ſuum domum ad ſe revocabat, ut ejus opera in colendis ſtercorandiſque agris uteretur, magno cordolio & tædio adoleſcentuli, quod in arte illa quam occeperat continuare non poſſit. Cumque opera ruſtica mulgendi, arandi, ſarriendi invitus obiret obnitente Minerva, patris indignationem incurrit, & metu pœnæ & offenſæ, latuit aliquandiu in fænili: tandem Matris commiſeratione viatico inſtructus, *H*arlemum tranſiens Delphos profectus petiit, ubi ſe totum arti graphicæ dedit & conſecravit apud Ioh. Lucæ non ineptum pictorem: Ab eo tempore progreſſus fecit ſupra quam credibile eſt. Tamen ſibi ipſi ſatisfacere nunquam potuit, ad majora ſemper aſpirabat, artis fiducia. Ita cum eodem fere tempore Iohannis Schorelius, admodum celebris pictor, inuſitatum pingendi ſtylum haberet, quem ex Latio in Belgium tranſtulerat: arſit amore ejus Martinus, nec quievit, priuſquam ſub diſciplinam ejus veniret. Eam occaſionem non neglexit Martinus, ſed omnem operam impendit arti ſuæ. Et de novo omnes ingenii nervos intendit, dies, noctes meditabundus, nec acquievit prius quam conſummatus in arte, præeuntem Magiſtrum aſſequeretur in curſu, & tam prope accederet ad penicillum artificis Magiſtri,

eumque

eumque tam feliciter imitaretur ut opera eorum promiscue habita vix discerni potuerint, certante utriusque industria. quod tacite momordit Schorelium, famæ metuentem: qui, sive invidia, sive æmulatione, caussam invenit, cur eum dimitteret. Ille nihil commotus, conduxit ædes Harlemi, quas inhabitavit olim Cornelius è Beresteyn. In hac domo tanquam officina, diversa pinxerat, Solis & Lunæ imagines, quæ statura augusta proxime ad vivum accederent. Iisdem in ædibus Adamũ & Evam gentis humanæ progenitores nudos pinxerat ad vivum exemplar. Inde commigravit, & domicilium habuit apud Iustum Cornelii aurificem: Neque hic otiosus fuit, sed pari studio plura consummatæ artis specimina dedit, quæ inter cives distracta. Inter alia opera edidit stupendum maxime Altare in honorem S. Lucæ, quod consecravit Pictoribus qui Harlemi erant, sub discessum, cum Romam cogitaret, monumentum quod in æternã sui memoriam Harlemi reliquit, & tanquam tabulam votivam in tẽplo suspendi iussit. In ea tabula sui imaginem introduxerat penicillum manu tenentem, pingentem D. Mariæ imaginem, sedentem è regione, foventem infantem in gremio venustulum. D. Lucæ vultus ad imitationem pictoris cujusdã, qui egregia statura depicti dicuntur. Astabat à tergo Lucæ poëta Laureatus, qui Martinum repræsentabat, quo indicare mystice voluit, Picturæ & Poësios amicam affinitatem: ingerente etiam sese Angelo, præferente ardentem tædam, tacito quoque mysterio, & plura ibidem fecerat ad amussim, quorum fragmenta duntaxat habemus; in aula Principum asservantur in æternam tanti pictoris memoriam. absolvit An. 1532. Hanc tabulã ita ęstimavit Hend. Golzius pictorum phœnix, ut aliquoties erecta in altum scala ad hanc picturam ascenderit, & osculatus sit in artis admirationẽ, cujus intuitu animum satiare non potuit. Hoc opus inchoavit & perfecit ætatis anno 34. Et non ita multo post Romã profectus, cujus visendæ desiderium eum jampridem ceperat, ut antiquas statuas & picturas lustraret maximorum in Italia authorum. Postquam eum videndi satietas cepit, reversus in patriam, mutavit manum, & ab arte Schorelii nonnihil declinavit, si judicio standum optimorum Pictorum. Et cum puer aliquis è discipulis unus, forte retulisset quæ summorum pictorum judicia de eo essent,

essent, respondisse fertur, Batavica caligine obductos oculos, Romæ sibi apertos. Discrimen indicabit Tabula altera, ab altari lanariorum in aulam translata, in qua fores duæ pensiles, in quarum alteris nativitas Christi & Magi tres ab oriente dona offerentes, & divitem gazam; in qua historia diversi vultus pauperum spiritu & motionum innocentium; nec excludi ab ea tabula eos author voluit. In superficie exterioris tabulæ, hinc Maria, inde legatus cælo ad Mariam missus angelica facie, purpurea ornatus chlamyde, rutilantibus alis pronubus. Longum esset recensere omnia ejus opera, mensas, tabulas, epitaphia, & imaginum varias formas; Natura enim studiosus, qui nunquam manum de tabula, assiduus, multa expediebat celeri manu. Inter alias quas pinxerat tabulas, excellebat una potissimum immensi operis & laboris, IV. extrema: Mortis angustiæ, Iudicium extremum novissimum, vita æterna & portæ inferorum. in qua introductæ multę personę nudæ, imagines multæ diversarum actionum & affectuum, tormenta mortis, cæli gaudia, cruciatus inferni, extremi judicii terrores, hanc tabulam pingendam dederat Iacobus Ravaert, nullo pretio stipulato, verum absoluto opere numeravit aureos Ducatos ad nutum Martini honorario acquiescentis. Apud Arnoldum Beresteynium exstabat chorographia accurate depicta cum prospectu, in qua S. Christophori imago augusta forma. Ita apud Magistrum Paulum Berestein advocatum effigies Ioh. Zureni viri consularis, quam Golzius æri incidit, & æternæ memoriæ consecravit. In summa, erat universalis in arte, nulla in parte claudicabat, nudarum imaginum intelligens, Promethei instar formare doctus. Erat præterea felix in quavis materia invenienda, & scite ordinanda, tanta felicitate, ut totum fere terrarum orbem impleverit suis inventis: bonus etiam architectus, qualem se probavit in opere architectorum Portæ Nemoralis minoris, cuius inventor dicitur. Vix fidem inveniet si quis enumerare historias velit æri incisas, quas divulgavit, plenas acuminis & leporis, suggerente semper novas materias Theodoro Cornhartio. Etiam in honore habitus. nam 22. anno æditiuus fuit usque ad vitæ finem. Amsterodami latuit cum venia Senatus tempore obsidionis; erat enim pusillanimis, ad pacem natus. Capta subactaque Harlemo, ple-

raque ejus opera in Hiſpaniam tranſportata non perſoluto pretio. Denique Martinus Heemſkerckius, opibus pollens, liberis carens, beneficus in pauperes erat, & dandis eleemoſynis etiam celebris. Legaverat etiam jugerũ aliquot, reditus annuos, quos conferri in virgines pauperculas juſſit nupturientes, Harlemi aut Heemskerckæ natas, ad ſubſidia futuri matrimonii, quas, ut gratitudinem publice teſtatam facerent, & defuncti piis manibus quaſi litarent, ſepulchro inſiſtentes conjugio initiari voluit, ſuprema voluntate, citra omnem ſuperſtitionem; quod adhuc hodie obſervatur. Ita Martinus ſæculi ſui miraculum, cum impleſſet annos LXXVI, fato functus obiit Anno 1574. pr. Octob. Corpus in ſacello quieſcit verſus ſeptentrionem. ſed nominis ejus fama nunquam intermoritura, quam diu ars graphica perennabit. Pictoribus Harlemianis accenſetur quoque *Rycardus Arnoldi*, qui in vico maritimo, altero ab urbe lapide, patrem habuit Arnoldum piſcatorem: Is admodum puer cum eſſet in ignem incidit, uſtulatus altero talo. Harlemum in grabato delatus ad chirurgum ſerpẽte per tibias malo, truncatus tandem altero pede: Ibi frequens ad focum cum ſederet otioſus: ecce ſuggerente Genio, & invitante Natura ad artem ſe vertit, & collectis ad focum carbonibus & acuminatis, parietes camini albicantis infecit variis picturis. Id cum obſervaſſent domeſtici, interrogarunt eum, an diſcendæ artis amore teneretur? Quam maxime, reſpondit. Ad imbecillitatis ſolatia eum illico Ioh. Sinapio commendarunt, facile pacti de pretio. Et quoniam pedi ligneo inſiſteret, dictus fuit Ricard. cum pede ligneo. Huic arti omne ſtudium & operam impendit, nec luſit operam. Artifex fuit non è multis, commodus ſilentio, pacis amans, virtutem ſpirabat, ſacras litteras & pacem animæ ſalutarem amabat. Antverpiæ domicilium habuit, Penates tranſtulit, ubi tranquillitatis cauſa mercenariam operam exercuit in pingendis & inſerendis aliorum tabulis imaginibus. Omnibus gratus, nemini gravis, facetus etiam, jactitare ſolitus lingua Belgica, *Ick ben riick en wel geſtelt*, alluſione ad nomen Richardi ſuppedanei. Obiit Anno 1577. in Maio, ætatis 95. Communis opinio eſt inter rara contingentia ponendum hoc quod inter centena millia, vix unum invenias exemplum, in quo natura noſtra omnium mater producat duos pluresve homines

mines, qui ſtatura, vultu, colore ita ſimiles, ut aliqua ex parte, dignoſci & diſcerni non poſſint. Contrarium docuit par fratrum qui ex eadem matre gemini, qui ita ſibi ſimiles, ut à nutricibus, à parentibus diſcerni non potuerint. Atque hi quidem *Franciſcus & Aegidius Sinapii* fuere. Nati Hulſtæ in Flandria; Antverpiæ habitabant cum patre, qui pictor vulgaris, ſed artis æſtimator, genus ducebat à proavo Johanne Moſtard Harlemæo. Uterque, patre id volente, arti graphicæ operam dabant. Aegidius artem didicit ſub Mandino feſtivo illo & monſtroſo pictore, cujus ſupra mentionem fecimus. Franciſcus autem magiſtrum tam difficilem quam ſeverum Hendricum habuit, cui à fronte recilina cognomen datum. Uterque ita in arte profecit, ut inter illuſtres pictores cenſeri adhuc hodie mereantur. Franciſcus in chorographia, terrarum ſitu, ſilvarum ſaltibus, Aegidius in imaginibus tenellis illis pingendis excellebat. Hi fratres in Pictorum contubernium recepti Ann. 1555. Franciſcus immatura morte ſublatus. Aegidius ſummus artifex ingenioſus in hiſtoriis deducendis. In omni converſatione nemini gravis, in colloquio facetus. Moriturus, liberis relinquere ſe dixit totius mundi theſauros, cujus hæredes reliquit, nihil defuturum ipſis, ſi manum ipſi admoveant ad ſtivam. Obiit in extrema ſenectute An. 1601. *Cornelius Cornelii.* Eum inter illuſtres Harlemianæ civitatis Pictores ponendũ omnes judicant quibus ſanum judicium eſt, dignus qui in Corneliorum familiam Romanam adoptetur, qui ut virtute inſignes, ita eruditione clari: inter quos Cornelius Gallus poëta *Eliographus*, & alter Cornelius Severus, qui inter Epicos ab antiquis authoribus relatus. Cornelius Batavus Harlemi natus, arte certare cum iis poſſit, quæ affinis Poeſi. Natus etiam honeſtiſſimis parẽtibus & patritiis An. 1562. Illi obſidionis tempore metu belli, relicto domi filio, vitæ ſuæ fuga conſulebant, qui manſit in ædibus, quas pater habitandas dederat M. Petro Pictori, Petri Longini filio. Ita Cornelius Cornelii decennis jam, cum videret, inter domeſticos parietes artem graphicã exerceri, à qua natura non abhorrebat, ut qui eo tempore ex lapidibus lateritiis rubris imagines formabat ferro aut cultello: Ita Cornelius Cornelii artis graphicæ fundamenta habuit à Petro Longino juniore, qui in arte ſua excellebat in quavis parte, in tem-

temperandis coloribus accuratus, nec litterarum rudis. Ille produxit diſcipulum qui magiſtrum ſuum intra annos pauculos ſuperavit. inde illi nomen datum Cornelii Pictoris per excellentiam, quod & mãſit merito congruum. Cum ex ephebis exceſſiſſet XVII. annorum iuvenis & pictor bonus, profectus in Galliam Rhotomagum vidit, ſed propter graſſantem peſtem non diu ibi commoratus eſt: Antverpiam ſe contulit, omnium artium & diſciplinarum nutricem. Ubi prima illi cura fuit, ut inſinuaret ſe in amicitiã magnatum in arte. Ac primum Franciſcum Poerbus ſalutandi cauſa adiit, & tandem Aegidium Coignet ſollicitavit ut ſe reciperet in officinam & clientelam ſuam, apud quem unius anni ſpatio mutavit manum, ut amœniorem & magis fluentem pingendi modum aſſumpſerit, cui & aſſuevit, & illico artis ſuæ ſpecimẽ dedit: pinxerat enim illic in mappa lintea mulierculas aliquot, forma ſpecioſa venuſtulas, gratioſe adumbratas. Amphoram etiam antiquo more omnigeni coloris floribus ſtipatam, qui tam accurate depicti, ut vivido colore ad naturam proxime accederent, quam tanto habuit in pretio Coignet, ut eam diu domi ſuæ aſſervarit ad oſtentationem, nec vendere voluerit. Ita magnam iniit gratiam apud magiſtrum ſuum. Reverſus in patriam doctior, nihil remiſit de priſtina diligentia. Primam quæ alicujus nominis aut momenti tabulam fecit, in qua Contubernium civium militarium ad vivum expreſſerat, pro varia hominum conditione, ſervato decoro ſecundũ hominum ſtudia & inclinationes; perſonis ſingulis vultus, geſtus, amictus, attribuitur. Opus ſane præclarũ, & quod pręfiſcine dixerim nullis poſterioris ævi picturis cedit. Artem autem illuſtravit imaginum meditatione, & formarum, membrorum obſervatione, quæ chartis mandabat, obſervabat enim pulcherrima, quæ ad antiquitatem proxime accederent, ita tandem ſummus artifex evaſit & lumen patriæ fulſit. Inter opera ejus cõplura, tabula admirabilis eſt in aula Principis, in qua repræſentavit infanticidium Herodis, in qua parvulorum ſtrages, ſæviente in turbã innoxiam militũ ferocia fruſtra lamẽtantibus matribus; quæ à ſpectatoribus ſine lachrymis videri non poteſt. Ita primos parentes, protoplaſtas Adamum & Evam, lenocinante ab arbore Diabolo in paradiſo. Et ne longe abeamus, in eadem aula penetrali in ſede

ingens tabula, quæ magnam parietis partem occupat, Epulum Deorum, seu Pelei & Thetydis nuptiæ, in quibus pomum eridis projectum, opus sane heroicum, & pro argumento divinum. Pinxit & alia passim distracta. Actæonis fabula, qui in Dianam incidit & virgines venatrices infelix, apud nos exstat. Eodem fere tempore vixit *Carolus Vermander* natione Flandrus, natus Mulenbekæ, qui illustrium Pictorum vitas, studia atque opera scripsit, suas laudes silentio præteriit, dignus tamen, qui catalogo artificum inseratur, qui à puero artem graphicam coluit, &in ea feliciter sese exercuit. Peregrinatus est,&amore artis graphicæ Italiam peragravit, Romæ aliquandiu commoratus. Reversus in patriam Harlemi familiam habuit & numerosam prolem. in platea nemorali minori habitavit. cum Goltzio conjunctissime vixit, qui illum æstimabat propter artis graphicæ peritiam & promptitudinem: parem non habuit in invẽtione extemporanea. varia pinxit Genio plane poëtico. Exstat in ædibus nostris Iudicium Paridis in loco nemeroso, in quo introducit, præter Deas quæ sub judicium Paridis venirent, Dryades, Hamadryades Naiades, Napæas spectatrices, sedentes in corona. Xanthus ipse ad Trojam fluvius, aliaque ex poëtarum fabulis petita. Infinita alia ad memoriam posteritatis reliquit summus artifex, inventor felix, Poëta laurea dignus, sacrarum etiam litterarum peritus, ex quibus pangendi rhytmos materiam sumebat. Scripsit etiam de fundamentis artis graphicæ XIV. capita numerosis rhytmis. Commentatus etiam in libros Ovidii Nasonis Metamorphoseon. Scripsit etiam de statuis atque imaginibus Gentilium Deorum libros III. In summa Vermander egregie cordatus homo, quod de Aelio refert Tullius. Obiit 11. Dec. Anno 1606. Ætat. Anno 58.

A pictura ad cælaturam transeo affinem picturæ, instrumentis discretæ artes: Nam ut Pictores penicillos tractant, ita cælum cælatores. In hanc scenam veniunt primi *Theodorus Cornhard, & Philippus Gallæus.* Utrumque commendat Hadrianus Iunius in Batavia sua, quos artis lumina appellat, non quidem encausticæ, ut quidam putant, sed quæ laminis æreis, adverso cælo scalprique tractu pingunt icones, historiasque cujuscemodi generis. *Theod. Cornbartius* Amstelodamus, magno homo ingenio, sed fati adversi: Philippus Gallæus magistro

gistro illo Dii immortales quanto superior, nisi quod inchoatam cum laude artem ille intermisit, in hoc cum surgente ætate, artis gloria gliscit, qui varias iconas pinxit: quod Douza non dissimulat, cujus effigiem Philippus Gallæus in ære æternitati consecravit.

Qui Batavum gentis Comites, qui scalpere Erasmum
Ausus, & effigiem Iuni animose tuam,
Ille idem docili Gallus me expressit in ære,
Felicem haud alio nomine Dousiadem.

Exstant ejus opera in ære infinita in quavis materia, qui Theodori Cornharti discipulus, qualem Batavia non habuit. *Hēdricus Goltzius* de quo pauca subtexere est animus, ingenuis & honestis parentibus natus Mulbrachti, qui vicus in Iuliacensi Ducatu, natus Anno 1558. in Febr. Puerulus bene habitus, feroculus, venustulus, vix anni spatium supergressus, ductore non egebat, ut qui pede certo incedere visus. proinde negligētius habitus, protinus in ignem lapsus, illiso in patellam capite spumātem oleo. itaque simiustulata utraque manu, raptum ex igne mater sustulit, remedia adhibuit ad refrigeria, fasciavit manus laminis, quæ commiseratione mulierculæ cujusdam relaxatæ, & linteo duntaxat involutæ. statim laxatis nervis contracta manus, quam explicare postea non potuit. Nihilominus cum jam puer octennis esset, innatus ad artem Genius latere diutius non potuit; quippe domi, foris parietes, plut eos pro modulo ingenii picturis implevit. Ita à teneris unguiculis in arte sese exercuit. Nec quiescere potuit mens ignea. in patris officina vitra fecit, mox pinxit suopte ingenio. Ita tentabat alia atque alia semper majora studio indefesso; quippe arti encausticæ se dedit primum, deinde sculpturæ, non obstante informi manu. Ita æri incidere figuras cepit tanta felicitate, ut Theod Cornhartio (qui in eo tractu tum cōmorabatur) admirationi esset, cujus etiam opera utebatur. Et jam varia pinxerat Emblemata. Author ei fuit, ut sculpturæ se totum daret, nihil illi defuturum pollicitus. Ita ille impetrata à parentibus venia in Hollandiam magistrum secutus. Hend. Goltzius Harlemi pedem fixit statim ab incendio prodigioso illo, circa D. Iohannis festum. Cornhartius voluptatem capiens ex conversatione discipuli, tam docilis, tam ingeniosi, nihil celavit eorum, quæ ad promovenda ejus

ſtudia facere videbantur. Tandem Hend. Goltzius rude donatus & ſui juris factus, pro Cornhartio & Philippo Gallæo ſculpſit ad præſcriptum eorum. Interea parētibus ejus in Germaniam profectis, ſolus Harlemi cum eſſet, & vita ſolitaria jam minus placeret, ad matrimonium animum vertit. annorum xx. juvenis viduam duxit Margaretam Ioh filiā. cui unicus filius IacobusMathamius, de quo poſtea dicturus. Stante matrimonio valetudinarius, quaſi mærore animi contabeſcens, nec convaleſcendi ſpes ulla, ſuadentibus Medicis Italiam petiit propter aëris amœnitatē, & Romam adiit celeberrimorum Pictorum patriam. In itinere, nulli artificum quos inviſeret, cognoſcendum ſe dedit, ut judicia eorum & quid ſentirent de Goltzio tot ſculptis à ſe imaginibus jam claro, penitus cognoſceret. In reditu ſeſe inſinuavit in omnium eorum gratiam qui artem graphicam profitebantur, nec diſſimulavit nomen ſuum. Nihil attinet opera ejus hic recenſere, quæ infinita & in omnium manibus, æri inciſæ imagines, inventiones felicis ingenii & picturas. Inſculpta æri quæ exſtant monumenta, probant genium plane divinum in arte graphica. Neque hoc parum ad laudem ejus facit, quod præterquam quod à teneris naturæ decus & formarum diverſitatem curioſe obſervaverit, variorum atque optimorum artificum æmulari doctam manum aſſuevit, ſtupentibus & confuſis imaginum ſimilitudine ſpectatoribus. Cū nunc Heemskerchium, nunc Franciſcum Floridum, Blocklandium, nunc Fredericum & noviſſime Sprangerum imitaretur, cujus artem plane heroicam & gratioſam ita expreſſit, ut propius accedere non poſſe videretur. Lucam Leidenſ. & Albertum Durerum ita ad vivum imitatus, ut ſpectantibus ſtuporem injecerit & errorem, ut inter artifices ſæpe certamen fuerit de archetypis diſcernendis, an ea Goltzii aut Lucæ Leidenſis, aut Dureri eſſent. Atque ut concludam, tandem Goltzius noſter Proteus in arte fuit, qui vertit ſeſe in omnes formas ſtupenda metamorphoſi. Quid autem potuerit jam dictus Goltzius ſtylo & calamo, judicent periti artis. eum admirabitur ſera poſteritas. Ea communis opinio eſt fere omnium pictorum, nec vidiſſe quemquam, nec viſuros poſteros parem huic. Quotuſquiſque enim eſt qui tam ſubacti judicii homo ſit, ut ex tempore abſque ulla meditatione imaginem

nem singularem, aut integram historiam etiam, possit calamo ducere, absque ulla litura, tanta perfectione & castigatione, ut ne una quidem linea à recto declinaret. Hæc egit in patria Goltzius reversus ex Italia. Statuas aliquot antiquas æri insculptas in lucem dedit Commodi Imperatoris, Apollinis Pythii, Herculis victoris: Item XII. Imperatorum Icones, Augusta forma, quas secum asportaverat ex Italia, cujus memoriam deponere non potuit: quippe pulcherrimas Italorum picturas ita animo conceperat, ut istæ oculis semper observarentur tanquā in speculo; cum nunc gratiosis Raphaelis imaginibus se oblectaret, nunc incarnatione Coregii, nunc Titiani evanidis umbris: aliquando byssina atque ornamenta lenocinantia Veronesi aliorumque opera, quæ Venetiis erant plane stupēda, admirari nunquam satis potuit. Ea cum narraret apud nostratium Pictores, animo parum æquo ferebant indignati. Ab eo tempore minus illi placuere nostratium artis graphicæ monumenta. Postea si quid calamo notaret, alicujus momenti quod esset, præcipue si nudæ imagines essent, rubrica colorabat, aut carbone. Ita paulatim picturis coloratis totum se dedit assumpto penicillo, ab anno ætat. XLII. Exstant tabulæ complures diversi argumenti, inter quas eminet Historiæ idea, quam in gratiam Petri Borrii pinxerat. Item alteram Danaes fabulam. *Præterea* amicitiæ nostræ hoc dedit, ut in eadem tabula Picturam pingeret versicolori veste & canorā Poësin, interveniente Phantasia, quæ cogitatione cœlum adiit, sphæræ intenta, & Deo cælorum motori. Et ne quid intentatum relinqueret, eo ipso tēpore artis Chymicæ studio flagrabat naturæ scrutator. Multos habuit invidos & æmulos, quos non magis æstimabat, quam catellos latrantes: qui jam pridem didicerat, placere omnibus perquam difficile, nec Deo quidem concessum: aliorum judicia contemnere solitus, quod nec sibi placere unquam potuerit, rigidus sui censor, quod semper aliquid in semetipso desideraret, quod à consummata artis regula recederet. Pygmaliones illos, qui sua tantum opera æstimarent, ferre non potuit. Ut humilis animi vir, ita minime avarus, qui honorem auro prætulit, libertatis amans, scrutator antiquitatis, naturalis scientię minime rudis. Quē ego de qualibet scientia disserentem sæpe audivi, præterquam de Musica, cujus plane se rudem profitebatur.

tebatur. Neque hoc mirum videri debet; *non omnia possumus omnes.* Hæc fere sunt ad laudem Hend. Goltzii facere quæ videntur, cujus memoriam immortalem futuram auguror. Obiit anno 1617. Ian. 2. ætatis suæ LIX. Manibus ejus hoc Epitaphium consecravi.

Contemptor æris, laudis ingens belluo,
Lysippus alter, sculptor æris Goltzius
Situs hoc sub ære, & marmore inclusus jacet,
Sic æra vivũ, sic loquuntur mortuum.

Inter discipulos Goltzii primo loco ponam cum bona aliorum venia *Iacobum Matham*, privignum ejus, quem educavit & formavit patris officio, cumque jã progressus in arte fecisset non pœnitendos, tandem ablegavit eũ in Italiam ad nova artis commercia, ubi patris vitrici commendatione, ad omnia antiquitatis monumenta admissus, plurima stylo mandavit. Reversus in patriam artis suæ specimina dedit & divulgavit, ut inter Chalcographos celebres recẽseri mereatur. Edidit Cebetis tabulam & nuptias in Cana Galilæa æmulatione quadam privigni & vitrici, aliaque infinita, quibus rem fecit. Patrem secuti filii Adrianus & Theodorus Mathamii, quos proxime ad patrem accedere opera indicant, nec alia eorum opinio est qui cælaturæ operã dãt. *Iacobus de Geyn* inter omnes Goltzii discipulos caput extulit, generosi animi juvenis & ignei ingenii, qui superiorem non ferẽs, proprio marte multa sculpsit supra ætatem & divulgavit, ita ut inter discipulum & magistrum æmulatio semper fuerit. Modestior *Ioan. Zaenredamensis*, inventas ab Hend. Golzio delineationes sculpsit in ære, & feliciter imitatus. Facit ad laudem Ioh. quod Goltzius ejus potissimum opera uteretur; in sculpendis inventis à se imaginibus, quamvis multa suopte ingenio excogitata in lucem daret, in primis fatuas, & sapere doctas virgines ex Euang. Matth. Cap. 25. Plura dedisset, nisi præmatura morte sublatus fuisset. Immodico artis studio phthisi laborasse dicitur. Obiit Anno 1607. Aprilis die 6. Aetatis suæ XL. Hic filium reliquit Petrum Sarendam natum Assendelphis Anno 1597. qui in pictura optica hic parẽ non habet, quod opera ejus indicãt complura. *Ioh. Veldenius*, Magni scriptoris filius, vix ulli æqualium suorum cessit, magis encausticæ quam sculpturę artem exercebat, ingenio magis quam studio, multa tamen opera edidit, quibus famam meruit. Fuere & alii in arte insignes, qui relicto cælo ad majora adspirarunt.

runt. Redeo ad posterioris ævi pictores qui penicillo utuntur, quos distinguo etiam pro subjectorum diversitate circa quæ versantur. Quidam enim icones & imagines coloribus pingunt cujuscemodi generis: quidam naves fluctuantes in mari spumante salo. Alii regionum plagas, stelliferos orbes, topiaria opera, nemora & saltus, stirpes, plantas, feras, volucres in silvis varias obambulantium species, terraque villas adeuntium asellis ac vehiculis. Iam piscantes, aucupantesque, aut venantes aut etiam vindemiantes. Alii rursum bellariorum pictores, florum alii: Denique alii vitra pingunt, coloribus imbuunt, prout suus cuique Genius & inclinatio. De singulis dicam paucis, ab iis exorsus qui multorũ pictorũ patres. Quales Franciscus Grebber, Cornelius Angeli Sprong: qui fere coætanei & jam emeriti, uterque felix fuit in personis ad vivum repræsentandis, uterque specimina artis dedere satis luculenta, qui florente ævo civium contubernia varia pinxerunt, etiam cum laude. Verum Petrus Grebber patrem antevertit, nec puduit patrem à filio superari, qui Magistrum habuit Hend. Goltzium. Petrus enim Grebber, tam felix inventor, quam accuratus Pictor, ut cum optimis hujus ævi Pictoribus certare possit. Multa ejus exstant opera, quæ partim in Dania, partim per Belgium distracta. Harlemi etiam exstant complura, in ædibus viri consularis, in laudem Musicæ Tubalcainus, ut qui ipse peritus Musices. Cornelius Angeli filium habet, assumpto nomine Gerardi Versprang, qui volucri saltu in arte facto patrem obscuravit jam emeritum, & in otio viventem. Inter primos ponendus quoque *Iacobus Campius* tam nobilis pictor quam Mathematicus & Principis Auriaci architectus, ipse in re lauta, qui ex arte non quæsivit lucrum, sed nomen. Nec silentio involvendi fratres Halsii, *Franciscus & Theodorus Hals*, quorum alter inusitato pingendi modo, quem peculiarem habet, omnes superat. tanta enim in ejus pictura acrimonia & vivacitas, vigor etiam, ut Naturam penicillo provocare nonnunquam videatur, loquuntur id infinita ejus πρόσωπα, ita colorata ut spirare videantur. Exstant tabulæ in aula antiqua civium militarium, in quibus ad vivum depinxit, Tribunos, Duces, Fiscales, signiferos, satellites in armis suis: in Tabula altera accumbentes in mensa, & se mutuo provocantes

ſalutis hauſtu. Alter, nimirum Theodorus Hals, vir bonus, & artis graphicæ minime rudis, imagines ſolitus pingere in minori forma graciles & elegantes, in quibus etiam excellit. *Hendricus Pot* non ignobilis Pictor facetiarum Pater, cui pingere datum ſereniſſimos vultus Regis magnę Britanniæ. Exſtant Harlemi aliquot inſignes tabulæ: Una in aula Principis cujus ſubjectum *Currus triumphalis* magni Gulielmi Principis Auriaci, cum omni pompa: Et altera Iudithæ hiſtoria & Holoferni, in qua exprimenda, ſuperare ſeipſum author videtur, in qua tantum acumen, ut oculorum aciem fugiat. *Petrus Soutman* eo nomine celebrandus quoque, quod regius Pictor in Polonia fuerit, quod ad exiſtimationem nominis ejus non parum fecit: Nam cum reverſus in patriam, uxorem duxiſſet, multi ambiebant depingi ab eo; ita ut omnium votis non potuerit ſatisfacere. Ita ſeſe inſinuavit in gratiam civium, ut cōtubernium civium militarium ad vivum depinxerit, & memoriæ ſacrum fecerit. *Iacobus Pynas* Harlemi non eſt natus, verum hic artis ſuę fundamenta iecit, & inclaruit pictor minime vulgaris. Neque cuiquam horum ceſſere Petrus à Laer, & frater ejus Roelandus, qui Orlādus ab Italis dictus, fratres Germani, Harlemi nati & educati, & à teneris in arte pingendi exercitati, qui in Italia annos aliquot vixere. Quorum natu major in flore ætatis occidit, Genuæ in Italia. Minor frater Petrus à Laer aliquamdiu Harlemi commoratus oblivisci Italiæ non potuit quæ illuſtrium Pictorum nutrix: de nova peregrinatione conſilia cepit; ita amicis dixit extremum vale: quo ille abierit, & ubi terrarum degat, Empedoclis exemplo adhuc hodie ignoratur. In arte graphica, pingere ſoliti, nemora & ſaltus, oves, boves, currus, equites ad diverſoria commorantes exutis frenis objecto pabulo, in quibus tantam gratiam atq; elegantiam ineſſe teſtantur pictorum coryphæi, ut omnes in ecſtaſin rapiat & amorem ſui. Exſtant eorum opera complura Amſterodami, Harlemi & in aliis civitatibus, quæ ſemper habita in pretio, uſque in hunc diem. Philippus Wouerman in flore adhuc ætatis Harlemi natus in arte ſua ita excelluit, ut parem vix habeat. Ita alii complures Iacobus de Wit Harlemæus etiam. Itidem . . . . . . Verbequius. Mitto innumerabiles alios de plebe Pictores. Fuere etiam in urbe noſtra picturæ non rudes fæminæ,

quæ

quæ noſtra adhuc ætate celebres, quæ cum viris certare poſſint in arte graphica. Quarum altera in hoc ſexu admirabilis *Juditha* Leyſter, in arte vera Cynoſura aut Helice, à qua & nomen gerit uxor Molinei Pictoris eximii. Altera quæ Timareten imitata Myconis, aut Irenen Cratini pictoris filiam, quæ & ipſa pinxit, non rudis Matheſios hæc eſt. *Maria* Grebber Franciſci Grebberi filia, ſoror Petri Grebber. Inter Pictores non poſtremus Ioh. Torrentius ſed infamis, qui in arte Apelles, cum matronas pingeret, quæ ſe proſtituerent nudas, verum in vita diſcinctus Nepos, de quo hæc fere accepimus: Iohannem quendam Torrentium cognomento Amſterodamenſem Harlemum veniſſe & fixiſſe ibi pedem, credo loci amœnitate illectum, & habitaſſe aliquandiu in magnificis ædibus Coltermannorũ quondam. Cum ſeſe inſinuavit in amicitiam multorum civium non è multis, qui eum æſtimabant, matronas etiam pellexit in amorẽ ſui, quæ quotidie domum ejus frequẽtare ſolitæ, nec divelli ab eo potuere fruſtra obnitentibus maritis. Is quando prodibat in publicũ, cothurnatus incedebat; cum ambularet in foro, omnium oculos in ſe cõvertit: benigno affatu quoſvis ſalutabat. Domi ſplendide vivebat, comeſſationes quotidianas habebat, Genio indulgebat. Media inter pocula jurare ſolitus in verba Epicuri, plaudentibus aſſeclis. Fas, nefas, ſacra, profana, divina atque humana promiſcua habere. Blaſphemus in Deum, riſit Superos, inferos; in ſumma, ſeductor civium, impoſtor populi, corruptor juventutis, ſtuprator fœminarum, prodigus æris alieni, decoctor ſui. Et quod ſtupendum maxime, pecuniæ nunquam deerant, ſuppetebat ſemper nummorum copia, quaſi cœlo pluvio Danaes tempore. Erupit tandem in nervum audacia ejus, vulgata ejus impietas, impudicitia pingendis ad vivum fœminis nudis: vita plane Epicurea & diſſoluta, quam diris devovebant cives, quibus aliqua Dei reverentia: clamitare jam omnes, hominem indignum eſſe quem Terra gerat, è repub. exterminandum. Tandem Magiſtratus populi voces ad animum revocavit, & ſui officii eſſe cogitavit curare, ne quid Reſpub. detrimenti capiat. Decretum tandem Iohannem Torrentium jam dictum cuſtodiæ dare, & in carcerem conjicere, examini ſubjicere, & monſtro hoc purgare rempub. Hic Magiſtratus & Scabini, quibus ea cura incumbit,

summa qua poterant diligentia & indagine, commercia ejus, contubernia, dicta, facta, colloquia atque adeo secretissima quæque scrutati, eum tandem judicio stiterunt, & examini strictiori subjecerunt. Et cum nihil eorum quæ objicerent & moverent confiteri vellet iterato aliquoties examine: Tandem cum nec preces nec minæ apud eum quicquam valerent, & surdo, quod dicitur, canerent, in æquuleum conjectus, & atrocissimis tormentis excarnificatus. Verum saxo patientior ille Sicano, numellas, fidiculas, laminas contempsit, & Socratem egit, invictus animi. Ita ut nihil eorum extorquere potuerint, quæ intentabant. Fessi carnificina Iudices spectatores, ad ergasteria relegarunt & condemnarunt ad annos xx. Anno 1630. Iul. 25. Tandem intercedentibus viris magnis, & magnæ Britanniæ legato, ergastulo liberatus, Hagam petiit. deinde in Angliam trajecit gratantibus amicis, & fidejussoribus. ex Anglia reversus Amsterodamum se contulit, ubi & mortuus, & sepultus. *Hendricus Vroom* in scenam quoque venit sed diverso à superioribus titulo, ut postea dicemus. Hendricus Harlemi natus Anno 1566. Patri nomen fuit Corn. Hendrici, qui plastes professione, arti figulinæ se dederat, ingeniosus in fingendis vasis luteis & poculis inusitata forma. Patruus illi fuit Frederic. Hendrici, insignis statuarius, geometra, architectus Dantisci pub. Avus ejus, cujus nomen præ se ferebat, statuarius & plastes fuit non è multis, ita ut Hendricus Vroom, Hendrici nepos, ab arte originem duxerit & genus, qui majores omnes artifices habuit ipse artifex. Varia ejus fortuna; Mater enim post secundas nuptias occasionem filio dedit patriam relinquendi, & fortunam periclitandi. Ita erravit multos annos, & victus quærendi gratia artem figulinam exercuit. Iactatus variis casibus primum in Belgio, sursum, deorsum: tandem in Hispaniam trajecit, dein in Italiam Romam delatus, ubi aliquandiu habitavit apud Hispanum Canonicum, ubi pingebat & ludicra exercebat, delitiæ Domini. Dein commigravit, & domicilium habuit apud illustrissimum Cardinalem de Medices, biennio ibi egit minime otiosus, Paulo Bril eum hortante, ut operam picturæ daret. Inde jam dictus Vroom Venetias se transtulit. Ita alias atque alias provincias & urbes sola artis fiducia peragravit, terris jactatus & alto. Tandem Parisios delatus,

latus, apud Pictorem Leidensem aliquamdiu fuit: nec diu ibi moratus propter annonæ caritatem Rhotomagum venit, ubi in morbum incidit periculosum & lethalem, qui ope Medicorum restitutus sanitati, Deo gratiis actis in patriam cogitabat, nec diu moratus favente Zephyro in Hollandiam appulit nutricē terram. Et Harlemum cum peteret, defunctis parentibus & aliquot ex consanguineis desideratis, uxorem duxit Iustam civis filiam, cum imagines æri incisas imitari penicillo cæpit, pingere naviculas, cymbas, liburnicas, mox etiam naves rostratas, & varias navium formas, Protogeni exemplo. Post unius anni spatium cum uxore Dantiscum profectus est ad patruum suum; ibi tabulam pinxit pro Polonis patribus Ignatianis. Patruus ejus in Opticis erudiit eum, in aliis etiam quæ ad artem graphicam pertinerent. Ita doctior Dantisco reversus cū uxore in patriam, tabellas aliquot pinxit sacrarum virginum & martyrum, quas etiam in Hispania venales habuit, devotione commendabiles. Sed cum mercatura ista parum succederet ex voto, tacite observare cæpit navium varias formas, onerarias, Prætorias, piraticas, triremes: Adhæc navium partes, pergulas, tabulata, proram, puppim, acroteria, rostra, transtra, malum, & mali galeam, antennas, cornua, Præterea remos, palmulos, clavum, spiras, funes, rudentes, anchoras, aplustria, carbasa, reliquaq; navium armamēta. Harlemum sospes reversus, in pingendis navibus sese exercuit, & satis feliciter. Ita Pictores aliquot, quos amicos habebat, authores illi fuerunt, ut pingendis navibus omnem operā impenderet, quod & fecit, & profecit indies magis in arte ista, & cæpit tandem æstimari, & in pretio habitæ tabellæ ejus. Addit animum lucri bonus odor. Et cum expeditus esset in arte, servato fere eodem horizonte, tabulas levi brachio fecit indies meliores. Adhæc littora majora, piscatores, & piscium varias species, epibatas, nautas ad artem illustrādam quæ facere videbantur, accurate pinxit celeri penicillo; Ita rem fecit supra quam credibile. Paulatim etiam artis fama insinuavit sese in Principum & magnatum amicitiam; aureo torque donatus ab Archiducibus in Brabantia, & apud Principem in honore habitus, Præfectis rei maritimæ charus, acceptus; quibus & tabulas obtulit Cameræ convenientes. Ut in pauca conferam, Hend. Vroom ante omnes sui

ævi pictores in re nautica excelluit. Neque enim duntaxat cujuſcemodi generis naves pinxit, verum etiam funes, rudentes, ventorum ſtationes in apluſtribus, vela, aliaque navium armamenta, ad navigationem pertinentia: fundos etiam, ſcopulos in mari, regiones, navium ſtationes, fluctus decumanos, arces, vicos, piſces marinos, imagunculas nauticas, aliaque quæ naves comitantur & ornant feliciter cepit pingere. Exſtat adhuc Alcmariæ in ædibus Bardeſianis in atrio magno prælium navale horribile viſu, maximo pretio emptum: Harlemi tabula ingentis procellæ imagine in cęnaculo Principis, quæ omnium pictorum calculo accuratiſſima habetur. *Cornelius Nic. Wieringen* proxime acceſſit ad artem Hend. Vroom. Maritimis relictis occepit naturæ ductu delineare & pingere ad rem nauticam pertinentia, funes, rudentes, antennas, velorum expanſa, in quibus Hendrico Vroom non ceſſit: exſtant ejus opera complura, inprimis *Navis illa Peluſiaca ſerrata*, quę in aula civium militarium in æternam memoriam ſuſpenſa de tholo. Verum poſteriori ævo *Ioh. Porcellus* inter omnes ejus generis artifices palmam meruit omnium Pictorum judicio. Fuere & alii artis ejus minime rudes Cornelius Verbeeckius, & Ioh. Goderis. Inter Chorographos, qui regionum plagas, nemora & ſaltus pinxere noſtra memoria, primum locum meretur & palmam *Cornelius Vroom*, Hendrici Vroom non degener filius. Ita in arte ſua excellere creditur, qui adhuc in vivis, ut hodie parem non habeat. Quamvis certare cum eo proxime videatur multorum judicio *Petrus Mouliin*. quos ſequuntur Ioh. Iacobi, qui Italiam vidit, & hos ſequuntur alii atque alii artis Chorographicę minime rudes, Reinerus Nic. Zuycker, Gerardus Bleycker, Salomon Ruſtendael, & plures alii. In cohortem Pictorum veniunt quoque hyalographi, qui penicillo etiam utuntur, vitra ſcribunt, pigmentis imbuunt. Inter eos maxime excelluit *Gulielmus Tyboutius* vicinus olim meus, cuius opera in vitro relucent infinita. inter ea eminent, quæ Lugduni Batavorum extant Comitum Hollandiæ icones, in publico civium militarium hoſpitio: & alterum apud Iohannitas, hiſtoria vitæ Iohannis Baptiſtæ, in porticu. Item in majori templo auguſto, Ducis Bavariæ, uxoriſque ejus imagines, in ſupremo ad ortum vitro. Item ab auſtro Sebaſtiani Craenhals & con-

jugis ejus imagines supplicū habitu. Obiit Anno 1599. Iun. 24. Aetatis suæ LXXIII. In proximo fuit *Cornelius Iisbrandi Russæus*, qui vitra imbuit ingenioso penicillo, summus artifex, & aliis signum sustulit ad illustrandam hanc artem. Obiit Anno 1618 Maij 24; quem secutus *Ioh. Boeckhorstius*, qui in triclinio D. Coss. à Loo in vitro ad vivum expressit Alberti Bavariæ Ducis molitionē, quem templi Bavoni consecrati conditorem fingit, quod à Papa Bonifacio indulgentias obtinuerat. In hoc ordine collocandus *Petrus Holsteyn*, aliique complures ejusdem artis. Ita nulla fere ars, quæ apud antiquos in pretio habita & honore, quæ Harlemi non exculta. Si bellariorū & fructuum pictorē quęris, habes Florentium à Diick, quibus & gravidas mulieres & volucres in amorem sui traheret; habes Gulielmum Nicolai Heda: si florum pictores, Ioh. Bolongier; *Si Architectos*, habes Fredericū Vroom, Iacobum Campium, Salomonem de Brey, denique Livium de Key, Magistrum fabricæ in nostra civitate, Et qui hodie maxime celebris Petrus Post, Principi etiam charus. Si statuarios, Hendricum Vroom, Andream Nicolai, qui adhuc in vivis, *Iohannem de Vos* cognomento Bonum, qui præter alia novissime duas statuas affabre factas ex vivo lapide D. Sommerdiick & uxoris ejus, mensa interposita ad vivum expressit, stupente plebe. Nec excludendus summorum artificum contubernio *Iacobus Antonii Ram*, qui in arte Vulcania ita excellit, ut omnes traxerit in sui admirationem, num. septum erexit faberrime factum ante ædes D. Ossipee in foro, qui Mercator celebris. Hactenus eos recensui qui vel eruditione clari, vel arte insignes cives. Mercatorum honos proximus propter commercia unde & nomen habēt, quibus carere non potest humana indigentia. In ordine Mercatorum primi magnarii negotiatores, qui mercimonias omnis generis in solidum vendunt, quibus lex non est posita, quibus fere unum velle, par studium vniter emere, care vendere, qui potentiores fere. Proximi illi, qui telas, lintea emunt, vendunt, in Gallias, Britannias, Indias, aliasque orbis partes mittere soliti, magno olim quęstu. Mercatoribus affines Collybistæ, mensarii, trapezitæ, qui pignora accipiunt quantivis pretii & cujusvis, lanea, linea, argentea, aurea, & quælibet cimelia, & quæstum faciunt limitato fœnore, ad usum pauperum pariter & divitum, qui pecuniarum

Mercatores.

rum

rum inopia laborant. Hi ne modum excedant, aut exorbitent, in quæstu faciendo pacisci cum Magistratu solent æquis conditionibus. Præter hos in nostra potissimum civitate Mercatores lini, qui negotiantur in Silesia, Frisia, unde liciorum magna copia, quæ stipata ingentibus vasis ad nos transportantur, & distrahuntur in alios mercatores seu propolas, qui fila duplicata versatili mola præparant, stipant, eaque in varias orbis plagas convasata ablegant. Lini Mercatoribus proximi negotiatores lanarii, qui maxime in honore semper habiti, & cæteris commerciis antistabant apud majores nostros: antiquissimum enim mercandi genus in hac civitate lanificium. Inde magnus civium quęstus fœminarum trahentium pensa, virorum carminantium lanas, quas textores involvunt. Sunt & alii qui lanificio operam impendunt, fullones, panni villosi tonsores, infectores, ad censorũ arbitrium. Ita fama lanificii Harlemi in Hispaniam penetravit. Quanti æstimaverint majores nostri lanificium, censura indicat hodierna adhuc, tum juramentum indicat vetus, quo Coss. pariter & Scabini jurare jubebantur inter alia, statuta lanificii, quæ condita antehac, aut condenda adhuc, sarta tecta habituros, adhęc confirmaturos & observaturos, cum hac clausula, ut si quis recusaret aut detrectaret juramentum facere, LX. libris nostratium multaretur, ut pars tertia fisco cedat, duæ alteræ ærario publico civitatis. Lanariorum studia & negotia maxime viguerunt ab hinc annis CXLV. Nam An. 1501. Lex posita iis qui pannos vendunt propolæ, lanificium exercere. Et Anno 1502, non alios pannos divenderent, aut ulnis metirentur, quam qui Harlemi texti, tincti paratique essent: Atque adeo edicto prohibiti 10. Octob. peregrini & extranei panni. An. autem 1522. Magistratus ut lanificii mercatum promoverent & studia mercantium accenderent, pãnis cõficiendis præmia destinarunt. Eodem hoc anno prælorum usus cepit ad nitorem. Præterea anno 1524. Decemb. 10. inter lanarios societas inita. Ejus societatis præcipuus author Gregorius Aiala. hinc nova instituta commercia. Harlemensium pannorum fama in Hispaniam pervenit. Verum *Lanariorum* honos paulatim exolevit, crescente interim cocturæ cerevisiariæ commercio: Ita Zythepsæ mercatoribus quoque accensendi, qui frumenta, hordeum madefactum, fagopyrum, lupum

salicta-

ſalictarium ad cereviſiarum coćturam, ingenti copia mercati quæſtum faciunt, lucro intenti. Verum ut lanariis cenſores dati, qui lanas, fila lanea, telas laneas inſpicerent tractarentque de tholo ſuſpenſas: Ita Zythepſis & cereviſiarum coctoribus cenſores olim poſiti, quibus liberum olim fuit pitiſſare & delibare potum illum hordeo & farina coctum. Cocturæ cereviſiariæ 12. ſythepſis permiſſæ uno in anno ſingulis. Anno 1522. Diſtractio ſeu conſumptio cocturę cereviſiariæ tanta incrementa habuit brevi tempore, ut cereviſiarum coctores hodie plures ſint quam L. Noſtratium enim cereviſiæ bene coctæ propter gratum ſaporem & odorem ita expetuntur, ut tota fere Hollandia Borealis, Friſia, Groninga Harlemianam cereviſiam cæteris præferant. Difficile dictu eſt quantum commodi reſpublica capiat ex cereviſiarum conſumptione. Cauſa hæc eſt, cur Magiſtratus officinarum cereviſiarum curam habeant non vulgarem ut iis patrocinentur, & jura eorum tueantur, quantum æquitas permittit, adverſus mancipes, zythopolas & delatores. Intereſt reipublicæ multos in civitate Zythepſas eſſe, qui multorum opera uti coguntur qui fere ex infima plebe homines victum quæritant, quales molitores, fabri ahenarii, vietores ſeu doliarii, famuli qui ad cortinas cereviſiarias excubant, alii qui cereviſias exponunt, baiuli ferendo tritico aut hordeo madefacto, aut ceſpite. ſunt qui traheis exportant cereviſias, ſunt qui in navibus aquarum ſcaturigines vehũt, in ſolatia eorũ qui artes non didicerunt aut ſellularias aut mechanicas. Sunt præterea honeſto loco nati cives bynopici, quorum opera carere non poſſunt Zythepſæ, qui hordei madefacti acervos ſtruunt in uſum coctorum cereviſiarum. Nec ponendi poſtremo loco infectores, aut tinctorum noſtratium officinæ, qui celebres apud exteros, qui lanas & telas laneas cujuſcemodi coloribus qui in pretio habentur imbuunt, ad omnes colores miſcendos & temperandos ingenioſi & felices, & aliis admirationi; ſed villoſi generis panni ab Italis & Hiſpanis mirifice appetiti, tum ob gratam levitatem, tum pertinacem eximii nigroris gratiam. Nec excludendi mercatorum numero frumentarii & oinopolæ, qui ex annonæ caritate quæſtum faciunt. Tranſeo ad mechanicos & opifices induſtrios, inter quos palmã merentur Textores, qui excellunt in arte iſta textili, qui operum ſubtilitate

tilitate Arachneos labores provocare possent, quorum lintea toto orbe notissima, regum & reginarum inprimis præcipuæ delitiæ, quorum cum nive certat candor, cum sindone tenuitas, cũ bysso pretium. Crescente telarum & linteorum pretio, vectigalia imposita Anno 1586. in Maio. Byssum Damascenum à se inventum jactat Italia, artem illam imitata in linteis Harlemia, quam pluris æstimat Italia; illa artificiosa textura reges & principes & heroinas in sui admirationem traxit: nulla enim aula, nulla familia illustris, in qua non Damascena lintea in mensis & tricliniis. Ita linearum telarum pretium invalescere cœpit indies magis, crescente hominum curiositate. Incredibile visum mihi quod Iac. Viverius refert, quod tela una 75. ulnarum Hollandicarum, trium duntaxat librarum pondere, ulnæ singulæ XIV. florenis venditæ, Anno 1598. Verum superat omnem fidem, quod Harlemi accidisse Ampsingius narrat, de quodam cive viro honesto Iocobo Ioh. Smuysers, qui eo tempore in vico olitorio prope macellum habitabat. Anno 1610. Augusti 16. die, permutabat telam 50. ulnarum tenuissimam Areadneam (qualis antehac nunquam visa) pro XLV. doliis, vino generoso onustis. Pro miraculo habitum, nec siletur artificis nomen, qui Godefridus Gulielmi, qui eo tempore habitabat in vico sororum discalceatarum, quod refertur in perpetuam ejus memoriam. Nondum dixi extremum, tela una trium ulnarum in latitudinem Damascena variegata utrimque pari nitore, summo artificio texta, regibus aut magnatibus offerenda à D. Ordinibus empta, pro singulis ulnis 50. florenos numerarunt. In filo duplici hoc quoque rarum fuit, quod fili duplicis semuncia una vendita fuit, libra Flandrica; inusitatę tenuitatis stamina, persoluto nentibus pretio LXXX florenorum. Sunt & alii textores, qui telis coloratis provocare pictores possent, alii qui telas contractas & villosas texunt & distrahunt infinitas singulari industria. In hanc classem quoque veniunt Sericarii, qui ex bysso, ex serico heteromallo telas faciunt multiformes & variegatas. Verum sellulariorum immensa series, quales aurifices, polymitarii, phrygiones, pelliones, vestiarii, sutores multique alii. Adhæc qui officinas domi habent, pharmacopolæ, tragematopolæ, cupediarii, popinarii. Mechanicorum & fabrorũ magna copia, quippe fabri sunt ærarii,

ærarii, ferrarii, lignarii, scriniarii, cæmentarii: ita infinita artis mechanicæ nomina sunt, quæ longum esset recensere, quæ singula sua habent contubernia, & statuta etiam, ex quorum præscripto vitam instituunt, & res suas administrant; ita cuique in vocatione sua leges positæ ad civilis commercii cõservationem. Nondum dixi omnia, quippe in civitate eadem ex infima fece Romuli, scurræ ac nebulones, lixarum vulgus, mangones, cerdones, vespillones, quisquiliarum coactores, fumariorum purgatores, denique qui ad latrinarum & cloacarum eluviem conducti, quorum opera carere non potest civium communio & societas. Ex his tanquam ex elementis contrariis constat corpus reipub. quod tamen propter qualitates contrarias & operationes non dissolvitur, ita dispensante Deo. Ita non male Respublica corpus dicitur; compaginatum enim ex membris pluribus quod divini muneris beneficio animatur, & summæ æquitatis agitur nutu, ac regitur quodam lumine rationis. Et ut corpora nostra sine mente, sic Civitas sine lege, suis partibus & nervis, sanguine & membris uti non potest. Nota, corpus illud animam habere & motum à Deo, ad nutũ æquitatis componi & regi rationis lumine. Cælorum motori Deo uni & trino, sit laus, honor & gloria, quod opitulante divina gratia, non obstrepẽte senectutis imbecillitate, Annales Patriæ ad umbilicum perduxerim, ab Anno Urbis conditæ D. VI. ad annum Christi 1646. quos digessi in libros VI. continua serie. In quo jam acquiesco.

TEPATA seu PRODIGIA.

AD tædium Lectori excutiendum visum est subjicere memorabilia quędam stupenda, tum prodigia tum infortunia cœlestis irę. Ac primum quidem quod observavi, fuit circa annum 1268. Filius Enakim, hoc est Gigas Sparenwoudæ natus, cui nomen Nicolaus ab Heyten, tam procerus, ut cum adolevisset, omnes sui ævi viros mole corporis anteiret, & magnitudine cæteris antistaret, ut qui staturæ corporis maximæ in Belgio essent, infra ejus brachia intacta transirent. Calcei quibus indutus quadruplo majores, quã ordinarii. Propter molem corporis, & capitis silvam, erat terror pueris, tamen bonæ indolis

Gigas natus.

homo, facilis, non austerus.

Anno 1347. ipso S. Adolphi die excitato incendio, nulla fere urbis regio intacta ab igne. Verum quadriennio circiter post, Anno 1351. mense Iul. ipso legationis Apostolicæ die, terribile fuit incendium ac juxta periculosum, ut magna urbis pars conflagraret, laborantibus civibus incendio occurrentibus.

Cetus immanis. Anno 1402. ingens cetus 1. pedum Santfordiam vivus appupulit cum horrendo boatu.

Siren sive mulier marina. Anno 1403. paulo ante obitum Alberti Bavariæ Ducis suborta ingenti tempestate, qua naves complures pessundatæ, eversæ à radicibus arbores, ruinosæ ædes, convulsis aggeribus, & obicibus, inundationes, quæ sæculum Pyrrhæ minari visæ, æstuante insanum gurgite; ea inquam tempestate monstrosa mulier sive Siren dicenda, in grege natantium deprehensa in mari Australi; quæ longius evagata tandem in lacum de Purmer delata, & aliquamdiu ibi commorata, stipato interim & solidato aggere, enatare non potuit in mare, atque ibi aliquamdiu palustribus aquis cũ innataret, squãmosi pecoris instar, erecto vertice conspicua, oculos accolarum rusticantium in se converterat: Anno 1403. hoc monstro primum territæ rusticæ, quæ ad mulctram indies venire solitæ; jam novo monstro assuetæ, animos sumunt propius intuendi; & tandẽ audaciæ clypeo assumpto, juvantibus in partem piscatoribus, monstrum ceperunt, edito fæmineo ululatu in terram subduxerunt, & postea lembo impositum Edamũ deportarunt, viridi musco deformem: Ubi cum purgata limo palustri mulier apparuit pube tenus, nuda & muta piscis fera & agrestis, quoniam in mari, in palude nata & educata, ad elementum suum redire conata aliquoties sed frustra. Inde magna vis hominũ ex quavis parte visendi studio. Illa circumamicta, & assuefacta paulatim esui panis, & lactis, tandem Edamenses petentibus illud Harlemeis (nam pro miraculo habitum) ex Nereidum stirpe unam, quæ mulier monstrosa superne desiit in piscem, ad Harlemenses misere. Harlemum delata, concursu civium perculsa, mulierum conspectu læta, mansuescere paulatim cæpit, & gaudere hominum cõmercio. Mansuefacta mulierum conversatione & alloquio, muta quamvis, didicit pro fœminarum more fila ducere, & pensa trahere lino. Ita aliquamdiu vixit Harlemi, atque obiit: quam ob exhibitam Cru-

ctis imagini reverentiam, eam in cœmeterio loco consecrato sepultam prohibent.

Triton. Neque ea absurda adeo videri debent, cum pro certo referant magni authores annis abhinc XL. captum fuisse in mari Frisico quendam Tritonem seu ut vulgo vocant virũ marinum toto corporis habitu nobis adsimilem, nisi quod barba, & cætero capillitio hispidus admodum esset, atque setosus: assueverat autem & iste, tum panis tum cæterorum in usu quotidiano cibariorum esui. Vixit annos complures in hominum societate, sed feritatem exuere non potuit nisi ipsa morte. Nec libera factionibus & seditionibus nostra civitas. Nam

Factio. Anno 1404. Symon à Sanen & cum eo quinque alii obtruncati & eodem tempore CCC. & amplius urbe ejecti.

Motus civicus. An. 1444. concursus civium, & motus tumultuantium & malignantium propter exactiones graves. quo tempore Nicolaus ab Adrichem consul in suis ædibus captivatus, cum manus ei injecissent, qui juraverant in exsecrandam Asellorum factionem. Id cum intellexisset Ducissa Isabella, sub vesperam, ipso D. Willebrordi festo, Harlemum contendit summa qua potuit festinatione. ubi sedato prius tumultu Gubernatorem constituit Mag. Goswinum de Wilde, qui totius Hollandiæ, Zeelandię magnus præses. Anno sequenti nondum cessante simultate, & odio invalescente indies magis, factio erupit nova, cum Philippus Burgundiæ Dux, omnia restituit in integrum, & partes conciliavit, mediantibus D. Ioh. Nassoviæ Comite, & D. Ioh. Hensbergẽsi Episcopo Leodiensi. Sed facinus cruentum magis & diabolicum, quod anno 1457 perpetravit Walravus à Brederode. Nam cum Magistratus vectigalia exigeret à Clero inusitato more, inde querelæ ad Coss. civium indignatio, clandestina concilia, tacita murmura. Consules ut populi insaniæ obviam irent, ordinata legatione Nicolaum Iperium Consulem & Gerardum à Noortwiick Scabinum, & Gulielmum Paedts qui Harlemi à secretis erat, ad Davidem Episcopum Trajectensem misere, ad impetrandum diploma inhibitionis: quod cum indignissime tulisset Walravus filius Brederodii naturalis, positis ad Biltam insidiis, Consulem, Scabinum pariter & Secretarium, oppressit latrocinantium in morem: quo facinore ita exacerbavit & patrem suum, & Patres patriæ, ut toto decennio parricidiũ illud expia-

Nova factio.

VValravi facinus cruentum.

expiari vix potuerit. Anno vero 1482. D. Iustus de Laleyn Hollandiæ tum gubernator, neglecto fidelitatis juramento, occupata sollerti stratagemate Horna, Harlemum contendit spe prædæ majoris, sed fortiter resistentibus Harlemeis, vel L. interfecerunt ex militibus ejus, nec Ducibus pepercissent, si potiri iis datum. Verum cessante tumultu, à summis potestatibus graviter id ferentibus, ne impunitatis spe, majora audendi fiduciam caperent, refractariis civibus gravis mulcta imposita est, videlicet XII. millium florenorum. Monstra Neptunia & immania cete multoties appulisse ad littora nostra, observatum quoque, quæ fere portēdebant mala incommoda, bella, latrocinia, & plura id genus damna. Nam Anno 1500 mense Iul. cetus appulit marinus non ita magnus 24. & amplius pedum. Sed anno proxime sequente, ejectus ad littora nostra Cetus longus 50. pedum. Anno 1469. adeo intentum frigus fuisse Annales indicāt, tantam hyemis asperitatem & inclemētiam, ut viri complures fortes etiam & robusti, quorum adversus frigora cutis callum duxerat, manuum pariter & pedum digitos, & plurium membrorum jacturam fecerint. Anno 1500. Monstri simile quoque quod anno jubilæo, Bavarovici maritimi accidit, ubi fœtus in utero matris, gemitus dederit, & ejulatus dolorificos. Erat enim in vico isto mulier paupercula, jam parturiens, quæ confessa publicitus, fætum uterinum per dies 14. excitasse lamentabiles gemitus, & iterata suspiria. Anno 1503. Novum & illud quod in Martio, adventante Hispaniar. Principe, missi obviam gratulabundi vir cōsularis Gerardus à Berckenrode in equo, comitantibus duobus aliis ordinis equestris viris. Et anno insequenti. Anno 1504. simile exemplum gratulationis Iul. 30. pauci itidem cives jussi Principi in occursum ire, sine pompa, qui Harlemum cum advenit, à Magistratu honorifice exceptus, congratulantibus civibus, donatusque opimo bove & vini cado. O simplicitatem Batavicam. Anno 1509. Pestilitates variæ quoque, ita dispensante ut omnia humana Deo, cum è medio sublati infinita hominū millia, fere ad internecionem totius civitatis. Anno 1512. Sicuti Harlemum Lemi urbs incendiis obnoxia semper fuit, ita inundationibus famosa, propter lacus vicinitatē hinc inde: Nam ipso D. Hieronymi festo, in Septembri, inundatio pœne universa-

Iusti de Laleyn stratagema.

versalis per totam Hollandiam, Sparendami inprimis, quæ minari visa sæculum Pyrrhæ, cum plurimæ domus & villæ, absumptæ & absorptæ, periclitante toto aggere. Anno 1520. & sequentibus aliquot, monstra Neptunia appulere alia atque alia. quippe 20. April. monstrum immane horrendum visu ad littora nostra appulit decumano fluctu præcipitatum, quod omnes in admirationem rapuit & stuporem, longum pedes 80. Anno 1522. Et biennio post mense Aprili ad Bavarum littora appulit, excitato horrendo boatu, Monstrum horrendum, informe, ingens, atque adeo Hellespontiaci terror balæna profundi. Anno 1522. Laverniones duo furati duntaxat VI. drachmas Aegineas, capite damnati multatique sunt. Et cum carnifex re male gesta in justitia exsequenda, concitaret in se Civium odia, diras atque exsecrationes, qui Carnificem lapidibus impetebant, jussus Prætor insuper eos tanquam seditiosos cives, in carcerem abducere.

Circa ea tempora (narrantem hoc patrem audivi) civem quendam bene potum insaniæ proximum, venisse ad tabernam vinariam sero vespere, petiisse vinum sibi promi: recusante caupona id facere, vi irrupisse, & ad cellam vinariam ingressum vini cyathum prompsisse, ebibisse, & relicta in dolio pecunia domum abiisse. Delata ad Prætorem querela, apprehendi hominem jussit accusatũ de vi, qui paulo post ex sententia Iudicum capite damnatus. Anno 1529. Morbi sudoriferi qui & Anglicani ita grassabantur in civitate nostra, ut nulla fere domus esset, in qua non esset æger. intra 24. horas plerique morbo isto correpti moriebantur, cessante omni remedio humano & medentium ope. Suffocati permulti sub culcitro, in mense Martio potissimum. Postea salutare sydus affulsit, & Æsculapius apparuit quasi è machina, qui obibat civium domos, & curabat hunc morbum epidemium, peculiari & infallibili remedio, juvante conatus ejus Deo sospitatore, ad refrigeria incolarum. Anno 1531. Agger prope Sparendamum aquarum violentia tribus in locis perruptus fuit, & aquis pervius, ipso omnium Sanctorum festo, bacchante septentrionali procella. Eodem anno Cometa apparuit in cælo non impune ut solent, & ante eum Cetus immensæ molis pedum circiter 75. Anno 1556. Hispaniarum rex in Belgium misit D. de Lata virga Brederodium, cum litteris

litteris fiduciariis, ut D. Ordines ad petitiones admittendas induceret. Anno 1558. Carolus imperator immortalis memoriæ Princeps obiit præmatura morte. Anno 1564. frigus memorabile erat in Decemb. duravit ſeptimanas xj & tres dies. Eo ipſo tempore, tanta brumæ aſperitas fuit, tanta aeris inclementia, ut Schalda glacie incruſtratus equos admitteret, & tentoria expenſis velis, in quibus omnia venalia tanquam in ſollenni nundinatione. Anno 1566. Mart. xj. cetus ejectus ad littora vi tẽpeſtatis prope Santvordiam maritimam & arcem Brederodiam longus 41. craſſus 35 pedes, qui vivus per nares ſpirabat aquarum ſalſarum ſcaturigines. Anno 1568. April. 23. memorabile & illud viſum noſtratibus, quod duo opimi boves, facto per urbem trãſitu, Bruxellas abducti, quibus Ducem Albanum Ordines honorarent; quorum alter 10. pedes longus, xj. craſſus, 3000 & amplius librarum, & alter circiter 2000. qui eo tempore æſtimati 500. florenis. Anno 1570. Iun. x. Mag. Ioh. Zurenus ab ampliſſ. Ordine deputatus ad legationem, ut in Italiam proficiſceretur, Romam peteret, Pontificem adiret. Cauſa legationis hæc fuit, ut apographum ſive exemplar peteret fœderis initi inter Abbarem quendam & Patres Xenodochii D. Elyſabethæ ſacri de dominio D. D. Albatorum, quorum reditus propter vitam omnino diſſolutam proſcripta erant, non abnuente Pontifice. Anno 1572. in aere & cœlo prodigia complura obſervata: quippe ipſo obſidionis tempore, grando terribilis cælo cecidit monſtroſæ magnitudinis, cum multa ſtrage, juglandis inſtar, aut ovi quale capræ pariunt ad aquæ ductum non procul à lacu, bacchante ſimul Borea, fulminante Iove. Anno 1574. in Ianuar. natum eſt horribile monſtrum, editum à militis cujuſdam conjuge in ædibus Laurentii Iohan. qui factor Cameræ, quæ hoc pro elogio habet, *Amor vincit omnia.* Sed feralis maxime hic Annus 1574. & memorabilis ſtatim poſt obſidionis tempora capta jam urbe, cum Cellitarum pater, qui Veſpillones, ingraveſcente indies contagio, foro ut ſic dicam ceſſit, relicto cænobio. quo tempore mortui dicũtur & peſte ſublati tria hominum millia & 335, ut vix ſupereſſent, qui funera efferre ægri poſſent. Verum omnium graviſſima peſtis quæ anno 1635. de qua egi Annal. lib. 4. Anno 1575. me puero in agris vicinis & ſuburbanis mures prodigioſi

digiosi nati, qui omnia depascebant, sata, fruges, gramina, unde annonæ gravitas & ingens alimenti penuria.

Tempestas, Anno 1577. in Jun. toto triduo tempestas à Septentrione, cum maximo&irreparabili damno aggerum circumquaque, domorum, villarum, & jumentorum, ovium mugitu, balatu opem hominum implorantium, cum Harlemum visa insula pæne inaccessa. Eodem anno dira fames Harlemi non durabilis fuit, *Fames.* cujus adhuc memini, quo tempore pane hordeaceo victitabant miseri cives, usque dnm Hispanorum milites præsidiarii urbe excederēt, quia milites Principis Auriaci Sparendamum navibus occuparant, qui frumenta Harlemum destinata intercipiebant. *Terræmotus.* Anno 1580. Signa aliquot futuri terræ motus, cum mare, nullo spirante vento, subito intumesceret, & in puteo aquæ motu subterraneo turbulentæ essent; Ita tandem intra Terræ viscera plurimas generari exhalationes, & terram moveri compertum circa vesperam hora 6. & 7. per omnem Hollandiæ tractum. Anno 1598. Catthorum ad littora cætum vidi immensum, arenis immersum, & locis maritimis vadosis detentum. *Cetus mar.* An. 1601. XIII. Cal. Ian. monstrum appulit ad nostra littora, quo non immanius ullum, & forte stans propius in littore,

Mirabar molemq; feræ obscænumque
priapum
Et formam informem, patulosque in
gutture rictus
Et sanie, & multo stillantes sanguine
fauces.

Hoc eodem anno Inundationes crebræ, sed minus periculosæ, *Inundation.* crescente & alluente hinc inde indies lacu, & exuberante; verum non diu duravit hoc incommodum. Nam anno proxime sequenti, Chomarchi objecto aggere tam spatioso quam acclivi, aquarum impetum fregerunt.

Anno 1611. Mea adhuc ætate frigus Arctoum plane, eo ipso *Frigus Arctoum.* tempore cum legatus Spinola cum suis Hagam-Comitis ad Pacis fœdera venisset.

Anno 1614. Decemb. 18. die *Cetus marin.* cetus denuo ejectus ad littora novo portento. Anno 1618. No- *Cometa.* vemb. 29. die apparuit ingens Cometa in cœlo terribili cauda, cujus virga porrecta in 64. gradus, multorum malorum prognosticum & bellorum, hinc in Belgio secuta schismata in Ecclesia, in Politia, civium factiones, fratrum odia: Secuta in Germania bella, latrocinia, exilia documento nobis, raro fulsisse impune Cometas.

Frigus asperum.

Cæterum cum indies alia atque alia nova ſemper contingant quæ omitto plura dicere, frigus illud nuperum adhuc memorabile inprimis, quale parentum memoria non fuit, frigus ſane graviſſimum urendi vim habens: quod cæpit Anno 1645. Dec. 8. Idus ipſo D. Nicolai feſto; duravit circiter 14. ſeptimanas uſque ad 18. Martii diem, cum tecta glacie flumina, mare Auſtrale equis pervium, cum tanta eſſet anguſtia, ut grana, hordea, lupuli, legumina, atque adeo ligna ramalia, ceſpites, carbones deeſſent ad coquendas cereviſias. Ita uti in parte Boreali, cereviſiarum penuria laborantes, aquam potare neceſſitas cogeret.

DE FELICI HARLEMENS. IN ÆGYPTUM *expeditione*, HADRIANUS IUNIUS *in Batavia hæc narrat.*

HAnc urbem ſequitur capti novo conſilio Peluſii (Damiatã nominãt inclytam Ægypti urbem) gloria: Cujus cum traheretur in longum obſidio, portum urbis tranſverſa catena ferrea inter duas validas turres munitum, una atq; altera holcade, quarum carinas & proras ſerra in crenatos dentes limata obmunierant. Harlemæi, qui in ea expeditione militabant, obſervato vento ſecundo atq; opportuno invadũt, diffracta catena interiorem in ſinum penetrant, ſicq; patefacto portu claſſi Chriſtianæ rei bene gerendę occaſionem aperuerunt, capta deditaq; urbe munitiſſima copioſiſſimaq;. Cujus rei memoriæ ſempiternæ inſtitutum reor, moremq; per manus in hunc uſq; diem traditum obſervat Harlemæa pubes, ut Kal. Ianuariis (quæ an hujuſce ſtratagematis teſtes fuerint clam me eſt) naviculas ſerratis proris inſtructas, imagineſq; victoriæ argumenta, bacillis ſuffixas, in publicis ſupplicationibus circumferat. Certioriſque fidei teſtimonia ſuperſunt ex ære Corinthio tintinnabula ſeu ęramenta bina, quę in æditiſſimę turris faſtigio ſuſpenſa, arguto tinnitu late perſtrepunt, à re Damiatica nuncupata.

In Trophæum Peluſiacum TH. SCREVELII, CIVIS & AMICI mei ſuaviſſimi.

AVſa Vrbs HARLEMUM *Pharios attingere fines,*
Et trabe Nile tuæ findere tergus aquæ:
Auſaque ſerrato perrumpere ferrea roſtro
Vincula, & obſtructi frangere clauſtra freti.
Magnanima Vrbs! magnæ Damiatæ mœnia cepit,
Victricique tulit FERCULA *læta manu.*
Horruit Aegyptus, devotaque pectora Marti
Mirata, illorum ſub juga colla dedit.
Quæ dum das luci victuris indita cartis,
Screveli, Patriæ conſulis Hiſtoriæ.

Grande operæ pretium! Hoc facinus non debuit altâ
Nocte tegi; hei! Torpor, delituisse, fuit:
Rem Cedri dignam tabulis, temploque Monetæ!
Quæ ne post lateat, tu Theodore, facis.
Ecquid erit præmI tandem? Num Patria munis,
Nomen ut accepit, sic dabit ipsa tibi?
Auguror. & (nobis sic Diva Amathuntia præs sit:
Sic ego sim felix, tuque in Amore potens)
Spondeo, te penna solvi metuente, Poëtam
FAMA, *ultra Eöos, Hesperiosque feret.*

PETRUS SCRIVERIUS.

AD HARLEMVM.

O URBS à magno celebrari digna Marone!
Mentior an Patriæ fallor amore meæ?
PELUSI portus VIRTUS tua fregit adunca
Holcade, veliferis concidit hostis equis.
Magna equidem virtus! Andinis digna Camœnis:
Sic mihi sic visum municipique meo est.

P. SCRIVERIVS
ab Iverendeel.

TH. SCHREVELII,

TROPHÆVM PELVSIACVM

HARLEMUM *patria est, patriæ me dicere laudes*
Iussit amor, mentisque ardor, tu suffice Vires
Phœbe pater, cœptique leves pia vota laboris:
Harlemios ausus, & plusquam Heroica gesta,
Serratamque cano Neptuni in gurgite navem;
Qua septemgemini coëunt trepida ostia Nili:
Longa retro series, quam non longæva vetustas,
Non, ætas, non tempus edax memori eximet ævo.
Clejo exantlatos terraque, marique labores,
Gestaque in antiquis Mavortia condita fastis,

Docta doce, nec enim te fallit cana senectus;
Sic ego, sic prima repetens ab origine casus
Te duce prisca sequar veteris vestigia famæ,
Da facilem cursum, atque audacibus annue cæptis.
Postquam Arabes, Parthique truces, recutitaque turba,
Immanesque Getæ, qui Terram invadere sanctam
Atque Palæstinam, turritaque mænia Idumes,
Ense minabantur, subjectisque ignibus urbes,
Delere, & validas evertere funditus arces:
Qua fas, quaque nefas invisam exscindere gentem.
Quique Crucem, Christumque Deum pleno ore fatentur.
Iamque Palæstinis Turcarum Exercitus oris
Fervere, & infesto grassari milite cæpit.
Quæ simul Ausonias vulgatur fama per urbes
Nec Batavum vanas implet rumoribus oras;
Extemplo turbati animi; simul omne tumultu
Conjurat trepido Harlemum, sævitque juventus
Battaviæ, vitamque volunt pro laude pacisci.
Iamque Getis inferre manu lacrymabile bellum
Germani Batavique parant, & tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.
Haud mora, diverso populos sub sole jacentes
Cæsar ad arma vocat Fredericus, & undique cogit
Auxilia, & rauco crudescunt omnia cantu.
Et fremit, & toto volitat Mars horridus orbe
Primus init bellum Fredericus, & agmina primus
Cæsar agit, votisque absentem interficit hostem,
Nescius heu Cæsar fati, sortisque futuræ!
Huic comites Rychardus erant, acerque Philippus
Galli ambo, reges armis fulgentibus ambo.
Insignes, densa juvenum stipante caterva.
Inde Caledoniis venit Richardus ab oris,
Horridus in jaculis, & pelle Libystidos ursæ.
Quem legio late comitatur agrestis euntem,
Anglia quam dederat medio Neptunia ponto

Insula, pars leves clypeos, pars spicula gestat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti, docti pars cominus enses
Stringere, tela gerunt lateri falcata sinistro.
Saxones, Austriacique duces, in prælia magnum
Agmen agunt peditum, magnique ipsi agminis instar.
Hos super accelerat fama Florentius armisque
Illustris, stirpisque comes generosus avitæ,
Horrida præcipue cui gens, assuetaque bellis.
Quin & magnanimum misit fæcunda Philippum
Flandria, & armatas equitum peditumque phalanges:
Et conjuratos non segnius ibat in hostes
Geldriaci ductor populi fortissimus Otto:
Atque alii proceres, nec non ignobile vulgus,
Insertique globo pedites, veteresque Sabaudi,
Belgarum Bavarumque manus, Harlemia pubes,
Qui Mosam, Vahalimque bibunt, Rhenumque bicornem:
Omnibus unus amor, vel sævam exscindere gentem,
Vel si fata obstant (quod Dii prius omen in hostes
Convertant) pulchram per vulnera quærere mortem.
Sic acies turmasque legunt, pilataque cogunt
Agmina, diversæ coëunt in littore gentes,
Tam variæ linguis, habitu, quam nomine & armis.
Haud aliter cöit agmen apum, cum forte duobus
Regibus incessit magno discordia motu,
Ingentes animos angusto in pectore versant
Spiculaque exacuunt rostris, pugnamque lacessunt,
Fit sonitus totaque acie fragor intonat, & vox
Auditur, tenuem clangorem imitata tubarum.
Aut veluti glomerantur aves in littoris ora,
Strymoniæve in nube grues, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Iam Zephyri excussos suadent laxare rudentes,
Crebrescunt optatæ auræ, dat buccina signum:

Vela dabant læti ventis, pelagoque volabant,
Et vada ſulcabant æratis cærula roſtris;
Nauticus exſurgit ſublatus ad æthera clamor.
Iamque adeo totum conſtratum claſſibus æquor,
Cyaneas, pelagoque putes innare revulſas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Sic gelidam Æſonides Scythiam, & Phryxæa petebat
Æquora, & anguſtas quondam ſine nomine fauces,
Cum rapere auratam ſubiit de Colchide pellem:
Sic Argiva manus, Danaumque exercitus omnis,
Et conjurati venere ad Pergama Graii
Ledæam propter Helenam, cum mille carinis.
Poſtquam altum tenuere rates, terræque recedunt,
Pronus erat Titan, inclinatoque petebat
Heſperium temone fretum, ruit Oceano nox.
Sollicito interea Cæſar ſub corde volutat
Eventus belli varios, caſuſque futuros
Mente agitans, magno curarum fluctuat æſtu:
Huic comes in prima Ioachimus puppe ſedebat
Proximus, ille hominum ſacer interpreſque Deorum,
Qui pecudum fibras, qui præpetis omina pennæ,
Et volucrum cantus, & fati conſcia norat
Sidera, fataleſque colos, & fulmina dextra,
Feliceſque Iovis ſtellas, & Caſtoris ignes;
Quem ſic alloquitur, dictiſque ita fatur amicis,
Cultor, & antiſtes ſacrarum maxime legum,
Cui Deus arcanum, & nulli exorabile fatum
Noſſe dedit, caſuſque dedit præſcire futuros,
Eja age, & intrepide, quidquid Grynæus Apollo,
Et Lyciæ dictant ſortes, ea ſive ſecunda,
Sive adverſa ſient, terræ pelagique pericla,
Eloquere, & quæ ſit rerum fortuna mearum.
Cui vates ne cura animum fortiſſime Princeps
Mordeat ulla tuum, finemque impone rogandi;

Fata viam invenient, fatorum immobilis ordo;
Atque ita diu longa suspensum ambage tenebat.
Cæsar adhæc: Causas nequicquam tendis inanes,
Fare age, & extemplo ventura pericula pande,
Aut si læta magis dexter promittat Apollo,
Pauca refer mihique hæc edissere vera roganti,
Si tantum de te merui, vel si tibi quicquam
Dulce meum. Tandem vates sic ora resolvit.
Infandum Frederice jubes narrare dolorem,
Principio adversis ventosum scindimus æquor
Alitibus, nec læta viam Fortuna secundat,
Æthiopasque Arabesque jugo submittere, & acres
Debellare Getas, Scythicamque exscindere gentem,
Aut Solymam eversis invadere mænibus urbem
Nondum fata sinunt, si qua est prudentia vati:
Stat sua cuique dies, stat terminus omnibus ævi:
Sed si tantus amor casus cognoscere vestros,
(Quamqum animus meminisse horret, luctuque refugit)
Expediam paucis, & te tua fata docebo.
Scilicet incertæ, breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ, sed vitam extendere factis,
Multaque vivacem per sæcula mittere famam
Hoc virtutis opus; nisi me præsaga mali mens
Fallit, & ancipiti ludit Fortuna regressu,
Luna novem junctis rutilum cum cornibus orbem
Implebit, Phœbusque diem Solemque reducet,
Auferet atra dies animam, vitamque reposcent
Fata tuam, rumpetque simul quos neverat annos
Atropos, ut placida compostus pace quiescas.
Non natale solum, non regna paterna revises
Ausoniæ, nec pinniferi caput Appennini;
Consortemve thori, nec dulcia pignora natos;
Talis lege Dei devexo tramite vitæ
Per varios præceps casus rota volvitur ævi,

Serius aut citius metam ut properemus ad unam.
Talia voce canit, lacrymæ cecidere canenti.
At Cæsar quamquam trepidat formidine pectus,
Et solito majore metu mens ægra laboret,
Attamen in cælum erectus, manantia fletu
Ora tegit, crudumque premit sub corde dolorem,
Quippe viro turpe esse putat timuisse futura.
Interea ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & ab æquore Eöo
Surgebant roseæ, media inter cærula flammæ;
Cum Cæsar (pressum servans sub pectore vulnus)
Obliquum sulcabat iter, longoque petebat
Æquora circuitu, Siculisque allabitur oris
Classis, ibi è fluctu Trinacria cernitur Aetna,
Quæ visu horrendum ignivomis fornacibus arsit.
Illic (ut perhibent) immania membra Gigantis
Iugeribus porrecta novem, sub montibus altis
Semisepulta jacent, spirantis naribus ignes,
Flammarumque globos, liquefactaque saxa vomentis.
Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant, subito cælum pice nigrius, imbres
Ventosque pluviasque atro cum turbine cogit:
Aspera crescit hyems, omnique à parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent;
Antennæque gemunt, reboant stridore rudentes:
Sæpe dat ingentem fluctu ratis icta fragorem;
Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim
Cum laceras aries ballistave concutit arces.
Intonuere poli, tremit alti regia cæli;
Perruptisque fragore polis, micat igneus æther.
Ipse Atlas humeris cæli qui sustinet orbem
Extimuit, ne forte sacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammas, totusque ardesceret axis.

Nec cælo contenta ſuo Iovis ira, ſed illum
Cæruleus frater lethalibus adjuvat undis.
Ipſe gubernator tendens ad ſidere palmas
Poſcit opem, nulloque ratem ſinit ire magiſtro;
Sic quo non voluit, ſed quo rapit impetus undæ
Per vada cæca volant, ventoque æſtuque minaci.
Tres adeo incertos picea caligine ſoles
Errabant pelago, & totidem ſine ſidere noctes.
Tum venti poſuere, omniſque repente reſedit
Flatus, & inſani ceciderunt æquore fluctus.
Septima jactatos Grajis lux reddidit oris,
Piræos ſubjere ſinus, & proxima feſſi
Oſtia, quæ trepidis ſtatio gratiſſima nautis,
Qua Pandioniæ ſe oſtentant eminus arces,
Cecropidumque lares turritaque mænia Athenæ.
Iactatam vento, quaſſamque à gurgite claſſem
Cæruleo inſtaurant, & duro robora ferro
Intexunt, rimaſque tegunt, & hiantia ſtringunt;
Votaque ſervati ſolvunt in littore nautæ.
Iamque dies abiere decem, cum vela ſecundis
Turgebant Zephyris, placido natat æquore Claſſis;
Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes:
Et tandem Idalium, gravidamque Amathunta metallis
Prætereunt, tumidique legunt divortia ponti,
Et Peluſiaco ſulcant vada proxima Nilo.
Cæſar ut è celſa vidit ſeptem flua puppe
Oſtia, vela legi jubet, arma, animoſque parari,
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu:
Ipſe cava Triton circumſonat æquora concha.
Conſternati Arabes, turri ſpeculantur ab alta,
Et totum aſpiciunt allabi claſſibus æquor,
Armatique cavis exſpectant turribus hoſtem
Cominus, omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Fidenteſque fugæ, ſternuntur pectora, Parthi.

Exemplo Eöas ea fama vagata per oras
Adventare hostes, adnare per æquora classem,
Et fremere invisam Christi de nomine gentem.
Cæsar & electi proceres, de nocte triremes
Ingressi, tentant aditus, perque omnia lustrant.
Vastus in accessu dubio sinus, arcet utrimque
Hinc maris, hinc rapidum Nili septemplicis æstum,
Qua fugit amplexus repetique reciproca Thetis.
Hic geminæ in portu turres, jactæque per altum
Dente ratis, solidoque aptatur machina ferro.
Tum supera aspectans cæli convexa, precatur
Insignis pietate Comes Gulielmus & armis,
Maxime cælicolum, pater atque hominum sator, & rex,
Siderei qui templa colis flammantia cæli,
Qui vaga flagranti jacularis fulmina dextra,
Quem tellus, tumidique timent vada cærula ponti,
Orsa juves, nostrosque leves invicte labores;
Æternum molimur opus, sub gurgite Nili,
Si qua fata sinunt, da rumpere ferrea ferro
Vincula, & eversis evertere mænibus urbem;
Immanesque domare Getas, & barbara regna
Sauromatum: armipotens Deus, & rex ætheris alti
Annuit, & nutu totum tremefecit Olympum.
Tantum effatus, & interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, Solemque reduxit.
Continuo sociis edicit signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se;
Nam Zephyri ventis implebant vela secundis.
Insonuere tubæ, validoque Harlemia puppis
Impete scindit iter, fidis comitata carinis:
Iamque propinquabant urbi, portusque subibant;
Hic Deus æquoreas qui cuspide temperat undas,
Extulit os sacrum, navemque immane tridenti
Impulit, illa fugit liquidas impulsa per undas

Ocyor

Ocyor & jaculo, & ventos æquante sagitta.
Intremuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ:
Inde aliæ accelerant cursus, stupet inscius ipse
Dux Batavum, felici animos tamen omine tollit.
Fit via vi, rumpunt aditus, solvuntque repente
Mole sua strictas & acuto dente catenas
Puppis, & excusso strident retinacula ferro:
Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.
Haud tamen audaci cessit fiducia Partho,
Sed contra ruere, & venientes pellere terra:
Pars effusa onerat telorum grandine naves,
Pars lato librant emissa hastilia ferro,
Missilibus certant alii, tum saxeus imber
Ingruit; atque ipsis metuenda phalarica muris
Intorquent alii collectis viribus, illi
Imbutas hydro his noxia tela sagittas.
Tela simul, flammæque micant: pars maxima glandes
Spargit liventis plumbi, pars ventilat ignes,
Donec rostra tenent siccum, & sedere carinæ
Omnes innocuæ, socios de puppibus altis
Pontibus exponunt ductores. Haud mora multi
Pugnandi studio, brevibus se credere saltu;
Per remos alii descendere, perque rudentes
Idem omnes simul ardor agit, ruit ocyor Euro
Harlemea manus, primoque in limine clausas
Arietat in portas, atque urbem territat armis.
Ac velut effusi facto velut agmine venti,
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant,
Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum;
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi:
Et trepidi positis dedebant oppida telis.
Invadunt DAMIATAM *Vrbem, primosque trucidant.*
Horrifico interea miscentur mænia luctu,
Et resonant clamore viæ, gemituque cadentum.

 Verum

Verum ubi paulatim Martis deferbuit ira
Pacem orant, victasque manus ad sidera to
Fæmina, virque, senex, pueri, innuptæque pu
Tum Cæsar (magna procerum cingente coron
Convocat Ausonius, sociosque hortatur ovantes.
Maxima res effecta viri, timor omnis abesto:
Quod superest tolerate alacres, fortissima bello
Pectora; forsan & hæc olim meminisse juvabit
Si Solyma Bellona velit nos urbe potiri.
Arma parate animis, & spe præsumite bellum.
Interea Batavum Comes invictissime, tantis
Pro gestis hæc dona feres: nec plura loquutus
Donat equum phaleris insignem, ostroque superbum;
Levibus atque hamis consertam, auroque trilicem
Loricam, galeam capiti, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmisque auroque coronam.
Præterea meritis feret HARLEMEA *juventus*
Præmia digna suis, animosque æquabit olympo:
Eja triumphali jam cingite tempora lauro
Harlemo-batavi, pugnacis fulmina Martis,
Et capite æternæ immortalia præmia laudis,
Principio hæc parti referetis signa trophæi
In patriam, fulvum stellis cingentibus ensem,
Sanguineo medium campo: Crucis addit honorem
Et Pater & Solymæ venerandus Præsbyter urbis,
Testis Arabs, & Mars, & læte Gloria vultu,
Et decus & niveis Victoria concolor alis;
Cesareæque fides dextræ, plausus que virorum,
Neptunus, pater, & captivo gurgite Nilus;
Famaque anus, quam nulla annis obliteret ætas,
Multaque quam seri referant post sæcla nepotes.
VICIT VIM VIRTUS, REVIRESCIT VULNERE VIRTUS!

FINIS.


000000010013712